
3 1761 07833938 9

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGR. CONCILII

QUÆ CONSENTANEE AD TRIDENTINORUM PP. DECRETA, ALIASQUE CANONICI JURIS SANCTIONES

MUNUS

SECRETARII EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE USQUE AD DIEM 10. MARTII

EMO, ET RMO DNO

CARD. JOAN. FRANCISCO FALZACAPPA

DEINDE VERO

R. P. D. ANTONIO DOMINICO GAMBERINI

PRODIERUNT IN CAUSIS SUB ANNO 1823

PROPOSITIS

EPISCOPIS, EORUMQUE VICARIIS, CAUSARUM PATRONIS, AC ALIIS IN ECCLESIASTICO FORO VERSANTIBUS APPRIME UTILIS, AC NECESSARIUS

TOMUS LXXXIII.


TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS



ROMÆ MDCCCXXIV

Typis Vincentii Poggioli Rev. Cam. Apost. Typographi.


LIBRARY
SEP 10 1968
UNIVERSITY OF TORONTO

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1823. per Dioeceses dispositus

Die Sabathi 25. Januarii 1823. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacrae Congregationis de jure resolvenda.

LUCANA

Sess. 21. Cap. 8. de Ref.

Dubium.

An confirmandum sit Decretum Vicarii Generalis Lucani in casu etc.

Affirmative.

AMERINA RESIDENTIÆ.

Sess. 23 Cap. 15. de Ref.

Dubium.

An, et ad quod tempus sit Oratori concedendum indultum absentiæ in casu etc.

Affirmative, donec convalescat.

Sess. 24. Cap. 1., 3., et 5. de Ref. Matrim.

BRACHAREN. MATRIMONII. In Comitiis diei 21. *Septembris* superioris anni proposita fuit quæstio tum super *nullitate*, tum super *causis* dispensationis Matrimonii initi inter Joachimum Josephum de Arantes, et Mariam Das-Dores sub duplici Dubii formula. Judicium tunc prorogandum censuerunt Emi PP. responso = *Dilata ad utrumque*, *et reproponatur post aquas cum iisdem* = Redit igitur hodierna die eadem controversia; at cum uterque Defensor nonnulla allegationibus jam distributis addiderit, pauca de his pro meo munere dicam.

Mulieris Defensor *de causis* dispensationis, et præsertim de *vi*, *et metu* agit, relicta *Nullitatis* provincia. Distinguit itaque vim, et metum, qui consensum omnino removet ab actu, ab altero, quem vocant conditionalem, et causativum, quique minuit arbitrii libertatem. Primus nullum reddit Matrimonium, alter vero justam præbet causam dispensationis juxta *Cosc. de Separat. Thor. lib. 3. cap. 2. num. 243.*

Hunc vero metum revera intercessisse in hoc conjugio contendit ex Mulieris declarationibus = *che si era sposata di mala voglia* = et ex minis Parentum, et Amitæ, ex quibus non levis inferebatur vis, ac metus in Puellam, quæ vix *Decimum tertium* ætatis annum attigerat.

In medium quoque affert hujus S. Congregationis resolutiones, quibus distinctus fuit metus, ita ut ad dispensandum sufficiens judicatus fuerit metus ille, qui ad nullitatem probandam minime valebat, ut, cæteris omissis, habetur in *Posnanien* 13. *Julii* 1782., ubi nullitas S. Subdiaconatus Ordinis ex vis, et metus causa fuit rejecta; cum ex eodem capite consulendum Sanctissimo pro dispensatione fuerit rescriptum.

Ad trutinam demum revocans *Textus Canonicos*, qui de Matrimonii consummatione agunt, Mulieri, quæ se virginem esse affirmet, semper esse credendum dicit,

cit, quamvis vir contrarium asserat, si per inspectionem corporis de illius integritate constet. In casu concurrunt tum Mulieris declaratio, quæ copulam habuisse maritalem omnino negat, tum duplex corporis inspectio, quibus probatam dicit illius Virginitatem; ideoque concludit dubitari non posse de Mariæ integritate.

E contra Matrimonii Defensor Processum de nullitate accusat, tum quia aliqua acta gesta sunt ante Matrimonii defensoris deputationem, tum quia hic non exhibuit interrogatoria, super quibus explerentur Examina. Et licet hoc munus expresse delegatum Defensori Matrimonii non inveniatur in notissima *Benedictina* Constitutione, tamen ex hujus S. Ordinis, et Rotæ Romanæ judicio sub pæna nullitatis processus requiri affirmat. Quum igitur hæc omnia insanabili nullitate processum vitient, instat, ut renovetur, vel suppleatur Processus.

Super causis vero dispensandi animadvertit, distinctionem illam inter metum, et metum esse rejiciendam, et unum tantum esse metum, qui si gravis sit, et cadens in constantem virum tollit consensum, et matrimonium irritat, si vero sit levis in nihilo Matrimonii validitatem imminuit, nec justam præbet dispensationis causam.

Negat præterea in facto Sacramenti Assertor, metum Mulieri fuisse incussum, aut certe levissimum illum dicit, ideoque pro nihilo æstimandum.

Ad consummationem quod pertinet, non Mulieris, sed Viri testimonio fidem præstandam esse asserit, ad tramites *Can 3. Si quis acceperit caus. 33. quæst. 1. et, Cap. Continebatur de Spons. Impub.* quum non agatur de Viri impotentia. Dicit tandem, omnino deficere septimæ manus juramentum, et ideo non probatam non consummationem. Imo ex conjecturis, scilicet ex pacifica cohabitatione, ex convivio, ex silentio Mulieris, ex unius testis dicto, dicendum esse concludit Matrimonium inter eos fuisse consummatum. Cætera habent EE. VV. in præteritis, et præsentibus allegationibus, et præsertim in *folio diei 21. Septembris 1822.*, quæ

reassumere precor, et ita dirimere, quæ reproponuntur.

Dubia

I. *An constet de nullitate Matrimonii in casu etc.*

II. *An constet de Matrimonio rato, et non consummato, nec non de canonicis causis consulendi SSmo pro dispensatione in casu etc.*

Ad I. Negative.

Ad II. Non esse locum dispensationi.

Sess. 24. c. 13. de Reform.

REATINA UNIONIS BENEFICIORUM. Hanc causam, quæ iterum, atque iterum proposita fuit, Vestræ Sapientiæ, EE. PP., dirimendam subjicio. *Si folium diei* 19. *Decembris* 1818. assumere denuo non pigeat, facile invenietis, duas *Reatinas* propositas fuisse quæstiones, quarum *altera* unionem quorumdam Beneficiorum a Parocho S. Flaviani in Oppido Capitignani, *altera* vero unionem aliorum a Parocho Pelliscriptæ expetitam respiciebat. Propositis itaque Dubiis, primum quoad Paræciam S. Flaviani = *An, et quomodo, et quæ Beneficia sint unienda Paræciæ S. Flaviani in casu etc.* Responsum fuit. *Affirmative in omnibus, juxta Votum Episcopi Fioravanti, dimisso Beneficio S. Pauli ad murum per Bullas.* Dein pro Paræcia Pelliscriptæ proposito Dubio = *An, et quæ Beneficia unienda sint favore Paræciæ Pelliscriptæ in casu etc.* rescriptum fuit = *Affirmative quoad Beneficium S. Mariæ Gratiarum, et etiam alterum Beneficium S. Antonii Patavini tantum, reportato tamen consensu Patronorum.*

Verum enim vero Parochus Pelliscriptæ haud satis hac decisione contentus effecit, curavitque, ut hæc caussa secunda vice rediret, et revera in folio sub *die* 22. *Decembris* 1821., quod pariter reassumere precor, reproposita fuit sequentibus Dubiis.

I. An

I. *An, et quomodo sit standum vel recedendum a decisis favore Paræciæ S. Flo[illegible] sub die 16. Januarii 1819. ad primum Dubium in [illegible] etc.*

II. *An, et quomodo sit concedenda absolutio a censuris in casu etc.*, et ad utrumque responsum fuit *non proposita attento defectu aperitionis oris.*

Hoc Decreto a S. Congregatione edito Parochus Pelliscriptæ instructus [illegible] ad Summum Pontificem recursum habuit, humillimas preces ei porrigens, ut sibi oris aperitio adversus Bullas benigne concederetur. Non abnuit Summus Pontifex precibus Oratoris, et sub die 21. Februarii 1822. rescriptum prodiit *SSmus attentis expositis facultates benigne tribui voluit S. Congregationi Concilii, ut quatenus opus sit, in caussa, de qua agitur, interponere quoque valeat arbitrium pro APERITIONE ORIS adversus literas Apostolicas obtentas a Parocho Capitignani prout, et quatenus de jure, contrariis quibuscumque non obstantibus,* ut ex precibus cum Rescripto a Parocho Fascetti typis impressis videri poterit.

Ut recessum a decisis sub die 16. Januarii 1819., quoad bona tradita die 20. Octobris 1813. Paræciæ Pelliscriptæ in supplementum congruæ, assequi queat, duo rationum capita hic in medium affert, quæ etiam in præterita propositione Vestræ sapientiæ, judicioque subjecit.

Primum dicit, quod præcedens Resolutio Conventionibus repugnat inter S. Sedem, et utriusque Siciliæ Regem stipulatis mense Martio 1818. Et hoc probat, confirmatque iisdem rationibus in præterita actione deductis, ad quas etiam Vos EE. PP. remitto, ne hic actum agere videar.

Secundo ait, etiamsi hoc non repugnaret, tamen quia resolutio illa edita fuerit quum Parochus Capitignani, nemine contradicente, contra veritatem asseruerit, quod Paræciæ Pelliscriptæ annuo reditu potiretur scutat 6[illegible]., atque illa Capitignani scut. tantum 55., quum e contrario constet illam Pelliscriptæ non alio potiri reditu quam scut. 13., et obol. 87., atque illam Capitignani scut. 67., suis stare viribus resolutio eadem non potest.

Addit etiam a vero longe abesse, quod Parochus Capitigna-

gnani stipendium Parocho adjutori, vel cooperatori persolvere ex proprio teneatur, uti ipse asserit contra dictæ conventionis formam

Constitutum est enim expresse conventionis Art. 7 C. 5. *Parochialis Ecclesiæ conservatio, uti et cooperatoris Parochi stipendia, ubi reditus ad id attributi non adsint respectivis Civitatibus incumbent, et prædes dabuntur fundi, aut vectigalis privilegiata pecunia.* Sequitur inde, ut si forte Parochus Capitignani cooperatore indigeat, necesse est, ut ad Civitatem recursum habeat, atque ab ea stipendium pro eo consequatur, numquam vero percipere bona poterit Paræciæ Pelliscriptæ in supplementum Parochialis Congruæ jam ab anno 1812. per Imperantis Decretum tradita.

Qua propter Parochus Fascetti ita argumentatur: cum resolutio illa foliis suppositis a Parocho de Andreis dolose insinuatis extorta sit, et cum ideo obreptionis vitio laboret ex apertissima utriusque juris censura, facile consequitur, hanc retractandam ac infirmandam esse.

Præterea quod hæc Beneficia fundata sint olim ab incolis Capitignani, ut Parochus de Andreis asserit, nullum profertur solidum argumentum: quinimmo facile contrarium evincitur tum ex collationibus, tum ex eorumdem bonorum ad Regium Fiscum addictione, tum ex traditione eorumdem in congruæ supplementum Paræciis, Parochisque, tum tandem ex eorum alienatione probata a sæpe laudata postrema conventione inter S. Sedem, et utriusque Siciliæ Regem.

Parochus vero Capitignani Hieronymus de Andreis, etiamsi allegationum folium Vobis non exhibeat, tamen aliquod adjungit asserens, quod omnia, et singula Beneficia ei per Bullas adjudicata fuerint; quæ cæteroquin semper ad eum spectarent, tum ob sui gregis necessitatem, tum ob jus, quod eum Parocho Pelliscriptæ potiorem reddit.

Quod vero omnia, et singula Beneficia ei per Bullas adjudicata sint, probat, quia Summus Pontifex cum omnes horum beneficiorum reditus ei cumulatim concesserit, voluit etiam, ut hæc Beneficia quotquot essent numero illi cederent, statim ac eorum numerum non distinxit.

Quod

Quod autem hæc omnia, et singula Beneficia ad se jure spectent præ Parocho Pelliscriptæ probat 1. quia statim eorum possessionem adeptus est, tam in transactis adversis, quam in secundis Ecclesiæ temporibus et legitimam in ipsis institutionem accepit, 2. quia ipse statuta per *conventionem* Congrua non gaudet, 3. quia Parocho Coadjutore quam maxime indiget, cujus stipendium, si quinque, et non septem hæc beneficia essent, certe non suppeteret, 4. tandem quia ad hunc finem incolæ suæ Paræciæ hæc Beneficia fundarunt.

Reassumptis igitur foliis dierum 19. Decembris 1818., et 22. Decembris 1821. Sapientiæ Vestræ EE. PP. erit sequentia Dubia dirimere, videlicet.

I. *An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis favore Paræciæ S. Flaviani sub die* 16. *Januarii* 1819. *quoad primum Dubium in casu etc.*

II. *An, et quomodo concedenda sit absolutio a censuris in casu etc.*

Ad I. In decisis, quoad quinque Beneficia tantum tradita Parœciæ S. Flaviani, quo vero ad alia duo recedendum a decisis, et esse unienda Parœciæ S. Nicolai Pelliscriptæ, facto verbo cum SSmo, et notificetur Ministris Datariæ Apostolicæ.

Ad II. Affirmative arbitrio Episcopi.

AUXIMANA MISSÆ CONVENTUALIS. Bis controversia hæc inter Canonicos Auximanæ Ecclesiæ, et Mansionarios Canonicos Supranumerarios proposita fuit. In folio diei 16. Decembris 1820. primum de ea actum est, et tria proposita fuere Dubia, nempe, *I. An, et ad quos spectet onus celebrandi Missam quotidianam Conventualem in casu etc. II. An, a quibus, et in qua summa sit solvenda eleemosyna Missarum pro Benefactoribus in casu etc. III. An sit locus exactioni taxæ scut.* 15. 20. *a Beneficiatis, qui non sunt de Clero Cathedralis in casu etc.*, quibus EE. PP. responderunt ad *I. Affirmative, et spectare ad Capitulares tantum ad formam Benedictinæ Constitutionis. Ad II. Affirmative ex Massa distributionum ad rationem obol.* 20. *Ad III. negative.* *Sess.*24.*cap.*12. *de Reform.*

Re-

Reproposita vero fuit in Comitiis diei 24. Augusti superioris anni assueta dubii formula *An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis*. Tunc vero quoad *primum* confirmata fuit præcedens resolutio hisce verbis = *In decisis, nempe teneri omnes Capitulares Canonicos, et Mansionarios ad formam Tabellæ*. = Prorogatum vero fuit judicium quoad II., et III. dubium, responso = *Dilata ad primam post proximam, et interim servetur consuetudo* = Necesse fuit in secunda propositione *quartum* addere Dubium sub hac formula = *An, et quomodo Mansionarii munus Diaconi, et Subdiaconi in Missis Conventualibus præstare debeant in casu etc.* = cui responsum est = *Affirmative ad formam Erectionis, etiam Parochis legitime impeditis* =

Quum utraque pars rationum momenta exhibere optaret, novam propositionem ad hodierna comitia distuli, præsertim quia Mansionarii rogarunt, ut novæ Audientiæ beneficium quoad omnia dubia sibi concederetur, quibus rescripsi, *utantur juribus suis in repropositione causæ, ad quem effectum reproponatur in Folio etiam quoad primum, et quartum Dubium, non retardata interim exequutione resolutionum S. Congregationis diei 24. Augusti proximi præteriti, quæ notificentur Vicario Capitulari*.

Nihil vero mihi Mansionarii exhibuerunt, Canonici e contrario jura sua allegatione Vobis circumferenda defendunt quoad II., et III. *Dubium*, sese referentes ad præteritas allegationes quoad I. et IV. *Dubium*. De his verba facere omitto, quum nihil novi, utraque pars afferat. Pauca dicam de *II. dubio*, in quo agitur de eleemosyna Missæ Conventualis, nempe quoad eos, qui eam solvere debeant, et quoad quantitatem. Animadvertant vero EE. PP., hic non agi de Missis, quas Canonici canere debent; pacificum quidem est, ab his præstandam esse eleemosynam: sed de Missis, quæ ad Mansionarios spectare dicunt Canonici. Hi, ut onus hoc Mansionariorum esse declaretur, ad regulam generalem confugiunt, qua eleemosynæ solutione gravantur ii, quibus onus incumbit celebrandi.

Excludunt dein Mansionariorum exceptionem de Massæ deficientia. Hoc enim in superiori folio diei 24. Augusti, prout mei muneris ratio requirebat, contra *Triden-*

Trid. Sess. 21. cap. 3. de Ref. præscriptum esse animadverti. Dein probant, quod ex fundationum quoque lege tertia fructuum pars in distributiones esset eroganda. Si igitur Mansionarii massam ex consuetudine non habent, (quod abusus potiusquam consuetudo dici debet), hoc non obstare concludunt Canonici declarationi, qua ad illos, seu Mansionarios pertinere dicatur hujusmodi eleemosynæ solutio. Quo vero ad quantitatem Vestrum, EE. PP., erit decernere, utrum ad manualem sit reducenda, prout in pluribus Diæcesibus servatur.

Restat, ut dicam de taxa scut. 15. 20., quæ Capitulo pensitabatur. Dubii formula in superioribus propositionibus exhibita agit de solutione facienda etiam a Beneficiatis, qui non sunt de gremio Capituli. At si Mansionarii ad formam Tridentini distributionum Massam constituant, ex qua Missarum eleemosyna solvatur, immunes ab hac taxæ solutione sunt declarandi. Si vero Missarum eleemosyna a Capitulo est solvenda, tunc Vestrum erit decernere quomodo servanda sit hæc taxa.

Cætera habent, EE.PP., in foliis diei 16. Decembris 1820., et 24. Augusti 1822., quæ reassumere precor.

Dubia proponuntur.

I. *An, et quomodo sit standum in primo, vel secundo loco decisis quoad I. Dubium in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in II. Dubio in casu etc.*

III. *An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis in III. Dubio in casu etc.*

IV. *An, et quomodo sit standum vel recedendum a decisis in IV. Dubio in casu etc.*

Ad I. In secundo loco decisis, et amplius.

Ad II. In decisis, nempe ex Massa distributionum vel facta, vel facienda ad formam S. Concilii Tridentini Sess. 21. Cap. V. de Reformat. et Constit. sa. me. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* ad rationem obol. 20., et amplius.

Ad III., et IV. In decisis, et amplius.

Sess. 21. Cap. 4. de Ref.

TUDERTINA. Hæc causa proposita fuit die 25. Maii, elapsi an. 1822 sub sequentibus dubiis, *I. An exonerandus sit Parochus Castri Turrium ab onere celebrationis per alium diebus Festis in Oppido Barattani in casu etc. II. An, et quomodo cogendi sint incolæ Barattani Parocho aliquid contribuere, ut antiqua servetur methodus in casu etc.*, et utrique responsum fuit = *Dilata, et Episcopus, transmisso distincto statu activo, et passivo Paræciæ comprehensis incertis, referat de distantia Villæ Barattani a Paræcia Castri Turrium, de numero animarum, et familiarum utriusque separatim, et cur per symbola ad formam Concilii Trident. Sess. 24. cap. 13. de Ref. augeri nequeat congrua Parochialis* =

Responsum, EE. PP., significatum est Tudertino Præsuli, qui in novis litteris, ita postulatis satisfecit. Reditus utriusque Paræciæ accurate descripti, comprehensis etiam incertis, summam conficiunt scut. 99. et 25.; Expensæ vero omnino necessariæ, a quibus eximi nequit Parochus, summam constituunt scut. 89. et 21., itaut Parocho non supersit, nisi summa scut. 10., et trium obol. Distantia vero Villæ Barattani a Castro Turrium est 750. passuum; familiæ hujusce Villæ sunt num. 20., et animas constituunt num. 107. Familiæ vero Castri Turrium sunt 33., animæ 137. An vero supersit modus consulendi indigentiæ redituum Parochialium juxta Trident. Synod. *Sess. 24. cap. 13. de Ref.* ita concludit = *Augeri non potest congrua Parochialis ad formam Concilii Triden. causa paupertatis Paræcianorum. Antequam ego suaderem Barattani incolis, ut assentirentur exemptioni ab onere celebrationis Missæ diebus festis in eorum Ecclesia, omnem manum apposui, ut singuli pro rata augerent congruam, et omnes uno ore responderunt, non posse causa paupertatis, et quia alia onera sæculari Gubernio, ultra vires, solvere tenebantur. Interea Parocho carent, et eis opitulatur aliqua ex parte in spiritualibus Parochus Abbas Barbette Castri Veprium, tamquam Parochus proximior. Is sæpe sæpius mihi protestatur dicens, se non posse ultra procedere in exercitio propriæ, et alienæ Paræciæ, et tunc, quid consilii capiam, nescio. Peto iterum, ut EE. VV. di-*

dignentur Promothoris Fiscalis petitiones, et instantias benigne excipere, et executioni demandare =

Nihil addendum duxi sive in jure, sive in facto in hoc folio, cum omnia in præterito *diei* 25. *Maii* 1822. præoccupata sint, quod reassumere precor, PP. EE., ut respondere possint *Dubiis*, quæ iterum proponuntur.

I. *An exonerandus sit Parochus Castri Turrium ab onere celebrationis per alium diebus festis in Oppido Barattani in casu ec.*

II. *An, et quomodo cogendi sint incolæ Barattani Parocho aliquid contribuere, ut antiqua servetur methodus in casu ec.*

Ad I. Affirmative

Ad II. Ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem

BALNEOREGIEN. *VISITATIONIS SS. LIMINUM QUOAD INVENTARIUM.* In Comitiis diei 24. Martii anni 1821 actum fuit de hac causa. Tria tunc proposita Dubia fuerunt I. *An omnes quorum mentio fit in tit. 12. cap. 1. Concil. Romani adigendi sint ad exhibendum legale Inventarium juramento firmatum in casu ec.*, et quatenus affirmative. II. *An tale Inventarium renovandum sit singulis decenniis in casu ec.* III. *An contra reluctantes procedi possit pæna pecuniaria jam comminata, seu potius, ea derelicta, satius sit censuras, et pœnas in dicto capite Concilii Romani statutas per novam notificationem imponere in casu ec.* quibus EE. PP. die 14 Aprilis 1821. responderant. *Ad I. affirmative. Ad II. dilata, et Episcopus transmittat particulas Synodorum. Ad III. affirmative ad primam partem, et quoad secundam arbitrio, et prudentiæ Episcopi.* Hodierna die sermo redit de secundo *Dubio* tantum. *Sess. 24. Cap. 10., et Sess. 25. cap. 3. de Ref.*

Episcopus S. Congregationi mandatis obtemperans *unam tantum* (ait) *particulam synodi Diœcesanæ habitam*

ann. 1722. a Josaphat Baptistellio Episcopo Fulginaten., et a S. vestro consessu confirmata invenire potui, qua hæc decennalis status renovatio sancitur. En particulæ verba = *Sed ut omnis via fraudibus obstruatur juxta nostrum suprascriptum Edictum districte injungimus omnibus, et singulis, et sub pœnis ibidem expressis, ut ad formam Sixtinæ Constitut., nostræque in Appendice subjunctæ methodi infra sex menses a die apprehensæ possessionis diligens conficiant Inventarium bonorum tam mobilium, quam stabilium ac Jurium ad Ecclesias, Beneficia, vel Pia loca quomodocumque pertinentium, cujus qui lam alterum exemplar penes se retineant; alterum Nobis exhibeant in Cancellaria Nostra asservandum; illudque quolibet decennio recognosci, ac renovari volumus, ne ob confinium mutationes progressu temporis eorum memoria dilabatur. Ad asservanda autem hujusmodi Inventaria, ac jura infra eumdem semestrium terminum, et sub pœnis in ipso Edicto contentis, Archivium, vel saltem opportunum armarium sera, et clavi munitum ab omnibus omnino provisum sit iis, qui adhuc fuerint in alterutro refractarii, pro ultimo et peremptorio termino ad utrumque exequendum assignamus alium mensem ab editione præsentis Synodi, quo transacto sciant Nos ad pœnas Edicti contra omnes irremisibiliter processuros.* =

Hoc Episcopi Fulginaten., seu verius Synodi statutum una cum integra Synodo approbatum fuit ab hac Sacra Congregatione die 19. Augusti 1724. Videant nunc EE. PP. utrum applicanda sit hæc Fulginatensis dispositio in Diœcesi Balneoregien., scitum enim, quod una Diœcesis nihil communis habet cum altera, ita ut quod dispositum est in una non valeat in altera. At Episcopus Balneoregien. Inventarium decennale præscripsit, non quia hoc statuit Episcopus Fulginaten., sed quia utile suæ Diœcesi esse censuit. Si vero hoc approbatum fuit in illa Diœcesi, videtur etiam in hac approbandum juxta juris principium *ubi eadem est ratio, eadem est juris dispositio Reiffenstuel. titul. 11. de Const. §. XVIII. num. 410.*

Cæ-

Cætera habent EE. PP. in folio 24. Martii 1820. quod reassumere precor.

Dubium reproponitur.

An Inventarium renovandum sit singulis decenniis in casu etc.

Affirmative arbitrio Episcopi.

ANAGNINA NOMINATIONIS. Simon Panetta Incola Oppidi, cui nomen *Carpineto* Anagninæ Diæcesis, suspensionem nominationis ad Capellaniam in Ecclesia Archipræsbyterali ejusdem Oppidi fundatam postulavit. *Sess. 25. Cap. 5. De Reform.*

Ad Episcopum Administratorem preces remissæ fuerunt, ex cujus accurata informatione habent Emi Patres facti speciem in hæc verba. *Quum Hercules et Annunciata Panetta incolæ oppidi, cui nomen Carpineto, pro sua erga Sanctos Deiparæ parentes Joachimum, et Annam pietate sacellum iisdem constituere in sacra æde Archipresbyterali S. Joannis decrevissent, in eoque Capellaniam fundare, cujus possessori lex daretur faciendæ aliquoties rei divinæ, bona quædam sua pro istius dote assignarunt, datoque ad Anagninum Antistitem supplici libello rem totam ejus auctoritate sanciendam curavere: a quo sic est interposita, ut sibi, suisque successoribus potestatem reservaret instituendi, et adprobandi Capellanum amovibilem, quem ex concesso jurepatronatus iidem, qui Capellaniam fundaverunt, eorumque successores obtulissent. Aperta hæc sunt ex Instrumento erectionis, bona vero eidem Capellaniæ dotandæ attributa seorsim descripta sunt.*

Por-

Porro, sive quod fundorum tenuitas paucos ad optandam Capellaniam alliceret, sive quid aliud in causa fuerit, mihi quidem nullum invenire monumentum licuit instituti ab Episcopo Capellani, quumque ad obeundum Sacræ Visitationis munus Carpinetum venissem, indignum ratus sacrum patrimonium a Laicis hæredibus detineri ex canonum, quos præsertim Tridentina Synodus edidit, præscripto, declaravi, Simeonem, aliosque de familia Panetta, quod bona Capellaniæ propria ad se transtulissent, eorumque percepissent fructus, præter alias pœnas excidisse jure patronatus, ac liberum Capellaniæ, cui libeat, conferendæ jus ad ordinarium Anagninum devenisse, reservato jure compellendi eamdem familiam tum ad reddendos, quos hactenus ex eis bonis indebite perceperit, fructus, tum ad Altare ex præscripto institutorum conservandum, ac iis, quibus fuerit opus, instruendum. Quamquam hæc tamen severe decreverim, ne muneri meo deessem, nihilominus afflictæ familiæ conditionem miseratus decreti executionem in trimestre tempus distuli, intra quod liceret hæredibus ab Sede Apostolica veniam, ac forte indulgentiæ quidpiam in futurum tempus obtinere.

Postea vero quam hæredes iidem ad Amplissimum Senatum Vestrum supplices confugerunt, mihi vero datum fuit in mandatis, ut inter alia de annuo Capellaniæ reditu, et de gravi Oratorum inopia referrem, ad hæc duo responsum accepi a Vicario Foraneo probato admodum viro; Quoad reditum tamen hoc animadverto, certum quidem videri, tenuiorem esse illum, quam Ecclesiæ Capellaniæ dignitas ferret, cum in ipsis primævæ institutionis tabulis ad quatuor dumtaxat scutata, et obolos quinque supra nonaginta pertingere declaretur, haud facile tamen esset, certum ejus modum cognosci, quandoquidem acta visitationis cl. me. Episcopi Filipponi ad scutata quinque, et ob septem supra quinquaginta eumdem augeant. Oneri tamen Missarum satis foret vel prior ille, quem descripsi redituum modus: quoniam pro manuali, quam vocant, eleemosyna quindecim obolos Diœcesana Synodus constituit, adeo ut viginti quinque Missarum celebratio non amplius quam tria scutata, et obolos viginti quinque desideret.

His

His expositis, ut meam ego sententiam expromam, hoc animadverto, pluribus exemplis comperuisse me, quam facile sacrum Ecclesiæ patrimonium cum privatis familiæ rebus laici homines commisceant, quam licentiam reprimi severius oporteat. Quo circa præteriti quidem errati veniam, tum juris amissi recuperatione facile dandum: at in futurum tempus nihil amplius indulgendum arbitrarer, quam ut quinquennio vel septennio liceat Oratoribus, bonis Capellaniæ, de qua agitur, propriis uti fruique, ita tamen ut ejusdem Capellaniæ oneribus plene satisfaciant, eaque in publicis tabulis ex Lege Principis inscribenda quamprimum curent. =

Videant nunc EE. PP., utrum expediat Capellaniæ suspensionem, et petitam administrationem indulgere.

Petita sane administratio secumfert suspensionem Nominationis, propterea que diuturnam vacationem beneficii, quæ nedum voluntati Fundatoris, sed dispositioni etiam juris adversatur, teste *Card. de Luca de Jurepatr. Disc. 20. n. 2, et S. Congr. in Collen. 30. Aug. 1788., et in Camerinen. Suspensionis Nominat. 12. Feb. 1813.* Verum ex æquitate Canonica Patrono egenti succurritur, si ad inopiam vergat, cum charitas christiana non sinat, ut stipem quæritare cogatur, aliquando per suspensionem nominationis, ut, impletis oneribus, reliqui fructus erogentur in levandam Patronorum inopiam, ut in *Montis Regalis Capellaniarum 23. Novembris* 1793; aliquando vero per administrationem beneficii ut in *Asculana Dispensationis 20. Maii* 1786.

Solemnis hanc in rem sanctio extat Concil. Toletani IV. Can. 37. quae jubet, *ut Patroni, eorumque filii redacti ad inopiam ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro temporis usu recipiant, et Clemens III. in Cap. Nobis 25. de Jurepatr.* expresse præcipit, quod si *Patronus ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste succurratur.* Unde hæc Sacr. Congregatio indigenti Patrono sæpe auxiliata est per concessionem Administrationis, *ut in Segovien. Capellaniæ 17. Novembris 1731., et in Asculana Dispensationis 22. Junii* 1805.

Hinc quæstio inter Canonistas, num paupertas Patroni esse debeat *absoluta*, ita ut non habeat unde vitam ducere, ut *tradit Barbos. Juris Eccles. Univers. Lib.*

3. Cap.

3. *Cap.* 12. *n.* 17., seu potius *respectiva* ita ut Patronus vivere nequeat pro suo gradu et Conditione, ut tradit *Fargna de Jurepatr. part.* 1. *Can.* 3. *Cap.* 1. *num* 8. Hæc tamen dissidens opinio conciliata videtur ex Resolutionibus Sacr. hujus Congregationis. Ubi enim agitur de suspendendis ipsis Missarum oneribus ad levandam paupertatem Patroni, tunc certe requirit paupertatem *absolutam*, ut in *Camerinen.* 20. *Aug.* 1784., *et* 27. *Novembr.* 1786. Si vero actum sit de sola suspensione Nominationis, ut impletis oneribus Patronus superextantes reditus percipiat, tunc sane respexit etiam ad paupertatem *respectivam* ut in *Asculana Dispensationis* 23. *Maii* 1786. *et in Aquen. Capellaniæ* 20. *Januarii*, *et* 3. *Februar.* 1787. De paupertate vero *absoluta* Simeonis, et hæredum Panetta ineluctabile documentum præbet fides Rectoris Paræciæ, quæ ab Episcopo confirmatur.

Animadvertendum est insuper, quod numquam sequuta est Capellani Nominatio et Institutio, incipiendo a die fundationis usque ad præsens tempus, quod lapsum 123. annorum comprehendit. *Observantia* igitur *centenaria*, præsumptionem inducit cujuscumque melioris tituli etiam adversus Legem Synodalem, ut statuit *Rota in Tudertina Immissionis* 13. *Martii* 1798. § 6. *coram Emo Cesarei*.

Quum ergo centenaria consuetudo suppeditet meliorem titulum, ut ajunt, de mundo, videant EE. PP. si hæredes Panetta jus habeant ad aliquid veniæ obtinendum, præsertim quoad petitam Nominationis suspensionem, nec non capellaniæ administrationem, ut impletis oneribus superextantes reditus percipere possint ad sublevandam eorum inopiam.

At ne fundi pereant, præscribenda erit inscriptio ipothecaria, quam leges præcipiunt, docto apud Episcopum de annuo onerum adimplemento.

His expositis, Vestrum nunc erit EE. PP. respondere.

Dubio

An, et quomodo sit locus suspensioni Nominationis in Casu etc.

Non proposita cum sequenti.

PI.

PISANA. Petrus Aeneas Gaeta, qui antea Clericali militiæ nomen dederat defuncta prima uxore, et post viduitatem per septennium servatam secundas iniit nuptias. Secunda uxor pariter fato cessit duas ex se relinquens filias. Unicus, quem ex prima uxore suscepit, filius in aliam receptus est familiam, vitamque seorsim a parente agit.

Sess. 23. Cap. 17. De Reform.

Filiæ vero, quas in secundis nuptiis procreavit, erunt in Monasterio quanto citius collocandæ. Notarii Criminalis munere viginti annos functus est, quin tamen Sanguinis Sententiam dixerit, vel ad eam aliquo modo operam dederit, cum pœna mortis, et mutilationis tunc temporis sublata fuisset per leges in Etruria vigentes.

Ob bigamiam prohibetur, quin ad Sacros Ordines promoveatur et adipiscatur Canonicatum Majoris Ecclesiæ Pisanæ, quapropter SSmum exoravit, ut per Apostolicam dispensationem Clericali Militiæ adscribi, et Canonicatus potiri valeat.

Vacans Canonicatus est de jure patronatus activo, et passivo Familiæ Gaeta, et Orator sub die 27. Dec. 1821. nominationem obtinuit a Francisco Gaeta sub spe obtinendæ dispensationis ab omni irregularitate. *Ed in caso che detto Sig. Dottore Enea Gaeta presentato come sopra, o non voglia accettare detta presentazione, o anche accettandola non possa conseguire la Canonica Istituzione di essa per mancanza della necessaria dispensa da ogni irregolarità . . . . ha presentato, e presenta alla detta Prebenda Canonicale . . . . . . Giuseppe del Sig. D. Carlo Pucciardi Nobile Pisano.* Post hanc factam præsentationem, et admissam per Curiam Pisanam cum consueta clausola *si, et in quantum, et quatenus de jure* Petrus Gaeta supplex adiit Summum Pontificem, ut ab irregularitatibus eum dispensaret. Hujusmodi preces ab Eṁo Secretario Brevium remissæ fuerunt die 11. Januarii 1822., nempe die 15 post præsentationem Ordinario, pro informatione et voto auditis. At comparuit die

16. Januarii 1822. in eadem Curia Clericus Joseph Pucciardi rogans, ut Archiepiscopus declararet, Petrum Æneam Gaeta omni jure excidisse eo, quod ille nec intra quadrimestre spatium, nec intra tempus postea sibi præfixum ab Ordinario Canonicam dispensationem a SSmo obtinuisset. Hæ preces, et alteræ Petri Gaeta a laudato Emo Secretario Brevium huic S. Congregationi ex audientia SSmi die 12. Martii 1822 remissæ fuerunt. Ex hac facti expositione exurgit quæstio, quam sub quadruplici dubiorum formula vobis dirimendam subjicio

In primo igitur dubio quæritur, an orator Petrus Æneas Gaeta propter munus Notarii Criminalis, quod exercuit, in irregularitatem inciderit.

Apostolus in Episcopis, et Diaconis inter cætera requirit ut non sint percussores. Quapropter is, qui in judicio criminali per capitis sententiam utcumque legitimam aut per quamlibet in judicio Capitali partem notarii, assessoris, patroni, vel testis pænam sanguinis quoquemodo procuraverit, irregularis evadit. *Alex III in cap. Clerici 5 ne cler. vel Monachi et Innocent III cap. sent Sanguinis eod. tit. Innoc. I. in can. aliquantos* 1. *dist.* 55. *Cap.* 4. *de rapt. et cap.* 10. *de exces. prel.*

Hinc profecto patet, tunc tantum aliquem irregularem fieri, cum muneris sui ratione Sententiam Sanguinis procurarit.

Id etiam abunde colligitur ex canonibus Concilii Londinensis anni 1075. 1102 et 1175. et præsertim ex decreto *Concilii* Lateranensis IV. *sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur*, intersit. *Nec quisquam Clericus litteras scribat aut dictet pro vindicta sanguinis destinandas.* Cum igitur orator Gaeta nequaquam in judicium sanguinis intervenerit (hujusmodi enim pænæ per leges tunc temporis in Etruria vigentes omnino exoleverant) patet profecto, eum irregularitatem non contraxisse. At dicendum est, quod per se non stetit, si pæna capitalis inflicta non sit tempore, quo Notariatum exercuit. Poterant enim leges immutari, et ipse tunc facillime in capitali judicio

opem

opem tunc dedisset præsertim, quia ob munus suum de atrocissimis quoque Criminibus agere debebat.

Secundo loco quæritur, an sit consulendum SSmo pro dispensatione. Quoties EE. VV. putaverint, oratorem propter munus Notarii Criminalis irregularem non evasisse, tunc dispensatione hac de causa non indigebit. Videndum porro restat, an sit ei concedenda dispensatio ab irregularitate contracta ex bigamia. Eos, qui Sacris Ministeriis mancipari desiderant, aut continentiæ dono insignes, aut unius uxoris viros fore debere Ecclesiastica regula docet; Apostolus enim in prima sua *epistola ad Timotheum cap.* 3. describens qualitates in Episcopis, ac Diaconis necessarias inter cætera dicit: *oportet Episcopum irreprehensibilem esse unius uxoris virum*: deinde de Ministris eloquens ait *Diaconi sint unius uxoris viri.*

In hunc Apostoli locum ita diserte ait clarissimus Estius: Est igitur hujus loci verus commentarius *oportere Episcopum esse unius uxoris virum . . . . . . Denique propter hanc Apostolicam legem Ecclesia bigamos a Sacris Ordinibus semper repulit, bigamos utique intelligens eos, qui priore conjuge mortua duxissent alteram . . . . . His præmissis . . . . . . inhibitum est ne bigamus, aut viduæ maritus possit ad Sacros ordines promoveri: quia nec illa est una unius, nec iste est unus unius.*

His tamen non obstantibus constans est Theologorum, Canonistarumque Sententia, Romanum Pontificem in irregularitate ista dispensare posse, quia ex jure Ecclesiastico fluit: sic Lucius cum perillustri Canonista Archidiacono Panormitano, qui bigamus erat, dispensavit teste Glossa *in Cap. Lector.* 18. *dist.* 34. Posita vero Summi Pontificis potestate, de qua nullum excitari potest dubium, inquirendum, an justa, ac rationalis occurat causa, ut sit SSmo pro dispensatione consulendum. Ex generali regula compertum est dispensationes non concedi, nisi evidens adsit necessitas, vel utilitas Ecclesiæ.

Porro in casu agitur de sene, aliquanto auribus capto. Agitur de eo, qui post obtentam præsentationem dimisit habitum Clericalem, ex quo dubitari posset, ei dees-

se Ecclesiasticum spiritum, quo destitutus non modo inutilis, verum etiam noxius erit Ecclesiæ. Timendum est etiam, ne Orator aut turpis quæstus, aut honoris causa ad sacra contendat Ministeria.

Verum animadvertendum est, an his omnibus obsistant tenuitas redituum Canonicatus, qualitas Patroni activi, et passivi in Oratore, quo in casu sæpe sæpius gratias concessit hæc S. Congregatio, quia jura omnia his plurimum favent, et demum defectum in auditu non esse adeo gravem, ut Orator surdus omnino dici possit, nec hujusmodi est, ut eum omnino a Sacerdotio arceat, nec pro Præbenda, de qua sermo est, Sacerdotium requiritur.

In ultima dubii formula quæritur, an propter lapsum temporis ab Ordinario designati ad obtinendam a S. Sede dispensationem Orator exciderit jure suo, uti contendit Pucciardi legitime impedito tempora non currunt, idque commune est in utroque jure tum civili, tum Canonico.

Terminus ab Ordinario præfixus expiravit die 30. Decembris. Preces pro informatione ablegatæ fuere die 11. Januarii proxime sequentis: hinc dubium remanet, an eædem preces post lapsum termini fuerint oblatæ, seu potius (quod probabilius videtur) ante Natalitias Ferias, unde dici possit, per oratorem non stetisse, quominus dispensatio obtineretur tempore habili, sed si mora temporis intercessit, id factum est propter ingentem negotiorum molem, quæ ex omnibus mundi partibus ad Sanctam Sedem confluunt.

Hisce positis, satisfaciant rogo EE. PP. quæstionibus, quæ proponuntur. Sint igitur.

Dubia

I. *An Petrus Æneas Gaeta propter munus notarii Criminalis irregularis evaserit in casu etc.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate ex bigamia in casu etc.*

IV. *An Petrus Æneas propter lapsum temporis ab Ordinario præfixi jure suo ceciderit, ita ut institutio danda sit Clerico Pucciardi in casu etc.*

Die Sabathi 22. Februarii 1823. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ANAGNINA NOMINATIONIS. *Sess. 25. Cap. 5. de Ref.*

Dubium.

An, et quomodo sit locus suspensioni nominationis in casu etc.

Affirmative, juxta votum Episcopi Administratoris, qui interim curet fieri inscriptionem hypothecariam super bonis Capellaniæ; et quoad præteriritum celebratis quatuor Missis lectis pro gratia absolutionis, et condonationis fructuum facto verbo cum Sanctissimo.

PISANA. *Sess. 23. Cap. 17. de Ref.*

Dubia.

I. *An Petrus Æneas Gaeta propter munus Notarii Criminalis irregularis evaserit in casu etc.*

Et quatenus affirmative.

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione in casu etc.*

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate ex bigamia in casu etc.*

IV. *An Petrus Æneas propter lapsum temporis ab Ordinario præfixi jure suo ceciderit, ita ut institutio danda sit Clerico Pucciardi in casu etc.*

Ad I., et II. providebitur in III.

Ad III. Negative.

Ad IV. Quoad primam partem jam provisum, quoad secundam institutionem dandam esse Clerico Pucciardi.

FE-

Sess.23. Cap.1. de Ref.

FERETRANA RESIDENTIAE, et DISMEMBRATIONIS. Pluries de hac causa actum fuit in S. Congregatione. Facti speciem habent EE. PP. in folio 30. *Augusti* 1817., in quo tria proposita fuere dubia = *I. An Archipresbyter Gambetti cogendus sit ad residentiam in Ecclesia S. Petri in Cultu, in casu etc.*, et quatenus negative. *II. An, et quomodo sit locus dismembrationi Oppidi Mercatini, ejusque agri a Parœcia di Talamello in casu etc.*, et quatenus affirmative. *III. An, et quomodo constituenda sit congrua novo Parocho deputando in Ecclesia S. Petri in Cultu Oppidi Mercatini in casu etc.* Quibus responsum fuit ad I. *affirmative*, ad II., et III. *Provisum in primo*. Novæ audientiæ Beneficio a Parocho Gambetti obtento, reproposita fuit causa die 21. *Februarii* 1818, et dilationem petente Archipresbytero, responsum est *dilata ad primam post agnos omnino, et infallanter.* Tunc vero die 2. Maii 1818. favore Parochi fuit resoluta rescripto *recedendum a decisis.* Die 18. Septembris 1819. quarto fuit proposita instante Populo Mercatini, et rescriptum prodiit *dilata, et proponatur in prima post aquas omnino, et infallanter*, in sequenti vero Congregatione 20. *Novembris* 1819. *in primo loco decisis* responsum est. Tandem in Congregatione 16. *Septembris* 1820. rescriptum fuit *in primo, et tertio loco decisis, et amplius.*

Incolæ Talamelli hanc S. Ordinis resolutionem ægre ferentes supplices SSm̃um adierunt petentes, ut iterum causa proponeretur, quum jura sua defendere vellent, quoniam iis inauditis semper causa fuerit proposita. SSm̃us benigne facultatem petitam impertitus est. Hodierna igitur die causa proponitur, et quamvis contradicente parte hæc dies fuerit constituta, nihil Talamellenses exhibuerunt. E contrario Incolæ Mercatini jura sua defendunt allegatione distributa.

Negant Mercatinenses Talamelli Communitatem legitimo modo in judicio stare, quum Mandatum Procuræ non fuerit legitime exaratum, quia convocatum Consilium Municipale minime fuit, nec hujusmodi agendæ litis venia concessa fuit a S. Congregatione Boni Regiminis. Præterea ait defensor Mercatinen-

pensium, nullum jus esse Parochianis impedire, quin Parochus in propria, et vera sit residentia, ideoque in primo suæ defensionis capite postulat, ut vel omnino rejiciatis, EE PP., Tamellensium petitionem, vel saltem rescribatis = *Dilata, et exhibeatur Mandatum Procuræ in forma juris valida Communitatis Talamelli, et villarum adnexarum.* Verum, ut omnino continuentur S. Ordinis resolutiones, eadem fere argumenta, quæ alias proposuit, affert, quæ omnia quum in superioribus foliis sint præoccupata, ne molestus sim, reassumere precor præterita folia, ut respondere possitis iis, quæ proponuntur, Dubiis

I. An sit standum in primo, et tertio, seu potius, in secundo loco decisis in casu etc.

Et quatenus negative ad primam partem.

II. An, et quomodo sit locus dismembrationi Oppidi Mercatini, ejusque agri a Parœcia di Talamello in casu etc.

Et quatenus affirmative.

III. An, et quomodo constituenda sit congrua novo Parocho deputando in Ecclesia S. Petri in Cultu Oppidi Mercatini in casu etc.

Ad I. Affirmative in primo, et tertio loco decisis. A. II., et III. provisum in primo.

NULLIUS S. MARTINI REDUCTIONIS SERVITII CHORI. Fuit jam hæc causa proposita die 11. Septembris 1820 sequentibus dubiis. *I. An, et ad quod tempus sit proroganda suspensio nominationis in casu etc. II. An, et quomodo sit prorogandum indultum quoad servitium Chori in casu etc. III. An, et quomodo, et ad quod tempus sit concedenda suspensio celebrationis Missarum in casu etc.* Quibus Emi PP. sub die 16. sequentis Decembris responderunt. *Ad I. affirmative ad triennium a die expirati indulti, et interim Emo Protectori, qui transmisso statu activo, et* *Sess. 26. Cap. 15. de Ref.*

pas-

passivo Capituli dignetur referre de antiquo, et præsenti numero Canonicorum, de redditibus, quos ex fundatione ipsi percipiebant, et modo percipiunt, de qualitate servitii præstiti post partialem LL. MM. restitutionem. Ad II. Affirmative, ad Annum, ampliato servitio juxta solitas clausulas, exceptis octavis privilegiatis, et compræhensis quatuor Anniversariis. Ad III. Negative.

Iterum instante Capitulo eadem dubia disceptata fuere in Comitiis diei 24. Augusti elapsi anni, ac prodiit resolutio. *Ad I. Affirmative ad triennium. Ad II. Affirmative ad triennium, et interim Emus Protector referat de divisione totius reditus scut. 403. 72, et cujus favore cedant reditus duorum Canonicatuum suspensorum. Ad III. In decisis.*

Hodie itaque cum Canonici nihil deduxerint contra ultimam Resolutionem, causa iterum proponitur quoad secundum dubium tantum, cujus definitioni viam sternit Emus Protector, referens scut. 403. 72. ita dividi Abbati ɣ 60. 40., Archipresbytero ɣ 45. 30., singulis octo Canonicis ɣ 30. 20., Sacrario ɣ 30. Sacristæ ɣ 12. Canonico Camerario ɣ 2., Negotiorum Gestori in Urbe ɣ 10., pro sexdecim Missis in Anniversariis ob auctam eleemosynam ɣ 2. 40.

Hæc quoad divisionem reditus Scut. 403. 72. Quo vero ad alterum, nimirum = *cujus favore cedant reditus duorum Canonicatuum suspensorum* = hæc superaddit Emus Protector = *Initio iterum hic referam, quod pariter in superiore meo suffragio exposueram, particulam scilicet Litterarum Apostolicarum S. M. Clementis IX. Anni* 1668., *sive Constitutionum, quæ ab istis Litteris deinde fuerunt excerptæ, atque reformatæ a cl. me. Cardinali Marco Antonio Columna tunc Protectore, et a Capitularibus temporis illius. Constitutionibus hisce regitur Capitulum. Itaque in his legitur in Cap. 2. de Abbate in fine* = ibi = *Duas integras portiones ex communi Massa annuatim exiget Abbas, quarum unam in præbendam, alteram in distributiones quotidianas dividendas percipiat = Cap. 3. de Archipresbytero in fine = De Massa autem communi unam partem cum dimidio percipiat = Cap. 5. de Canonicis in fine = Singuli ex communi Massa annua-*

nua-

nuatim unicam portionem lucrentur, medietatem videlicet in præbendam, reliquam in quotidianas distributiones dividendam videlicet ita, ut singulis horis canonicis, aliisque divinis præsentes proportionabiliter ratam distributionem earumdem lucrifiant, vel absentes amittant = In vacationibus vero, sive per mortem, sive renunciationem præbenda manet commodo Sacrarii, distributiones autem dividentur inter præsentes.

Hisce præmissis, respondeo vestro postulato 2.° = cujus favore cedant reditus duorum Canonicatuum suspensorum = Sane hi reditus jugiter in hodiernum diem erogati fuere tamquam si ageretur de Canonicatibus vacantibus juxta præfatas Constitutiones reformatas a prælaudato cl. me. Card. Marco Antonio Columna, scilicet pro parte dimidia in distributiones, et pro altera dimidia parte in præbendam, quæ cedit commodo Sacrarii, ideo facti sunt sumptus necessarii pro Ecclesia, et fieri pergunt, ut debuissent converti in augmentum aliarum Præbendarum. Distributiones consistunt in solis punctaturis illorum dierum, quibus Canonicus tenetur inservire Choro; hujusmodi vero punctaturæ veniunt nomine distributionum examussim quia inter præsentes dispertiuntur. Quum itaque bini suspensi Canonicatus habeantur perinde ac si Canonici abessent, idcirco medietas utriusque præbendæ conversa est in distributiones pro rata inter præsentes.

Punctaturæ uniuscujusque Canonici sunt obolorum octo pro qualibet *Officiatura, ut semper in more positum fuit anteactis temporibus, idest ad Matutinum obol. 2., ad horas obol. 2., ad Missam cum cantu obol. 2., ad vesperas, et Completorium obol. 2. Hoc tamen discriminis est, quod in statu veteri punctatura obol. 8. erat quotidiana, quoniam servitium Chori alternatim quotidianum erat; at in præsenti statu reductionis Chori ipsa hæc obol. octo punctatura locum sibi haud vindicat, nisi diebus iis, quibus Capitulares Chori servitio tenentur. Quod reliquum præbendæ est, universum vertitur in commodum Sacrarii, quod onere premitur solvendi eleemosynam tum Missarum Conventualium hebdomadæ, tum sex Missarum privatarum cujuslibet Mensis, quas unusquisque ex Canonicis vacantibus, aut suspensis celebrare deberet.*

At præter ordinarias obolor. octo punctaturas sunt quoque extraordinariæ, nempe obol. 10. pro Missis solemnibus Archipresbyteralibus; trium juliorum pro Abbatialibus; item obolorum decem pro supplicationum genere, quod Processiones vocamus, diebus Rogationum, itidem obol. 10. pro unaquaque Officiatura postremis quatuor Majoris Hebdomadæ diebus. Hæ quoque punctaturæ pro rata inter præsentes dividuntur.

Redditus autem, sive pensiones annuæ uniuscujusque domunculæ spectantes ad unamquamque Canonicalem præbendam considerari queunt plus minus juxta statum, et necessitates Inquilinorum, itaut detractis = gli Sfitti, ed acconcimj = competant.

Abbati	₰	11. —
Archipresbytero	₰	7. 50.
Canonico unicuique	₰	5. 50.

Distributiones annuæ, sive punctaturæ duorum Canonicatuum suspensorum, juxta calculum Canonici Camerarii, sunt scutorum trium, et nonnullorum obolorum.

Hisce positis, Eminentiarum Vestrarum fidelibus oculis subjicio totum annuum reditum hodiernum cujuslibet Individui.

Canonico unicuique

Ex fructibus LL. MM	₰	30. 20.
Ex pensionibus Domuncularum	₰	5. 50.
Ex distributionibus annuis	₰	3. —
In totum	₰	38. 70.

Abbati

Ex LL. MM	₰	60. 90.
Ex pensione Domunculæ	₰	11. —
Ex dicto lucro annuo	₰	3. —
In totum	₰	74. 90.

Abbas præterea percipit alia annua scuta 20. Verum hæc haud scaturiunt ex Massa communi redituum Capituli, sed ex pensione quadam in tot Locis Montium relicta a cl. me: Card. Pamphilio, atque idcirco annuus

nuus Abbatis proventus e scut. 74. 90. *exurgit ad* ₰ 94: 40.

Archipresbytero.

Ex LL MM.	₰ 45. 30.
Ex Domuncula	₰ 7. 50.
Ex prædicto annuo lucro	₰ 73. —
In universum	₰ 55. 80.

Cætera, quæ tum in jure, tum in facto animadvertenda essent, habent Emi PP. in foliis dierum 11. Septembris 1820, et 24. Augusti superioris Anni, quæ reassumere precor, ut respondere possint dubio.

An, quomodo, et ad quod tempus sit prorogandum indultum quoad servitium Chori in casu etc.

Affirmative donec augeantur reditus ad formam Indulti die 16. Decembris 1820:, ampliato servitio etiam ad Octavas privilegiatas.

CALARITANA REDUCTIONIS MISSARUM. Cum in S. Visitatione peragenda Ecclesiæ Parochialis, et Collegiatæ Ecclesiæ Civitatis Calaritanæ Archiepiscopus Augustinus Delbechi anno 1766. agnoverit, dotem illius Ecclesiæ imparem omnino esse honestæ substentationi viginti, et octo Presbyterorum, quibus constabat Collegium Beneficiatorum, ipsi Ecclesiæ plura addixit pia legata anniversariorum, et Missarum, atque præscripsit, quod ex eorum proventibus, servata tantum manuali Missæ eleemosyna pro Sacerdote celebrante, conficeretur fundus constituens mensilem ditributionem dictam *Gialla*, unde extraherentur *Punctaturæ*, quibus exoneravit primævam mensilem distributionem dictam *Bianca*.

Sess. 25. *Cap.* 3. *de Ref.*

Non multum inde profecit Beneficiatorum Collegium; ita

enim adaucta sunt onera, ut quotannis essent celebrandæ numero 1745. Missæ lectæ, numero 35. Anniversaria, et numero 1707. Anniversaria duplicia, ac simplicia, præter plures alias missas cum cantu, pro quibus oneribus libellæ Sardæ 3960. impendi debebant.

Præterea temporis progressu ob publicas vicissitudines, et sine ulla Beneficiatorum culpa valde etiam imminuti sunt illius massæ reditus, adauctæque impensæ. Unde factum est, ut ad reparandas Domos Gallorum tormentis bellicis pene dirutas ingentem pecuniæ summam mutuari coactum fuerit Collegium, cujus fructum in ratione 5. pro centum annuatim solvit, itemque consumere varia legata, quæ numerata pecunia ipsi tradita erant, ut fructifera redderentur per census juxta Bullam S. Pii V.

His de causis status passivus ejusdem Massæ activum superat per L. 1427. 10. 6. idest scut: Rom: 479. 36. Nam reditus nunc sunt L. 8456 4. 11. expensæ vero 9883. 15. 5. Non obstante tamen insigni damno Beneficiati referunt, se usque nunc exacte oneribus satisfecisse.

Ne vero vulnus incurabile fieret, supplices SSmum rogarunt, I. ut missæ huc usque ultra vires celebratæ pro celebrandis in posterum computentur donec æquetur datum, et acceptum legatorum; interim vero eleemosynæ ad Massæ redintegrationem applicentur.

II. Ut satisfactio Legatorum, quæ in numerata pecunia suscepta sunt impendenda ad modum census in ratione 5. pro 100., quæque in domibus restaurandis impensa fuerunt, computetur non in ratione 5. pro 100., sed juxta proprium actualem eorum fructum.

III. Pariter, ut omnium legatorum satisfactio fiat juxta proventum fundorum hypothecatorum, et ut ab Archiepiscopo unicuique legato fundus proprius assignetur. Archiepiscopus, quem de precibus rogavi ut accurate referret, quatuor elegit Ecclesiasticos Viros partim ex Primatiali, partim ex Collegiata Ecclesia, ut re mature perpensa remedia proponerent, quo Beneficiatorum necessitati consultum foret. Quid ipsi innuant in eorum folio ab Archiepiscopo remisso hic referam.

„ I.

" 1. Sua Santità colla pienezza di sua Autorità potreb-
" be disobbligare la Massa della Comunità di S. Eu-
" lalia dalla celebrazione annua degli Anniversarii
" in Terno, essendo doppi, e degli Anniversarij senza
" za terno detti semplici in numero di 1719., uni-
" ti gli uni agli altri, come pure potrebbe disobbli-
" garla dalla celebrazione delle Messe cantate, che
" si celebrano dai residui (ove ve ne siano) dei Be-
" nefizj, che hanno i fondi loro separati dalla am-
" ministrazione della detta Massa, ed in vece obbli-
" gare la prefata Massa alla celebrazione della Mes-
" sa quotidiana Conventuale, finora non stabilita *pro*
" *Benefactoribus*, potendo Sua Santità applicare il
" frutto delle Ore Canoniche ai Benefattori, i quali
" nel legare detti Anniversarii doppj, e semplici, eb-
" bero l'intenzione di aumentare le distribuzioni de'
" Benefiziati, e di contribuire all'onesta loro sosten-
" tazione.

" 2. Sua Santità potrebbe accordare, che dal fondo del-
" le limosine corrispondente alla celebrazione di det-
" ti 1719. Anniversarj doppi, e semplici, come pu-
" re, che dal piccolo fondo da ricavarsi dai residui
" di alcuni Benefizj fuori di Massa per celebrarne tan-
" te Messe cantate facienti L. 816. 10. 6. all'anno se
" ne formino due porzioni uguali da impiegarne una
" nella conservazione delle ipoteche, e l'altra in di-
" minuzione delle proprietà censuarie, di cui nelle sue
" rovinose strettezze si è dovuta onerare la Massa, fi-
" no alla totale loro estinzione.

" 3. Essendo le Messe lette, o basse da celebrarsi dalla
" Comunità di S. Eulalia in numero di 1745. all'anno
" potrebbe Sua Santità autorizzare l'Ordinario alla de-
" stinazione delle Ipoteche, che siano idonee a rende-
" re il frutto sufficiente, onde ricavarne non solo la
" limosina di dette Messe, ma eziandio i capi soldi,
" ed il Donativo, o Contributo di S. M. in ragione
" al 5. per 100.

" 4. Inoltre, poichè esse Messe basse, o lette sono
" differenti nel numero parziale per la diversità dei
" Legati, si desidera da Sua Santità il permesso di po-
" ter formare di tutte una causa pia comune nell'ap-
" licazione in suffragio di quei, che proporzionata-

men-

„ mente contribuirono ad un tal legato, levando la
„ condizione di Altare, e giorno determinato per quel-
„ le Messe, che l'hanno fisso, ed elevando la limosina
„ di dette Messe lette almeno a due Reali, ossiano
„ dieci soldi Sardi netti al Celebrante, restando a
„ carico della Massa i pesi della Sagrestia, vino, ce-
„ ra, e paramenti.
„ 5. E siccome negli anni addietro si sono omessi molti
„ Anniversarj doppj, e semplici, quantunque senza
„ dolo, potrebbe Sua Santità condonare ai Benefi-
„ ciati di S. Eulalia questa ommessione, non po-
„ tendo supplirsi senza grave incomodo, e nuovo
„ pregiudizio delle finanze della Massa. =

Laudat Archiepiscopus proposita media, et hæc habet in sua informatione. „ Itaque re diligentissime per-
„ pensa, nihil de antiquis reditibus bonorum gravato-
„ rum plane definiri, aut dilucidari potuit (prædi-
„ cta deputatio), cum multæ rerum, ac temporum
„ varietates a primæva institutione ad præsentem
„ diem ipsos obruerunt . . . . Facta modo diligenti
„ computatione actualium redituum ad rationem de-
„ cennii, exinde evidenter innotuit, distributionum Mas-
„ sam ascendere ad libras monetæ nostratis 8456. 4. 11.,
„ quæ summa ad rationem monetæ Romanæ exacta
„ respondet scut. 2818 8. 4, sed nonnulla ex hac
„ summa sunt detrahenda ob causas, quæ sequun-
„ tur; primum nempe pro summis non solutis jux-
„ ta calculum decennii; secundo pro fructibus æris
„ alieni, quo opus habuit pro domorum restaura-
„ tionibus, et pro substinendis massæ oneribus an-
„ norum hactenus præteritorum: quæ omnia summam
„ conflant Lib. Sardæ monetæ 2791. 10. 8., quæ res-
„ pondent scut. Roman. 930. 10. 3. Nihil aliud pro-
„ pterea liberum manet, quam annuus reditus Li-
„ brarum 5664. 14. 3., seu scutor. Roman. 1888.
„ 4. 9.

„ Quamvis autem ad hanc summam dumtaxat annuus
„ reditus redigatur, majora tamen fuerunt onera, quæ
„ prædictum Collegium sustinere debuit. Nam pro an-
„ nualibus expensis requiruntur Lib. hujus monetæ 1976.
„ 16. 8.: pro Missis lectis, quibus obnoxia est massa
„ L.828. 17. 6.: pro Anniversariis una cum eleemosyna
L.

„ L. 275. 12. 0. : pro eleemosyna celebrationis Mis-
„ sarum cum cantu L. 810. 16. 6 : pro eleemosyna
„ earumdem inter Beneficiatos distribuenda 2045.
„ 8. 2. : denique pro pensionibus nonnullis Benefi-
„ ciatis assignatis in tabulis fundationis, ac pro dis-
„ tributionibus, quas vocant *Bianche*, omnibus Bene-
„ ficiatis erogandis L. 1154. 14. Onera itaque, quæ
„ ex communi Massa solvuntur, sunt L. 7092. 4. 9.,
„ quæ ad monetæ Romanæ rationem respondent scu-
„ tatis 2364. 1. 7., ac propterea annualem reditum
„ superant gravamina lib. 1427. 10. 6. sive scuto-
„ rum Romanæ monetæ 479. 3. 6.

„ Ut hæc omnia præ oculis distincte habeant EE. VV.
„ RR. adnexum statum confici mandavi, nihilque
„ addendum superest, nisi hoc, quod EE. VV. con-
„ siderationi subjicio; primo scilicet Missarum elee-
„ mosynam ex postremo Pontificio Indulto eleva-
„ tam fuisse ad taxam Concilii Romani ab Emo Car-
„ dinali Didaco Gregorio Cadello Archiepiscopo Ca-
„ laritano prædecessore meo, quod indicatur in ad-
„ nexo statu. Secundo Domorum locationes vix ad
„ usuras quadrantes, seu uti dicunt trium pro cen-
„ tesimis capitalium respondere; in censibus vero
„ computari ad rationem semissis, vel quincunciis.
„ Tertio non semper impleta fuisse legata Missarum jux-
„ ta numerum præfixum a decretis Pastoralis Visita-
„ tionis memorati Archiepiscopi Delbechi, cum ex actis
„ administrationis adpareat, aliquando, et raro quidem
„ ad medietatem fere fuisse redacta, quin hujus decre-
„ menti ratio ulla indicetur „.

„ Nunc ad causas, quod attinet, pro quibus tam grave
„ præjudicium massa communis experitur in singu-
„ los annos, hisce literis adnectendum existimo li-
„ bellum ab eisdem personis deputatis oblatum, in
„ quo causæ omnes prædictæ exponuntur, quin opus
„ sit, ut aliquid ego subjungam. Etenim veræ om-
„ nino sunt, nec dubium superest, quin ipsis per-
„ severantibus, paulatim eadem Massa decrescat,
„ ut tandem omnino depereat. Hinc est, quod in
„ eodem libello remedia quædam proponuntur, quæ
„ aptiora videntur, quæque huic præjudicio occurrere
„ aliquo modo valent. Quoad primum hujusmodi reme-
„ diorum æquum apparet, massam communem ab one-
„ re omnium Anniversariorum liberari, et in eorum lo-

„ cum

,, cum Missam conventualem præscribi nondum in ea
,, Ecclesia institutam, cujus applicatio quotidie una cum
,, fructu horarum canonicarum in favorem piorum be-
,, nefactorum designetur, qui procul dubio in hujus-
,, modi legatorum institutione finem sibi proposuerunt
,, augendi hoc modo distributiones Beneficiatorum, at-
,, que ipsorum honestæ substentationi providendi. Tunc
,, enim, uti secundo proponitur, fundus omnium An-
,, niversariorum, et Missarum cum cantu, qui sane
,, solet esse quotannis Librarum 8016. 10. 6. in duas
,, partes dividi posset, quarum una in conservationem
,, bonorum stabilium, seu hypothecarum esse impen-
,, denda, altera vero in solutionem æris alieni in census
,, accepti supra bona communis Massæ ob temporum
,, calamitates, donec ab hoc onere omnino liberetur,
,, quo in casu iterum hæc medietas eroganda foret, jux-
,, ta fructus, qui ex ea perciperentur, in celebrationem
,, dictorum Anniversariorum.
,, Ad tertium remedium quod attinet, nihil incongruum
,, existimo, Missas lectas, quæ numero diversæ ex le-
,, gatorum institutione sunt, et quorum fructus con-
,, fusi admodum adparent, et difficile secerni quotan-
,, nis possent, in unam massam esse reducendas, sive
,, in causam communem instituendam suffragio bene-
,, factorum, qui sua beneficia contulerunt ad eas crean-
,, das, quin in uno potius, vel in altero Altari, una
,, vel altera die celebrari debeant; adsignata vero cele-
,, branti integra eleemosyna Concilii Tridentini, et one-
,, rata communi massa expensis pro paramentalibus,
,, cera, vino, cœterisque necessariis comparandis.
,, Quod si precibus Collegii circa Missas lectas EE. VV.
,, annuere dignentur, maxime profuturum censeo con-
,, servationi communis Massæ; si nempe fundus ho-
,, rum legatorum assignetur super bona specialia sive
,, domorum, sive censuum, judicio Ordinarii seligen-
,, da, quæ separatim administrentur, et juxta fructuum
,, quantitatem, quæ liquido quotannis remanent, toti-
,, dem Missæ celebrentur, adsignata prædicta eleemo-
,, syna; secus enim facile fiet, ut Massa communis ite-
,, rum gravetur, atque inde repetantur damna jam ex-
,, posita, quæ detrimentum etiam officiant honestæ Be-
,, neficiatorum substentationis ,,.
,, Hæc remedia aliquantulum prosequitur Episcopus, diffe-
,, runt ab his, quæ Collegium ipsum proposuit in priori
,, ejusdem supplici libello. Sed re diligentius perpensa,
hæc

„ hæc modo reformanda censuit, quoad propositum fi-
„ nem facilius perveniatur; et hæc ita reformata ego etiam
„ propono EE. VV. humanissimæ considerationi, quæ
„ quidem plurimum conferunt, ut massæ meliori
„ statui consulatur in præsens, atque alia dictorum
„ Anniversariorum onera paulatim extincto ære alie-
„ no saltem in partem redintegrari valeant.... Qua-
„ propter EE. VV. ipse deprecor, atque obtestor, ut
„ indultum absolutionis in Oratorum favorem a S.
„ Sede impetretis. = „

His in facto notatis quoad reductionem, de qua in primo Dubio, animadvertendum occurrit, concedi onerum reductionem quoties ita imminuti sint reditus absque dolo, seu culpa Possessorum, ut amplius ad onera satisfacienda non sufficiant, ut passim definivit hæc S. Congregatio in *Vallisoletana* 17. *Augusti* 1793., *in Januen.* 19. *Maii, et in Mazzarien.* 21. *Julii* 1821.

Quod reditus Massæ S. Eulaliæ imminuti sint absque ulla Beneficiatorum culpa testatur Archiepiscopus, ac per se patet: nam causæ præcipue fuerunt incendia fortuita, bellum, populi imminutio.

E contra occurrit in præsenti casu non veram reductionem, sed quasi absolutionem postulari. Nam onus celebrandi Missam conventualem pro Benefactoribus, quod primævis oneribus surrogari vellet, novum non esset onus cum juxta *Bullam Benedicti XIV. Cum semper oblatas* jam omnibus Collegiatis impositum sit.

Insuper non æquum videtur, quod onerum reductio concedatur, ut altera eleemosynarum pars applicetur in fundorum restaurationem, atque conservationem. Nam ad fundos restaurandos casu fortuito damnificatos numquam perpetua reductio, sed temporanea juxta necessitatem onerum suspensio concedi solet, ut in *Interamnen.* 29. *Novembris* 1777., *Mathelicen.* 24. *Septembris* 1787., *ac in Lunen. Sarzanen.* 15. *Decembris* 1792.

Conservatio vero fundorum ad Beneficiatos pertinet, sicut ad usufructuarios manutentio fundi, ex quo fructum percipiunt in *L. sed cum* 65. *ff. de usufru.*, *et L.* 7. *Cod. de usufru., et habitatione.*

Quoad II. Dubium putat Archiepiscopus, Missas lectas,

ex diversis legatis in unam Massam esse coacervandas, sublata dierum, et altarium assignatione, assignata celebranti integra eleemosyna Concilii Tridentini, et onerata communi Massa expensis pro paramentalibus, cera, vino, cæterisque necessariis comparandis.

In quo notandum est, translationem Missarum respectu Altaris, et diei a S. Congregatione non concedi, ut rem voluntate fundatoris repugnantem, nisi justa occurrat causa, ut præscribit *S. Concilium Trid. Sess.* 21. *cap.* 7. *de ref.*: ita negata fuit in *Senogallien.* 28. *Aug.* 1773. *et in Verulana* 23. *Aprilis* 1789. Concessa vero ob justam causam *in Asten* 31. *Maii* 1794.

Eleemosyna autem augeri potest, dummodo ita tenuis sit, ut difficile presbyter inveniatur, qui Missas velit celebrare, ut præscribit Concil. Trid. *Sess.* 25. *cap.* 4. *de ref.*

Quoad III. Dubium censet Archiepiscopus, concessa reductione maxime profuturum conservationi communis Massæ, si fundus legatorum assignetur super bona specialia sive domorum, sive censuum judicio ordinarii seligenda, quæ separatim administrentur, et juxta fructuum quantitatem, quæ liquido quotannis remanet, totidem Missæ celebrentur.

Hic e contrario considerandum videtur, quod si aliqui fundi hypothecentur pro onerum satisfactione, alii Massæ fundi ab omnibus oneribus liberarentur, ideoque si decursu temporis vel omnes, vel ex parte fundi hypothecati deficiant, jus petendæ suspensionis exurget omnium onerum, vel saltem reductionis proportionaliter ad fundos amissos, non ad integram massam.

Tandem quoad absolutionem pro præteritis omissionibus testatur Archiepiscopus nullum intercessisse oratorum dolum, additque; *maxime tamen inesset difficultas eas supplendi ex massa communi, quin gravissimum præjudicium toti Collegio immineret. Quapropter EE. PP. ipse deprecor, atque obtestor, ut indultum absolutionis in oratorum favorem a Sanctitate Sua impetretis.*

Sane hæc S. Congregatio aliqua salutari pœna imposita absolutionem ab oneribus præteritis non satisfactis indulsit quoties nullus in omissione adfuit oratorum dolus, ac si nonnisi cum gravi incommodo possent omissiones suppleri: sicut in *Ravennaten.* 25. *Novem-*

vembris 1797., in Mazzarien. 21. Julii 1820, et in Bononien. 27. Aprilis ejusdem Anni.

Dubia erant.

I. *An, et quomodo sit concedenda reductio anniversariorum, et Missarum cum cantu in casu etc.*

II. *An, et quomodo sint unienda Legata pia quoad Missas lectas in casu etc.*

III. *An, et quomodo sint assignandi fundi pro satisfactione omnium legatorum quoad Missas lectas in casu etc.*

IV. *An, et quomodo sint condonandæ præteritæ omissiones in casu etc.*

Ad I. Affirmative juxta votum Archiepiscopi ad decennium celebrata quotidie Missa pro benefactoribus ad formam Benedictinæ *Cum semper oblatas.*

Ad II. Affirmative juxta votum Archiepiscopi, servata in quantum fieri poterit arbitrio ejusdem Archiepiscopi destinatione Altarium, et dierum juxta legem fundationum.

Ad III. Negative, et Archiepiscopus curet inscriptionem hypothecariam super omnibus, et singulis bonis Massæ Capitularis pro adimplemento legatorum.

Ad IV. Affirmative celebrata Missa solemni cum interventu omnium Beneficiatorum, et aliis Missis lectis 28. intra tempus ab Archiepiscopo præfiniendum, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo super omnibus

CASALEN. Joannes Baptista Zelio Rector Parœciæ S. Caroli *Ronzoni* Suburbii Civitatis, et Diœcesis Casalensis, ut novam Ecclesiam Parochialem construeret, quia angustum existens Oratorium incapax erat incolas eidem Parœciæ subjectas continere, Domumque ei adnexam ædificaret, quæ omnino deerat, magnam impendit pecuniæ summam, quam ut sibi pararet non solum duo capita Censualia, quæ partem dotationis ejusdem Parœciæ efficiebant, alienavit, sed etiam dotalem fundum ad ipsam eam spectantem, nedum alium, quem ab amita sub fideicommissi onere acceperat, consumpsit. *Sess. 22. Cap. 6. et Sess. 25. Cap. 4. de Ref.*

Postulavit, obtinuitque a SSmo per rescriptum diei 22. Novembris 1818. ad relationem Secretarii S. Congre-

gationis R. v. Fabricæ sanationem alienationis, et approbationem applicationis prædictorum censuum *della somma di franchi 4891.*

At cum nihilominus adhuc plurimo gravetur ære alieno, supplex iterum rogavit SSmum, ut ex fundis ad Parœciæ dotem spectantibus sibi in perpetuum, ac jure dominii cederetur = *una piccola Cascina di moggia venti, mediante però l' obbligo che assumerebbe per se, suoi Eredi, e successori nell' ipoteca speciale sempre del medesimo fondo di pagare annualmente ed in perpetuo al Parroco pro tempore di Ronzone lire duecento* = Ipse vero orator cederet favore Parœciæ Fabricas hucusque extructas in proprio fundo, nimirum =*Stalla con Fienile, Portico, Rimessa, Camera contigua alla Chiesa con cantina sotterranea, e circa un moggio Prato proprii dell' Oratore, e la nova Chiesa fabricata per metà.*

De more litteræ ad Episcopum datæ sunt, ut de necessitate, et utilitate contractus referret, ac de summa impensa, et adhuc impendenda pro complemento Fabricæ. Episcopus, deputato Perito, ita retulit = *Mihi constat summam hactenus, ut supra, erogatam ascendere ad libellas Pedemontanas viginti mille respondentem quatuor mille scutis Romanis circiter; Summam vero adhuc necessariam pro complemento esse libellarum duodecim mille respondentem bis mille, et quingentis scutis romanis circiter. Quoad contractum vero propositum ab eodem Domino Oratore cessionis ad ejus favorem, ejusque hæredum in perpetuum bonorum in libello descriptorum ad Parœciam Ronzoni spectantium indemnitatis titulo pro expensis jam ab eodem factis de propriis bonis pro constructione Fabricæ Ecclesiæ, et Domus Parochialis antedictæ, cum onere solvendi in perpetuum DD. Parochis pro tempore dictæ Parœciæ annuum Canonem libellarum biscentum, præter cessionem Terreni proprii dictæ Fabricæ contigui, quam ad favorem Parœciæ ipse facere intendit, evidenter constat, ipsum unice redundare in utilitatem D. Oratoris, eo quod laudata bona producant reditum annuum majorem annuo Canone, et fructu terreni ab eodem oblati; Ast quum D. Orator ad inopiam se reduxerit pro impensis ab eodem, ut supra factis, et insuper in easdem insumpserit libellas septem mil-*

mille circiter, super quibus ejus Soror, ac Nepos jus habebant, ideo ad levandam ejus inopiam, et ad suppeditanda eidem media pro solvendis debitis, ejusque conscientia sananda, arbitror æquum, ac justum esse ejusdem votis indulgeri, eo vel maxime quod adhuc supersit pro DD. Parochis Ronzoni etiam post initum dictum contractum reditus sufficiens ad honestam eorumdem substentationem =.

Ut tutius reddi posset judicium iterum rogandum censui Episcopum, ut referret = *in specie de Bonis Parœciæ favore Parochi cedendis, eorumque valore, et reditu ad monetam romanam, de vera necessitate ineundi hujusmodi contractum, et an mediis a SS. Concilio Tridentino præscriptis in Sess. 21. cap. 7. de ref., suppleri posset sumptibus necessariis pro Fabrica Ecclesiæ, et pro dimissione æris alieni a Parocho ea de causa contracti.*

Refero novæ Informationis verba = *Mihi constitit, et constat 1. Bona dictæ Parœciæ favore Parochi cedenda esse quantitatis modiorum viginti, ac mediocris qualitatis. 2. Eorumdem valorem capitalem computari posse scut. romæ bismille circiter, ac reditum annuum nitidum scut. octaginta, seu libellarum quadringentarum. 3. Necessitatem adesse ineundi contractum, de quo agitur, tum ad levandam inopiam Domini Oratoris, tum ad ei suppeditanda media pro solvendis debitis imprudenter contractis in reconstructione Domus, et Ecclesiæ Parochialis, ejusque conscientia sananda. 4. Nullum aliud medium in præsens adesse, quo suppleri possit sumptibus necessariis pro Fabrica Ecclesiæ, ac dimissione æris alieni a Parocho, ut supra, impensi. Quibus præmissis, quamquam supraenunciatus contractus non leve damnum Parœciæ sit allaturus, attamen cum Orator gravibus in angustiis existat, idcirco in votis essem, ut a S. Congregatione Concilii ejus precibus annueretur =.*

His in facto præmissis, pauca in jure addenda videntur. Sciunt enim EEmi Patres, permitti non posse alienationem rerum Ecclesiæ, nisi concurrat justa causa aut veræ necessitatis, aut evidentis utilitatis. His deficientibus innumera sunt S. hujus Congregationis Responsa, quibus alienandi facultas denegata est, ut post. *Text.*

in

in Cap. Nulli 5. de alien: et Extrav. Ambitiosæ de Reb. Eccl. non alien; respondit S. Congregatio in *Romana Emphyteusis* 2. *Maii* 1818.

De *necessitate* constare videtur ex eo, quod juxta Episcopi relationem nullum præsto sit medium tum supplendi expensis pro Ecclesia, tum pro dimissione æris alieni a Parocho contracti pro Fabrica. At hæc necessitas directe Parochum potius, qui imprudenter debitis sese subjecit, respicit, quam Ecclesiam. Unde inferri posset conqueri non posse Parochum, si ex iis, quæ proprio marte, nullaque intercedente legitima authoritate gessit, damnum patiatur. Sed e converso injurium videtur, et contra æquitatem, quam semper sectatur Ecclesia, ut hæc lucrum, et commodum sentiat cum alterius damno.

Quo vero ad *utilitatem*, eam negat Episcopus intercedere in proposito contractu, quia Parochus postulat sibi in perpetuum addici fundum annui reditus libellarum 400. oblato canone biscentum tantum libellarum. Unde non solum procul abest evidens utilitas, sed imo Ecclesia perpetuo subjicieretur damno in medietate responsionis. At videant Emi Patres, utrum hujusmodi calculus stricte, ac simpliciter relate ad fundum accipi debeat, seu potius habenda sit ratio etiam cessionis = *della Stalla con Fenile, Portico, Rimessa, Camera contigua alla Chiesa con Cantina sotterranea, e circa un moggio di Prato, e la nuova Chiesa fabricata per metà* =.

Si æquitatem potius, quam juris rigorem sequi placeat Emis Patribus, consulendum etiam erit prosequutioni Fabricæ Ecclesiæ.

Dubium proponitur

An, et quomodo sit annuendum precibus Oratoris in casu etc.

Non proposita cum seqnentibus

CIVIT-

CIVITATIS PLEBIS ET PERUSINA CANONICATUS. Dominicus Felicis *Oddi* Canonicatum in Ecclesia Cathedrali Civitatis Plebis erexit sub invocatione S. Dominici, cujus Juspatronatus *Activum* perpetuo ad proximiorem, et *Seniorem* de Domo, et Familia ejusdem Felicis spectaret, et *passivum* ad omnes de Domo, et Familia Fundatoris tum ex linea Masculina, quam Fœminea descendentes pertineret, iisque deficientibus ad omnes ejusdem Civitatis Plebis incolas, exceptis omnino advenis, devolveretur. Onera Canonico ita eligendo imposita sic describuntur in ipsa Beneficii erectione = *Il peso ed obbligo del Canonico, così eletto sia di fare tutte le Funzioni, Celebrazioni, e Servizio della Chiesa Cattedrale, e godere ancora l'anzianità, ed esenzioni dal Coro, e dalla celebrazione di Messa, come fanno, esercitano, adempiscono, e godono tutti gli altri Canonici di prima Erezione, niente eccettuato, e di tutte le Messe, che d'obligo come sopra etc. celebreranno, applichino il Sacrificio per l' Oratore, e per l'anima de'suoi Antecessori, e Posteri, secondo l' intenzione dell'Oratore; eccettuate però le Messe, che per adempire le lascite di detta Chiesa tanto presenti quanto future, dovrà celebrare = E le Messe* (fuorchè le Cantate, e le altre, che per adempimento degl' obblighi della Chiesa si dovranno dire nell' Altare Privilegiato, o altrove) *si celebrino dal Canonico pro tempore nell' Altare, e Cappella del SSmo Rosario, dove stà dipinta la S. Immagine di S. Domenico, applicando sempre il Sacrificio come sopra =*

Sess. 24. Cap. 12. de Refor.

Cum Beneficium istud sub die 17. Julii 1817. defuncto Canonico Joseph Luchetti vacaverit, Vincentius Bocci, uti proximus Fundatori descendens per Lineam Fœmininam, et uti Senior juxta Testatoris voluntatem Clericum Hyeronimum Valentini de Domo, et Familia ejusdem Fundatoris ex latere Fœminino nominavit, nemine reclamante.

Ve-

Verum quum nominatus mutato consilio non amplius Ecclesiasticæ Militiæ nomen dare statuisset, die 22. Junii 1821., dimisso jam habitu Clericali, in Episcopi manus Canonicatum renunciavit.

Episcopus statim Patronos tam jure Activo, quam passivo gaudentes certiores fecit de sequuta renuntiatione, ut quam primum alium idoneum præsentarent. Hinc iterum Vincentius Docci, ne tempus a lege præfinitum elaberetur, uti *Senior*, cum neminem *in Familia* et *Domo ex Descendentibus Fundatoris idoneum* propter ætatem invenisset, Sacerdotem Philippum Principe a Familia extraneum nominavit.

Vix die elapso posteaquam ille in realem possessionem Canonicatus immissus fuerat, *etiamsi facta fuisset publicatio ejusdem nominationis cum termino dierum quinque ad opponendum, comparuit Joseph Belli Junior patronus*, qui facta oppositione huic nominationi, Juvenem Aloysium Valentini adhuc Sæcularem, qui nondum duodecimum expleverat annum nominavit, utpote qui esset ex passive vocatis a Fundatore.

Sed cum in irritum ejus conatus cessissent, quia extra tempus in Edictis constitutum ad opponendum comparuerat, et ob defectum ætatis vi Decreti Pro-Vicarii Generalis ab institutione rejectus fuisset, SSmo obtulit preces, ut ex gratia consequi posset, quod justitia vetabat.

Petit igitur dispensationem ab ætate, et facultatem suscipiendi Tonsuram ab Episcopo Urbevetano, qui est Episcopus *Originis*, ut ita Canonicatum assequi valeat.

De more Episcopum rogavi, cujus Informationis verba partim habetis EE. PP. in facti specie, quam superius exposui, reliqua ita se habent.

Facta nominatione, ait (a Canonico Vincentio Bocci uti Seniore) *Sacerdotis Philippi Principe hujus Civitatis, et cum contra ejus mores, et idoneitatem nihil esset opponendum, affixa fuerunt Ædicta ad dicendum contra tam in solitis locis hujus Civitatis, quam ad Ecclesiam S. Venantii Diœcesis Urbevetanæ, ubi tunc temporis degebant Clericus Hyeronimus Valentini, olim Canonicus, ejusque parentes, et Joseph Belli.*

Congruo tempore comparuerunt in Actis Cancellariæ Episcopalis idem D. Hyeronimus Valentini, reassumpto habitu

bitu Clericali una cum patre, et nulla facta exceptione super jure nominandi spectante ad Dominum Canonicum Bocci, uti SENIOREM, solum negarunt secutam fuisse renuntiationem, et instarunt, ne ulterius procederetur in Collatione.

Cum autem nominatus Sacerdos Philippus Principe contenderet pro jam facta, et valida habenda renuntiatione instantes, ut se eximerent a subeunda lite, ratam habuerunt renuntiationem, dummodo effectum sortiretur sub die 28. Februarii anni 1822., cui providentiæ cum acquievisset Sacerdos Principe, omnis contestatio interim finem habuit. Quare sub die 28. Februarii iterum renovata fuit ad majorem validitatem, et jura juribus addendo nominatio Canonici Bocci favore ejusdem Philippi Principe, iterumque facta fuit publicatio ejusdem nominationis, cum termino dierum quinque ad opponendum: expirato tempore, et nemine comparente sub die 5. Martii idem Philippus Principe constitutus fuit in realem, et corporalem possessionem ejusdem Canonicatus.

Eodem die post possessionem jam obtentam comparuit Dominus Orlandus uti Procurator D. Josephi Belli Junioris ex Familia Fæminea Fundatoris, et facta oppositione ad nominationem factam a Domino Canonico Bocci, declaravit ad se spectare jus nominandi, nulla addita probatione, et de facto nominavit Aloysium Valentini Oratorem: Qua nominatione exclusa, prodiit Decretum Vicarii Generalis (de quo superius memini).

Huic Decreto nihil juridice oppositum fuit neque ex parte Joseph Belli nominantis, neque Oratoris Nominati, et hodie tantum legitur recursus in supplici libello in via gratiosa ad EE. VV. RR., qui remittitur.

Hæc sunt, quæ exaranda existimavi pro illustriore facti expositione, sicuti in actis apparet.

Fructus hujus Canonicatus, uti constat ex Monumentis hujus Cancellariæ, non excedunt Summam Quadraginta scutorum, juliorum decem pro quolibet scuto.

Onera autem imposita Canonico a Fundatore sunt omnino Sacerdotalia; Scilicet celebrandi, et canendi Missas, quas omnes Canonici ordinatim celebrare tenentur, et inserviendi Choro alternative cum aliis, aliasque functiones peragendi, uti ex particula supradicta Fundationis.

Cum vero Capitulum constet ex sacerdotibus partim longevæ ætatis, partim infirmis, partim jubilatis, servitium Ecclesiæ vix haberetur, si admitterentur Clerici,

qui indigerent studiis, et educatione. Hinc judicarem esse observandam mentem Fundatoris, qui etiam in nominandis ex sua descendentia, et Familia statum sacerdotalem exegit.

Quibus præmissis quærendum primo, utrum ex dispositione Testatoris nominari debeat promotus, aut proxime promovendus ad Sacerdotium, vel nominari possit etiam clericus. Iuris iudubii est, ut qui beneficium consequitur, nisi secus cautum sit vel statuto, vel lege fundationis, intra annum suscipiat Ordinem, quem cum beneficio conjunctum esse oportet *Cap. 1. de Aeta, et qualit. Ordin. præfi. clemen. 2. eod.*

Ut igitur judicari tuto queat, num Beneficium sit Sacerdotale vel non, præ oculis habenda est theoria, quam primus omnium invexit *Abbas in Cap. cum si cunctis §. inferiora num. 10. de elect, qui sic loquitur.*

Dupliciter potest ordo sacer esse annexus beneficio 1. secundum *aptitudinem*, quia sufficit, quod ad illud promotus tempore suæ promotionis sit habilis, et talis, ut intra annum possit sacrum ordinem justo impedimento cessante ad beneficium requisitum suscipere. 2. Potest ordo sacer esse adnexus beneficio *Quoad actum*, et tunc necessario requiritur, ut promovendus ad Beneficium tempore promotionis, seu collationis illum ordinem *actu* habeat.

Ut autem sciatur, num ordo sit *actu*, an vero dumtaxat *aptitudine* beneficio adnexus, præcipue attendenda sunt verba fundationis, *Garzias de benef. part. 7. C. 5. num. 57. Fagnanus ad cap. ut abbas, tit. De Ætat., et qualit. ord.*

Ex verbis fundationis, quæ superius exscripsi, videtur clare deduci non posse, quod præsentatus ad canonicatum debeat esse *actu* sacerdos, attamen ex postrema parte ejusdem fundationis, quæ statuit *che le messe si celebrino dal canonico protempore nell' altare, e cappella del SSmo Rosario*, inferri potest ordinem sacrum vel Sacerdotium in præsentando saltem requiri respectu *aptitudinis*, videlicet ut is, qui hoc canonicatu providetur, sit in ea ætate, ut infra tempus a jure constitutum, idest *infra annum* illum ordinem suscipiat.

S. hæc Congregatio vero sæpe eam tenuit sententiam, ut indu-

Aucta non censeatur sacerdotalis beneficii qualitas, nisi per expressum præceptum celebrandi per se ipsum, uti habetur in *Prænestina Canonicatus* 16. *Junii* 1787. §. 5.

Cum ergo funditionis particula hoc onus expressum non inveniatur, sequitur, ut præsentandus, aut istituendus minime requiratur, ut sit *actualiter* sacro Presbyteratus ordine insignitus.

Verum animadvertendum est, aliquando licet expressum deficiat fundatoris præceptum, tamen ex verbis in personam beneficiati directis, et ex aliis argumentis ab ipsa fundatione manantibus posse per æquipollens conjici fundatorem voluisse, ut onus celebrationis missarum per ipsummet Capellanum, et non per alium adimpleri debeat, ex quo sacerdotalis beneficii qualitas inducitur.

Videant Emi Patres, an posito in fundatione *personali* onere interessendi divinis officiis per verba illa = *il peso, e l' obligo del Canonico così eletto sia di fare tutte le funzioni, e celebrazioni, e servizio della Chiesa cattedrale, e godere ec.*, a pari personale censeri debeat præcedens onus celebrandi sacra iisdem fere verbis conceptum.

Agitur vero in præsenti casu de oratore Aloysio Valentini, qui unicus est de familia ad juspatronatus passivum vocatus, sed cui obest defectus ætatis, et insuper nominationis, utpote factæ extra tempus patronis per SS. Canones præstitutum. E contra Philippus Prencipe est in sacerdotio constitutus, nominatus intra legitima tempora a seniore de familia, cui a fundatore jus præsentandi concessum est, et qui jam, nullo opponente, canonicatus possessionem nactus est.

Favet autem Aloysio passivi vocatio contra Philippum a Familia extaneum, quo in casu facile concedi solet dispensatio super ætate, etiamsi agatur de canonicatu cathedralis, ut respondit S. Congregatio in *Monasterion Canonicatus* 7. *Aprilis* 1753. *et Balneoregien Dispensationis* 21. *Junii* 1760.

At favet Philippo contra Aloysium jus jam quæsitum ex legitima præsentatione, illiusque admissione cum sequuta possessione. Nec unquam concedi solet dispensatio in præjudicium alterius præsentati, et legiti-

me jam instituti, ut de Patrono extra terminum edi-ctorum comparente tradit *Card. de Luca de Iurepatr. Dis.* 45. Quin imo patroni a fundatore vocati, scientes vacationem beneficii, et publicationem edictorum, nec comparentes intra eorum terminum, vel saltem intra quadrimestre ante institutionem, censentur consentire præsentationi alterius patroni, et pro illa vice juri suo renunciare, ut tradit *Lambertin. de jurepatr. p. 2. L. 2. quæst. 6. art. 27.*

Dignentur Emi Patres respondere

Dubiis

I. An *sit concedenda dispensatio super ætate favore Aloysii Valentini in casu etc.*

et quatenus negative

II. An *sustineatur nominatio Sacerdotis Philippi Prencipe ad canonicatum in casu etc.*

Sess. 22. Cap. 6. et Sess. 25. Cap. 4. de Ref.

FAVENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, APPLICATIONIS, ET SANATIONIS. Plura, quæ Brixichellæ, finitimisque in Terris seorsim administrabantur Pia Legata in unum coacta fuere a Gubernio Italico, eorumque bona Congregationi instituti charitatis addicta. Publicis rebus restitutis, non ideo cessavit ea generalis legatorum coacervatio, unde administratores Nosocomii Brixichellæ, cui tenues erant reditus, a SSmo petierunt, ut bona instituto charitatis tributa Nosocomio applicarentur. Precibus S. Congregationi ablegatis, rescriptum prodiit die 21. Julii 1821. = *Pro nunc non expedire*, licet petitioni faveret Episcopus.

Spem tamen non abjecerunt Administratores, sed renovatis precibus exposuerunt tenuitatem redituum hospitalis, qui sex alendis infirmis vix pares erant, dum ne-

necessitas incolarum, cætero unique ex finitimis quoque agris, ac terris illuc confluentium pinguiorem expostularet censum, nullamque aliam præter Legatorum applicationem subesse rationem huic necessitati occurrendi. Ea vero est in præsens Legatorum natura, ut quidquid, impletis oneribus ex testatorum præcepto, reliqui fuerit, in pios usus erogetur. Porro Administratores se eadem onera integre, ac religiose sdondent impleturos, et solum reliquias redituum in levamen hospitalis efflagitant. Quapropter speculum miserunt, quod exscribendum existimavi, ut EE. VV. dignoscant, quænam sint Pia Legata, quique eorum residui fructus. Est autem hujusmodi.

L'opera Pia Savorgnana ha una rendita di ₰ 648. 82., *la quale oltre l'adempimento de pes, e legati a quelli inerenti, presenta un avanzo di* ₰ 271. 81.

L'Ospedale di Ponte Lungo dalla rendita di ₰ 37. 28. *fà un avanzo di* ₰ 29. 83.

S. Caterina in Fognano da una rendita di ₰ 175. 36. *un avanzo di* ₰ 78. 46.

L'Ospedale di S. Cassiano da una rendita di ₰ 53. 32. *un avanzo di* ₰ 16. 32.

Finalmente l'opera Pia Gollimani Monte di Pietà, Monte Fromentario, Ospedale di Varnello, Andecimo, S. Lucia, Zattaglia, e Cavina danno una rendita complessiva di ₰ 267. 62., *ed uno avanzo di* ₰ 31. 33.

Quæ reliquiæ quotannis conflant summam scut. 428., atque ita augerent hospitalis opes, ut eidem si minus plene, at certe aliquo pacto consultum videatur.

Cumque iidem Administratores reditus legatorum, annuente Congregatione Instituti Charitatis, in utilitatem hospitalis erogaverint, ut ejus inopiæ præsto essent, præsertim cum infirmi, morbo vulgo *tifo* grassante, ad Nosocomium curaturi magna frequentia sese conferebant, idcirco etiam sanationem postularunt.

Iterum super novis precibus auditus Episcopus hæc retulit = *illud in primis inquirendum rebar, neque forte vinculo legata, de quibus agitur, obstringerentur, obstaretque propterea aliquid, quominus de iis juxta mentem Oratorem decerneretur. Præsertim vero cum Legata id genus antehac administrarentur seorsim*

sin-

singula, novissime autem in unum veluti coagmentata administrari ceperint una simul, idque vi legis non alia quam Gubernii, ut appellant, Italici potestate indictæ: qua de causa factum etiam, ut rebus auspicatissime conversis, administratio illa in unum coagmentata alicubi quidem dissolveretur; alibi tamen perstiterit, tametsi ea de re Auctoritas Pontificia nihil hactenus in universum sanxerit. Ad legata in precibus appellata quod attinet, pleraque saltem eorum adeo tenuis est reditus, neque nitide definita erogatio, ut nulli subesse exclusivo oneri videantur. Quamobrem legatis hujusmodi hospitali Brixichellæ juxta petita rite adjudicari, et institutorum voluntati, et indigentium bono multo commodius consultum iri haud vereor opinari. Quod tamen ajebam de Legatorum plerisque, id quidem haud opinari ausim de Hospitali S. Catherinæ Fognani, ut in precibus affertur. Porro ipsamet hospitalis appellatio plane subinnuit, vetustissimum institutorem bono prospexisse incolarum loci non infrequentis: atque adeo jus inde quoddam loci incolis acquestium, quo in jure, quando in præsens licet, eosdem esse manutenendos apprime liquet, atque eo vel magis, quod hospitale illud suum ab illa administrationis communione segregandum, sibique iterum vindicandum enixe, neque sine spe faustitati temporum innixi contendunt =.

Ultimarum voluntatum commutationes ex justa, et necessaria causa fieri posse exploratum in jure est, quin imo cum in legatis piis principaliter præ oculis habendum sit bonum animæ testatoris, si ex commutatione ejus anima uberius, et efficacius expiari intelligatur, ne quidem commutatio, sed voluntatis interpretatio potius appellari debet, *Vasquez in opus. de testam. cap. 8. dub. 3.*, *de Luca de Testam. dis. 72. num. 15. et S. Cong. in Nullius Piscen. Commut. volun. 21. Junii 1721., in Cassanen. 26 Novembris 1763.*

Jam vero quam utilia in pauperum levamen, quam Deo accepta, a SS. Patribus, sacrisque canonibus commendata sint hospitalia, in quibus pauperibus infirmis medicina adhibeatur, et ad integram usque valitudinem alimenta præbeantur, aut ad bene, christianeque moriendum disponantur, et quam propterea magna

gna futura sit merces, quam Deus rependet ei, cujus bona in hujusmodi piis usibus consumuntur, indubium est.

Itaque, si aliquod Nosocomium bonis careat, non modo ipsi suppetias ferre oportebit reditibus legatorum, quos testatores curandis ægrotis reliquerunt, uti narratur in folio *Viterbien*, *seu Montis Falisci Hospitalium* 14. *Decembris* 1754, sed insuper eidem unienda quoque erunt bona in eleemosynas, in dotandas puellas, aliosque in pios usus ex defunctorum lege insumenda. Qui enim pii testatores consultum voluerunt miserabilibus personis, eo vel magis putandum est bona sua voluisse relinquere Nosocomio, si illud necessariis destitutum reditibus prævidissent. Nimirum qui misericors est in pauperes, eo magis erit erga illos, qui et paupertate, et infirma valetudine simul vexantur, ideoque nec labore, nec ostiatim victum quæritare, nec ulla ratione saluti providere valent.

His innixa rationibus pluries S. Congregatio commutandas censuit ultimas voluntates, et ægrotantium hospitalibus impertivit applicationem bonorum, quæ pii testatores in pauperes distribuenda præceperant, in *Vicen. Comm. Vol*: 20. *Novembris* 1762.; *et in Elnen*: 18. *Decembris* 1773.

Porro Brixichellæ extat quidem Nosocomium, et istud perutile non modo indigenis, sed vel ipsis finitimarum terrarum ægrotis, qui illuc frequenti numero deferuntur. Verum ejus reditus impares sunt ægrotantium multitudini, ita ut nisi petita commutatio, et applicatio indulgeatur, administratoribus necesse foret, vel æs alienum in detrimentum loci pii contrahere, vel infirmos ex agris, vel oppidis illuc delatos contra hospitalitatis officia repellere. Nedum igitur utilis, et justa, sed publica, ac necessaria subest causa, cur defunctorum piæ voluntates commutentur, residuique fructus Nosocomio applicentur.

Præterea quorumdam Legatorum adeo tenues deprehenduntur reditus, ut testatorum voluntas impleri nequeat, quorumdam vero non fuit præscriptus usus, aut saltem non constat, quænam fuerit mens. Atqui in utroque casu legatum in alium pium usum

esse

esse convertendum ad unum omnes fatentur Doctores cum Barbosa *in Concil: Trid: sess: 22. de refor. cap. 6. num. 2.3. Moneta de comut: cap: 5. nu: 130: Molina de just: tr: 2. disp.* 249. ubi vero aliquod adsit Nosocomium bonis indigens, huic proculdubio legatum tribuendum erit, siquidem hæreditates pauperibus indistincte relictæ hospitali ægrotantium debentur ex juris dispositione in L. *si quis* 47. §. *ubi autem Cod. de Epis: et Cler.* et consentit S. Congreg: *in Hispalen: 7. Septembris* 1680. *relata in Vicen: Com: Vol.* 20. *Novembris* 1762: *in* §. *in libello*.

Jam inde liquet hospitalis administratores dignos esse, quam efflagitant, sanatione: quoniam ipsi residuos fructus legatorum non in proprios usus, sed moti vigilantia in locum pium, et clementia in pauperes in utilitatem Nosocomii conjecerunt, quo quidem casu sæpius censuit S. Congregatio consilium dandum SSm̃o pro sanatione. Ita in *Lisbonen* 29. *Novembris* 1783, *et in Pampilonem* 3. *Decembris* 1707.

At contra animadvertendum est, defunctorum voluntates esse modis omnibus servandas. Etenim Clement. *Quia contingit 2. de Relig: dom:* expresse cautum est, quod ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent, non ad alium converti. Et merito quidem, nam cum testatoribus jus sit in quod maluerint opus bona sua relinquere, ideoque licet sibi minus utile eligere, nedum in æquale, sed nec etiam in melius commutari debent ultimæ voluntates *L. 7. Cod. de testamentis. Novell: 22. cap. 2. Gratianus discept: forens. cap: Nos quidem de testam: num.* 35.

Et concinit S. Congregatio, quæ commutationem denegavit, quamvis peteretur in levamen hospitalis ægrotantium, cujus opes imminutæ erant, infirmorum autem auctus numerus, ut in *Albintimilien.* 15. *Feb.* 1722. *in Faventina* 10. *Maii* 1766. probe sciens quantum leges abhorreant a commutationibus, quæ vulnus infligunt defunctorum menti, et vivos a legatis in pias causas scribendis abducunt. Quare Tridentina Synodus sanxit, ut commutationes ultimarum voluntatum non nisi ex justa, et necessaria causa fieri debeant.

In-

Insuper cum ista fructuum applicatio utilitati dumtaxat serviret infirmorum, qui Brixichellæ, aut proximis agris morantur, nullamque commoditatem caperent, qui a Nosocomio longe, et aspro forsitan itinere absunt, saltem consensus eorum, quorum interest, necessarius foret pro applicatione legatorum, quæ extra Brixichellam relicta sunt. Quamquam enim peculiaribus personis reliquiæ fructuum non debeantur, tamen voluerunt testatores, ut in commodum certi generis personarum, certique loci cederent. Quod si testatoris voluntas lateat, indubium tamen vocari non potest diuturna consuetudo, quæ voluntatum optima est interpres, ac servari debet ad tradita per *totam decis.* 467. *cor Serafino*, Hinc *S. Congreg: in Elboren* 3. *Septembris* 1718. eorum tantummodo legatorum applicationem largiendam censuit, quæ præstituto tempore executioni non fuerint mandata, nec certis locis, aut personis relicta.

Ad sanationem quod attinet, sæpe quidem numero S. Congregatio illam impertivit iis, qui in alium pium usum bona consumpserunt contra leges a testatoribus statutas, si tamen id egerint bona fide, aut necessitate compulsi; secus restitutionem præscripsit, ut in *Ravennaten Subsidiorum Dotalium* 11. *Janu:* 1766. *ad* 2. *Dubium*

Dubia proponuntur.

I. *An, et quomodo consulendum sit SSmo pro commutatione voluntatum, ac Legatorum applicatione in casu etc.*

II. *An, et quomodo consulendum sit SSmo pro sanatione in casu etc.*

Sess. 24. Cap. 14. de Ref.

PRÆNESTINA ADMINISTRATIONIS SACRAMENTORUM. In Oppido Ienazzani Prœnestinæ Diæcesis adest hospitale S. Crucis, cujus spiritualis cura a remotis temporibus concredita fuit Fratribus Eremitis Ordinis S. Augustini, qui nunc Conventum B. M. Virginis Boni Consilii incolunt. At quum hoc hospitale intra limites Paræciæ S. Pauli situm sit, frequentes ortæ sunt quæstiones, et querelæ circa Sacramentorum administrationem inter Parochum S. Pauli, et Fratres Augustinianos. Super hac re plura SS. Visitationum decreta habentur, quorum cognitio necessaria est ad quæstionem hanc rite, recteque definiendam. Primum sit decretum in S. Visitatione anni 1754. latum a cl: m: Cardinalis Spinelli *Adnexa* (sunt decreti verba) *hospitali est Ecclesia S. Crucis juxta Portam Romanam . . . . Fuit Ecclesia hæc a S. M. Martino V. cum beneficio eidem adnexo cum omnibus juribus, jurisdictionibus, actionibus RR. PP. S. Mariæ de Jenazzano Ordinis S. Augustini concessa, ac tradita anno 1727. die 19. Maii . . . In hujus Altari omnibus diebus festis celebrare tenentur Missæ Sacrificium dicti PP. S. Augustini . . . . Tenentur etiam curam habere Infirmos rum pauperum, et Peregrinorum, eisque morientibu assistere, atque eos mortuos sepulturæ tradere in sepulchro ejusdem Ecclesiæ, quod amussim exequendum mandavit Emus Dominus, quamvis administratio Sacramenti Matrimonii, et Baptismi occurrens forsan in hospitali, et benedictio in Sabatho S. fieri debeat ab Archipresbytero S. Pauli in cujus Paræciæ districtu situm est hospitale, prout observatur. Declarat quoque Episcopus in eodem Decreto hospitale e jurisdictione Vicarii Foranei non esse exemptum . . . . addendum etiam eam* (Ecclesiam S. Crucis) *esse partem Districtus Parochialis Ecclesiæ S. Pauli, et curam non fugere Parochi, adeoque neque Vicarii Foranei* = .

Dissidiis vero dein exortis, controversia ad Tribunal A. C. fuit delata, et Locumtenens De Gentilibus anno 1721. decrevit *non competisse, neque competere prædictis RR. PP. S. Augustini assistere Sacramentis Matrimonii, neque cæteros actus Parochiales exercere in dicto hospitali, præterquam quod infirmis ibi existen. SSmæ Eucharistiæ, et Poenitentiæ Sacramenta*

mi-

ministrare, ibique mortuos sepellire, in cæteris vero quibuscumque actibus Parochialibus Parochum prædictum . . . manutenendum fore, et esse = Decretum hoc exequutioni mandatum fuisse videtur. Quam plurimi quoque faciendum est decretum alterius S. Visitationis ab cl m. Cardinalis Columna habitæ anno 1787., in quo habetur = *Visitatio anni 1614. refert, Religiosos S. Augustini teneri in hac Ecclesia* (S. Crucis hospitali adnexa) *singulis diebus Festis Sacrum peragere, nunc vero, nisi recurrente Festivitate SSmæ Crucis Missam Solemnem celebrant, et cum occurrat aliquem infirmum in hospitale degentem SSmo Viatico refici, unus ex Religiosis Missam lectam celebrat, et Infirmo SSmæ Eucharistiæ Sacramentum ministrat, morientibus in agone assistit, et mortuos in sepulchro hujus Ecclesiæ reponit, quamvis occurrens administratio Sacramenti Matrimonii, et Baptismi in hospitali, et Benedictio in Sabatho Sancto expleri debeat ab Archipresbytero S. Pauli, in cujus Paraciæ districtu situm est hospitale,*

Ex hoc decreto præsertim controversiæ exortæ sunt. Contendebant enim Religiosi jus sibi competere Sacramentum Eucharistiæ, aliaque semper administrandi infirmis; et contrario Parochus asserebat, tunc tantum hoc Religiosis licere, quum Missam in Ecclesia S. Crucis celebrant, et in hoc Sacrificio Eucharistiam conficiant, ut infirmis præbeant. Ad has præcavendas controversias cl: me: Cardlis Matthejus in S. Visitatione anni 1807. decrevit *Præcisa nobis voluntas est uni tantum Parocho S. Mariæ Boni Consilii PP. Eremit: S. Augustini committere integram administrationem Sacramentorum. Quare absque præjudicio, et læsione jurium ambarum partium jubemus Parochum prædictum S. Mariæ omnia ibi infirmis Sacramenta administrare, eosque extremo agone adjuvare, donec aut dicti hospitalis translatio* (quam in altera visitatione jussit) *suum effectum sortiatur, aut eadem controversia declarata juridice sit* =.

Hoc freti decreto Regulares solemniori quadam pompa per fines Parochiæ S. Pauli transeuntes SSmam Eucharistiam ad infirmos detulere, quod ægre ferens Parochus S. Pauli, capta occasione Sacramentum Extremæ Unctionis infirmæ cuidam administravit,

et alteri SS. Eucharistiam dedit. Hinc Prior, et PP. Eremitæ ordinis S. Augustini prædicti Coenobii asserentes ab immemorabili jus habere infirmis in Hospitali degentibus Sacramenta administrare, etiam transeundo per Paræciam S. Pauli, postularunt, ut confirmaretur decretum a cl: me: Card. Matthæjo latum Hujusmodi preces Eñio Episcopo remissæ fuerunt, qui fuit rogatus ut, *audito præsertim Parocho Ecclesiæ S. Pauli, eidemque præfixo termino ad deducendum jura sua in sacra Congregatione, et interim veris existentibus narratis juris et facti remediis mandaret exequi decretum Sacræ Visitationis usque ad exitum Causæ in S. Congregatione, et sententiam suam aperiret*. Absente Eñio Episcopo, Pro-Vicarius Generalis munere suo functus est, et in sua informatione retulit = *Remotissimis temporibus in oppido Jenazzani juxta Portam nomine Romanam, et intra limina Paræciæ S. Pauli existit, uti exstat Ecclesia S. Crucis, quæ cum beneficio eidem adnexo suis juribus jurisdictionibus, et actionibus fuit concessa a S. M. Martino V. RR. Patribus S. Mariæ de dicto Oppido Ordinis S. Augustini, tradita vero eisdem Patribus anno 1427. uti ex instrumento, quod in Brevi Xisti IV. anno 1475. confirmatum legitur, et asservatur in Archivio illius Conventus.*

Ad contactum dictæ Ecclesiæ adnexum est parvum Hospitale. Hoc inter omnes constat, Confratres Sodalitatis Confalonis anno 1575. erexisse cum onere perpetuo illius manutentionis, et cura gerendi omnia ad ipsum spectantia, nec non adjuncta lege, ut Societas eadem propriis expensis præfatum Xenodochium de omnibus providere, lectulis, Straminibus, Supellectilibus, Stipendiis Hospitalario contribuendis aliis id genus teneretur.

Ad Religiosos autem Augustinianos incumbit in eodem Hospitali cura administrandi Sacramentum Eucharistiæ infirmis, hisque morientibus assistendi, ibique mortuos Sepulturæ in Sepulchro ejusdem Ecclesiæ S. Crucis tradendi, interdicta tamen eis administratione Sacramentorum Baptismi, et Matrimonii, si in dicto Hospitali, aliqua daretur occasio, et Benedictione in Sabatho Sancto, dum hæc, et omnes alii actus Parochiales sunt reservati, et addicti Archipresbytero S. Pauli.

Quoad Ecclesiam S. Crucis spectat ad eosdem Religiosos

onus.

onus illius manutentionis, et celebrationis unius Missæ in ejus altari olim credo quotidie, deinde certo singulis diebus Festis, et tandem in Solemnitatibus. Omnia hæc nobis locupletius aperit S. Visitatio Emi Episcopi Spinelli anno 1754. Brevius præannuit idem anno 1660. in sua Visitatione Archiepiscopus Severola uti Delegatus Apostolicus, in qua narrat de Ecclesia S. Crucis = Patres dicti Conventus, habent onus celebrandi Missam in diebus Festivis. Ministrant etiam infirmis Sacramenta in Hospitali =

De hac Sacramentorum administratione in genere peragenda a Patribus Ordinis S. Augustini prò Infirmis in Hospitali degentibus fuit in specie contentio anno 1721. coram Tribunali A. C. adversus Parochum S. Pauli eo tempore Ferocium. Discussa quæstione sanxit Locumtenens de Gentilibus, administrationem duorum tantummodo Sacramentorum nempe Pænitentiæ, et Eucharistiæ, et curam sepeliendi mortuos in Hospitali Patribus conventus competere; Archipresbytero autem Parochiæ S. Pauli exercitium liberum omnium aliorum actuum Parochialium, et jurium in dicto Hospitali, in quibus foret manutenendus, et hæc Sententia Judicis cernitur uniformis actis dictæ S. Visitationis 1754.

A Romana sic demissi Religiosi Curia, videntur aliam submovisse quæstionem penes Emos Episcopos Prænestinos circa modum administrandi Infirmis in Hospitali Sacramentum Eucharistiæ, dum in S. Visitatione Emi Episcopi Columna 1787 in Cap. de Hospitali, et Ecclesia adnexa S. Crucis hæc leguntur verba = Cum occurrat aliquem infirmum in Hospitali degentem SSmo Viatico refici, unus ex Religiosis Missam lectam celebrat, et Infirmo SSmæ Eucharistiæ Sacramentum ministrat, morientibus in agone assistit, et mortuos in Sepulchro hujus Ecclesiæ reponit = Subjungit Emus Antistes de aliis Sacramentis in casu Infirmis Ministrandis, et Peregrinis = Quamvis occurrens administratio Sacramenti Matrimonii, et Baptismi in Hospitali, et Benedictio in Sabatho Sancto expleri debeat ab Archipresbytero S. Pauli, in cujus Paræciæ districtu situm est Hospitale, prout asservatur =

Quamvis autem constabilita, et asservata methodo, et lege, qua dicti Patres Augustiniani in Hospitali deberent in-

infirmos Sacro reficere Viatico, tamen constantes animo in re, et Studiosissimi erga Emum Episcopum Mattei non retulerunt ab eo, sed extorserunt Decretum in actu S. Visitationis anni 1807., quo ipsis commissa fuit integre administratio Sacramentorum in Hospitali cum clausula = Donec aut Hospitalis translatio suum effectum sortiatur, aut eadem controversia declarata juridice sit.

Decretum hoc patet non consentaneum Sententiæ A.C., quam suspicor ignotam Emo Visitatori, ut ignota præcedentia decreta Sacrarum Visitationum; imo adverto his non derogatorium (nam in illo derogationis clausula erat apponenda) sed inopinate benevisum voluntati, ei animis Religiosorum qui statim ac editum fuit, primo Infirmo in Hospitali Sacra reficiendo Synaxi ab eorum Ecclesia SSmum Viaticum detulerunt non juxta præscriptum Ritualis Romani consuetum, sed modo solemniori idest processione transitando per Parochiam S. Pauli. Rei novitas, omnes fere dicunt, quamdam obtulisse admirationem, et animum Parochi S. Pauli et Capitularium ad recursum penes Emum Episcopum impulisse creditur. Quid postea evenit, narrare nequeunt Religiosi Augustiniani, qui paucos post annos ob notissimas vicissitudines una cum aliis eamdem passi fuere sortem.

Modo resurgit eadem, quam quæstionem peperit ultimum decretum Visitationis, pro cujus observantia Religiosi in fine elapsi Julii penes me economice institerunt adversus Archipresbyterum S. Pauli impugnantem illud utpote nec publicatum, nec affixum. Sibi errore detecto ita per litteras egi cum eo, ut dum teneretur servare decretum interim sua jura converteret ad meum Tribunal hinc inde experienda, et pariter sic egi cum dictis Religiosis eo fortius quod facultas juridice agendi declarata fuerat in eod. Decreto. Ad quid? Utraque Pars hac despecta pandita via, concitatæ animorum suorum motioni, Vicarium præstitit obsequium; Parochus in jure administrandi ut antea Sacramenta infirmis in Hospitali, et Religiosi in recursu adversus Parochum penes EE: VV. Rmas istius S. Congregationis integerrimos Interpretes, ac Judices. Lecto a me in fronte precum Rescripto, Jenazzanum petii. Ibique obser-

servatis Religiosorum libris mortuorum reperi duabus tantum vicibus sese ad Infirmos in Hospitali nempe anno 1807., et præterito mense Julio currentis anni Sanctissimum detulisse Viaticum transitando per Parochiam S. Pauli, pluries vero descripta nomina Infirmorum in dict. Hospitali mortuorum cum assistentia Parochi S. Mariæ et administratione etiam Sacramenti Extremæ Unctionis; præter aliud Eucharistiæ sine tamen transitu per dictam Parochiam S. Pauli. In Libris vero dicti Archipresbyteri S. Pauli pluries, pluriesque administrata fuisse per ipsum Parochum infirmis Sacramenta in eodem Hospitali. Credendum est transactis temporibus inter Religiosos, et Parochos S. Pauli rigorem jurium abiisse, et contentionem, nemine interdicente, quis morientibus assisteret, et quis deberet ibi Sacramenta Infirmis administrare. Nihilominus exhortando jussi custodiri ultimum decretum anni 1807. usque ad exitum causæ, et Archipresbyterum S. Pauli monui ad sua deducenda jura penes istam Sac. Congregationem, et credo gessisse morem. Nulla inde alia inter Parochum et Religiosos contentio, eo quod nullus huc usque occurrerit Infirmus Sac. Viatico in Hospitali reficiendus. Post laudatum Rescriptum morbi Infirmorum evanuerunt, et eorum facta est sanitas.

Quid autem de expositione Causarum, ac rerum in precibus porrectis ex parte Parochi S. Mariæ, et Patrum Religiosorum dicam ut dicunt narrata, falsa aliqua exposuisse, falsum est enim sese fuisse in possessione ab immemorabili dicti Hospitalis: falso dictum Hospitale fuisse antiquum Conventum Augustinianorum, falso se se fuisse in possessione et in jure deferendi SSmum Viaticum ab eorum Ecclesia, transitando per Parochiam S. Pauli ad Infirmos in eodem Hospitali degentes: quin hic Parochus obstaret unquam: falso tandem se se plenam, et integram exercuisse administrationem Sacramentorum in Hospitali. Huic expositioni resistunt ea, quæ relata sunt in Sacris visitationibus, et decreta in allata Sententia A. C. Verum tamen est, Parochum S. Mariæ sive Religiosos administrasse solemniter Sacramentum Eucharistiæ deferendo SSmum Viaticum ab eorum Ecclesia ad infirmos in Hospitali

et

et transitando per Parochiam S. Pauli: ***Ast hæc solemnis administratio duabus vicibus accidit una post decretum anni 1807. sub defuncto Parocho, et altera elapso mense Julio, inconsulto Parocho actuali, qui postea facto proprio restitit illi decreto sub obtutu quod nec publicatum, nec affixum esset, uti revera præcesserat illius publicatio, et affixio, licet acta illius S. Visitationis deficiant utpote ad librum non redacta canonice fateor dictum Parochum se male gessisse, e contra bene, si quæstio juridice per me declarata fuisset. Cætera in precibus exposita veritatem ambiunt.***

Plura in jure militant pro Archipresbytero S. Pauli, et primo quidem omnibus compertum est, singulis Presbyteris singulas datas esse Paræcias, ac Jurisdictionum fines inter eas divisos, adeo ut unus alterius jura invadere nequeat. Vetustioribus hisce Canonibus adhæsit S. Tridentina synodus *Ses. 24 Cap. 13. de Reform.* quæ mandavit *Episcopis pro tutiori Animarum eis commissarum salute ut distincto populo in certas, propriasque Parochias unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant.* In specie autem, de qua agimus, cum quæstio sit de Regularibus, magis urget favore Archipresbyteri juris dispositio, quæ vetat Regularibus sub pœna excomunicationis latæ Sententiæ, ne sine speciali Parochi licentia Sacramenta Eucharistiæ, Extremæ unctionis, ac Matrimonii administrarent. *Clement. 1. de' Privilegiis.*

Cum igitur a jure exorbitet, quod Regulares contendunt, ministrare scilicet Eucharistiam, aliaque Sacramenta infirmis inHospitale degentibus, opus est ut ostendant titulum, seu longam observantiam, qua suffulti jura Parochialia ibi exerceant. At Parochus S. Pauli longam observantiam, seu consuetudinem probare conatur, qua sibi competere jus Sacramenta administrandi infirmis ostendere vult. Affert ideo depositionem novem testium provectæ ætatis, qui asserunt, *come il Sig. Arciprete di S. Paolo ha sempre esercitato dall' uso di nostra ragione fino alla nostra età avanzata il diritto di amministrare il Sagramento dell'Olio santo*

agl'In-

agl'infermi dell'Ospedale detto di S. Croce, e di portar loro dalla Chiesa Parrochiale di S Paolo publicamente il SSmo Viatico ad eccezzione soltanto di poche volte di mattina, in cui celebrando la S. Messa i Religiosi Agostiniani di S. Maria nella Chiesa contigua al detto Ospedale portavano il SSmo Viatico a quegl' Infermi.

Id ipsum probare vult Archipresbyter per particulas ex libris Parochialibus ab anno 1772., usque ad annum 1820. depromptas, unde patet Parochum S. Pauli consuevisse Sacramenta Eucharistie, et extreme unctionis, quin et aliquando pœnitentiæ Infirmis in Hospitale degentibus ministrare: verum quum in omnibus S. Visitationibus Religiosis S. Augustini jus competere dicatur ministrare infirmis SS. Eucharistiam, Parochus contendit hoc exercere jus posse Religiosos tunc tantum, quum Sacrificium in adnexa S. Crucis Ecclesia offerant. Præsertim Parochus hoc jus contendit sibi competere, quum Hospitale non sit exemptum, prout habetur in decreto S. Visitationis Card. Spinelli superius relato.

At non desunt quoque argumenta Religiosorum favore. Certum enim in facto est, his spiritualem infirmorum curam concreditam fuisse ab immemorabili. Extat decretum Spinelli, quod Parocho S. Pauli administrationem Matrimonii, et Baptismi Sacramentorum, nec non benedictionem in Sabatho Sancto præservat. Si igitur hoc tantum ei reliquit, nullimode dubitari posse videtur, quin Eucharistiæ, et Olei sancti administratio ad Religiosos pertineat, qui curam habere debent infirmorum, eisque morientibus assistere onus est: exceptio enim firmat regulam in contrarium; clarius vero habetur in rejudicata A. C. ubi decretum fuit manutenendos esse Religiosos in jure administrandi Sacramenta Eucharistiæ, et extremæ unctionis infirmis, *At resjudicata pro veritate accipitur L. 208. ff. de regul. juris.*

Ab Episcopis Columna, et Matthæjo confirmatum hoc quoque fuit, ideo omnino Religiosis competere videtur hoc jus. At si Augustiniani administrare debent hæc Sacramenta Infirmis, quin asservetur Sacramentum in Ecclesia S. Crucis quomodo illud post me-

riliem, vel nocturno tempore administrabunt, nisi transeant per Paræciam S. Pauli, intra cujus limites situm est hospitale? qui vult finem, media quoque permittit: nec huic juri obstat relatum decretum Tridentini. Namque ibi Episcopis onus impositum est, animarum saluti providere per Paræciarum divisionum *aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit.*

Dicendum igitur est, Episcopos censuisse infirmis utilius esse eorum curam spiritualem Religiosis relinquere, quam Parocho, ideo decretum illud Fratribus non obstare videtur. Consuetudo vero, si extat pro Parocho, nec longa, nec legitime introducta dicenda est. Namque adversus eam habentur plura SS. Visitationum decreta, quæ executioni mandanda sunt, nec adversus illa appellatio suspensiva conceditur: omnis igitur consuetudo adversus hæc decreta abusus dicenda est.

Vestrum EE. PP. erit dirimere, quæ proponuntur.

Dubia

I. *An, et quomodo spectet administratio Sacramentorum Eucharistiæ et extremæ unctionis ad Fratres Eremitas S. Augustini in Hospitali S. Crucis in casu ec.*

Et quatenus affirmative

II. *An, et quomodo liceat Religiosis, infirmis deferre Eucharistiam transeundo per Paræciam S. Pauli in casu ec..*

Die Sabathi 22. Martii 1823. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacrae Congregationis de jure resolvenda.

CASALEN.

Sess. 22. Cap. 6., et Sess. 25. Cap. 4. de Reformat.

Dubium

An, et quomodo sit annuendum precibus Oratoris in casu etc.

Negative

CIVITATIS PLEBIS ET PERUSINA CANONICATUS

Sess. 24. Cap. 12. de Reformat.

Dubia

I. *An sit concedenda dispensatio super ætate favore Aloysii Valentini in casu etc.*

Et quatenus negative,

II. *An sustineatur nominatio Sacerdotis Philippi Prencipe ad Canonicatum in casu etc.*

Ad I. Negative

Ad II. Affirmative

Sess. 22. Cap. 6, et Sess. 25. Cap. 4. de Reform.

FAVENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, APPLICATIONIS, ET SANATIONIS

Dubia

I. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatum, ac legatorum Applicatione in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione in casu etc.*

Ad I. Dilata, et interim Episcopus inspectis fundationibus cujusque operis pii referat singulariter de natura, de adnexis Missarum oneribus, auditis omnibus interesse habentibus. An Montes Gallimani adhuc sint suspensi, vel jam restituti, et an superextantes reditus piorum operum, de quibus agitur, sint a fundatoribus ad aliquos usus destinati.

Ad II. Affirmative.

Sess. 24. Cap. 14. de Reform.

PRÆNESTINA ADMINISTRATIONIS SACRAMENTORUM

Dubia

I. *An, et quomodo spectet administratio Sacramentorum Eucharistiæ, et extremæ unctionis ad Fratres Eremitas S. Augustini in Hospitali S. Crucis in casu etc.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, et quomodo liceat Religiosis, infirmis deferre Eucharistiam transeundo per Parœciam S. Pauli in casu etc.*

Ad I. Affirmative quoad Eucharistiam ad formam sententiæ an. 1721., quo vero ad Extremam Unctionem negative, nisi de licentia Parochi.

Ad II. Negative.

RO-

ROMANA SEU MACERATEN. JURISPATRONATUS Antonia Regi nobilis Maceratensis Fœmina sub anno reparatæ salutis 1720. postremas suæ voluntatis condidit tabulas, vi quarum beneficium de jurepatronatus laicali in Maceraten. Ecclesia S. Georgii sub invocatione *B. Virginis della Salute* de bonorum suorum tam præsentium, quam futurorum reditibus erigi jussit, illud in universum suum hæredem instituens. Hujus vero Beneficii juspatronatus activum mandavit, ut ad ejus Neptem Lucretiam Regi nobili jam viro Josepho seniori Ciccolini nuptam, dein ad Filium primogenitum, qui ex ea ortum haberet, et ad istius primogeniti filios *in infinitum* spectaret. Mandavit insuper, ut si primogeniti linea Masculina forte penitus exaresceret, Fœmina primogenita ex primogenito orituta, et ejus Filii primogeniti *in infinitum* in jure activo ad laudatum Beneficium nominandi ultimo loco omnino succederent. *Sess. 22. Cap. 12. de Reform.*

E vivis pia Testatrix erepta, Lucretia ejus Neptis a viro suo Josepho Ciccolini duos filios mares habuit, Paulus Antonius videlicet primogenitus, et Delius secundo loco natus. Hic vero uxorem duxit, pluresque suscepit filios, quos inter recensentur Theodorus nempe primo loco genitus, qui Hyerosolimitanæ militiæ nomen dedit, et Modestinus secundo.

Cum vero primus supralaudati Beneficii Rector ab ipsamet pia testatrice nominatus diem obiisset supremum, Paulus Antonius, uti Josephi Senioris Ciccolini primo loco natus, ad hoc Theodorum ex Fratre Delio Nepotem statim nominavit, præsentavitque. Hic postquam canonicam hujusce Beneficii institutionem acceperat, Romam contendit, ut ibi operam utriusque juris gravioribus disciplinis operam impensius navaret. Interea, etsi ille prima fronte animo suo vitam in Cœlibatu ducere decrevisset, attamen cum mens humana semper mutationibus obnoxia sit, cæptum consilium correxit, et sibi quamdam ingenuam mulierem matrimonio copulavit, ex qua Josephum juniorem Ciccolini præter quinque fæminas suscepit, et postea inter plures adnumeratus est.

Nunc vero Modestinus secundogenitus, Theodori Fratris

tris morte, ad se controversi Beneficii jus nominandi devolutum esse contendens, coram Maceratensi Episcopo filium suum nominavit, qui beneficii possessionem jam adeptus est.

Verum enim vero Joseph junior Ciccolini defuncti Theodori filius, supplices proces porrigere *SSmo* diu non distulit, humiliter petens, ut eidem ad obtinendum dictum Beneficium, cujus juspatronatus activum sibi ad Parentis sui obitum jam devolutum esse putabat, super ætate veniam benigne concederet, circumscripta prius a Patruo facta præsentatione.

Petitioni Summus Pont. non annuit. Sed speciali suo Brevi mandavit, ut Josepho detur institutio *postquam tamen* ab EE. VV. *causa super utriusque contendentis Juribus juxta Decretum a Dataria nostra Apostolica cognita et judicata fuerit, et dictus Josephus ad quartumdecimum suæ ætatis annum pervenerit, et non alias.*

Causa igitur hodierna die per Decretum statuta Vobis, EE. PP., proponitur distributis rationum allegationibus à Josepho Juniore.

Quæritur igitur utrum literæ Apostolicæ, quas sui favore obtinuit supralaudatus Adolescentulus Joseph Ciccolini executioni committendæ sint, vel non.

Rationes, quas ipse in medium affert, in hoc uno versantur, ut demonstret, laudatarum litterarum executionem retardari nullatenus posse, statim ac ipsæ in omnibus verificatæ comprehenduntur. Et quod ipsæ veritati inniterentur, ex eo evinci putat, quod Pontifex resciverit ea omnia, quæ Jurispatronatus naturam respiciunt. Narravit enim institutum ab Antonia Regi Beneficium de jurepatronatus laicali, atque nominandi jus relictum fuisse, et pertinere *in infinitum* ad familiæ Ciccolini primogenitos, et ideo hoc ad se spectare, uti Theodori Primogeniti Filium Primogenitum. Addit quoque, cum in Jurepatronatus primogeniali ex jure edoceamur, quatuor præ oculis habenda esse, lineam nempe, gradum, sexum, et ætatem; attamen qui habet potioritatem lineæ primogenialis, sive sit filius, sive nepos, et si ulterior descendens, Patruum semper antecellit, et quemlibet alium in linea transversali existentem. *Peregrin. de Fideicomm. art.* 22. *n.*53.

Sub-

Subjungit, in jure exploratum, certumque esse, activum juspatronatus in linea primogeniali quondam ingressum esse continuo deferendum de primogenito in primogenitum usque ad ejusdem lineæ extinctionem, nec evelli ab ea posse, nisi penitus sit evacuata *Rot. Rom. cor. Molines decis.* 687. *numer.* 20. 21. *tom.* 3. Et quod ita voluerit pia Testatrix, ex ejus postremis voluntatis tabulis clare, patenterque evincitur. Tandem dicit certum in facto esse adversarium Modestinum non descendere ex primogeniali linea, in qua juspatronatus ingressum est.

Verum ne quid nimis EE. PP. hic Vos detineam, ne actum agere videar, vela contraham, et Vos ad allegationum Folium typis impressum remitto.

Quum vero ex parte Modestini aliquid hactenus in medium deductum non sit, proponitur Vestræ Sapientiæ EE. PP. dirimendum sequens

Dubium = *An Literæ Apostolicæ sint exequendæ in casu etc.*

Affirmative.

LUCANA SCAMNI. Decretum, quo Vicarius Generalis omnium præceperat sedilium remotionem ab Ecclesia Parochiali sub titulo S. Frigdiani, ægre ferens Joannes Mathias Banchieri ad hunc S. Congregationem provocavit. Hinc die 25. Januarii proximi elapsi propositum fuit dubium *An confirmandum sit decretum Vicarii Generalis Lucani in casu etc.*, et quamvis Joannes Mathias dilationem postulasset, responsum prodit *Affirmative.* Quare cum Beneficium novæ audientiæ Banchieri postulaverit, ac, ut in more est, obtinuerit; ideo eadem quæstio EE. VV. iterum disceptanda proponitur, deductis juribus a Banchieri, ac hodierna quoque die silentibus cæteris familiis. *Sess.21. Cap.3. de Ref.*

Et quoniam Banchieri Defensor in distributa allegatione nihil novi in facto profert, precor EE. PP., ut resume-

re

re dignentur folium diei 14. Decembris proxime præteriti. Quod vero pertinet ad jus, vel ipse Defensor nunc fatetur, Banchieri non minus quam alias Familias, precario dumtaxat, possedisse sedilia in Ecclesia S. Frigdiani, ac potuisse Vicarium Generalem eorum præcipere remotionem; at decens, et æquum fuisse denegat, Familiam Banchieri suo scamno sine justa causa expoliare.

Etenim in primis ostendit, tam jure communi, quam Synodalibus Lucensis Diæceseos sanctionibus posse a peculiaribus familiis acquiri jus, licet precario, habendi scamnum in Ecclesiis; familiam autem Banchieri hujusmodi jus adeptam esse demonstrat ex centenaria, atque immemorabili præscriptione; nam ex decreto Magistratus Lucensis edito anno 1730., quo sedile Banchieri in Ecclesia denuo collocari jussum fuit, perspicue evincitur, quod jamdiu illa Familia eo jure gaudebat, quemadmodum postea pacifice semper gavisa est ad hæc usque tempora. Centenaria vero præsumptionem inducit juris, et de jure cujuscumque tituli utilioris possessori ad tradita per Rotam *decis.* 1069. *cor. Molines num.* 3., *decis.* 124. *n.* 13. *coram Rezzonico, et in Tudertina Immissionis* 13 *Martii* 1789. §. 5. *coram Emo Cæsarei.*

At hujusmodi jure legitime quæsito habendi in Ecclesia proprium sedile nemo privari debet sine justa, et gravi causa, ut tradit *Diana resol. moral. part.* 10. *tract.* 16. *resol.* 64., *Ciarlin. lib.* 2. *controv.* 210. *num.* 37., *Ferraris Biblioth. v. Ecclesia art.* 5. *num.* 11., *et* 12.

Jurgia vero, et scandala, quibus permotus Vicarius Generalis decrevit sedilium remotionem, ex scamno Banchieri haud obvenisse conatur ostendere ejus defensor ex depositione jurata, et legali viginti trium testium, quos inter Rector ipsius Ecclesiæ S. Frigdiani, et Præses Communitatis Lunatæ. Isti enim propter sedile Banchieri numquam orta scandala, rixas, et divini cultus perturbationem, unanimiter profitentur: imo addunt, eam Familiam fuisse semper in Ecclesiam liberalem, ac benemeritam, in ejus scamno sedisse alias personas, quin ex adventu Familiæ Banchieri unquam discedere coactæ fuerint.

Nul-

ullo autem in pretio habendum esse, ait, folium ab Archiepiscopo transmissum, in quo viginti testes deponunt propter sedilia in Ecclesia S. Frigdiani existentia evenisse, ac evenire scandala, et jurgia, utpote illud, quod non est Sacramento Religionis a testibus firmatum, cujus subscriptiones a nemine recognitæ, et in quo nullum inter multa, quæ jactitantur, in specie indicatur scandalum.

eque rixas, et jurgia, quæ timet Vicarius Generalis, ne imposterum propter scamna eveniant, justam, ac probabilem esse causam contendit Banchieri; quoniam ab anno 1730 ad annum 1820. ejus Familia habuit sedile, quin ulla rixa, ac levis quidem turbatio inde processerit. Incendium vero omnium sedilium ab incognita manu patratum satis non est, ut in futurum eadem mala timeantur, siquidem pœna in reos, ubi detecti fuerint, infligenda efficiet, ut nec ipsi, nec alii tantum audeant facinus perpetrare.

erum Emi PP. perpendant, an decretum Communitatis Lunatæ anni 1730., quo præcipiebatur remotio scamni ad Familiam Banchieri pertinentis, ejusque fractio postquam Magistratus Lucensis decreverat, ut idem scamnum in Ecclesia denuo collocaretur, an depositiones viginti testium ab Archiepiscopo huic S. Congregationi remissæ, qui *per la pura verità, e con nostro giuramento* testatas faciunt crebras rixas, contentionesque propter sedilia exortas; an recens scamnorum incendium, ac testimonium Archiepiscopi confirmantis *inconvenientia, quæ derivarunt, et derivant, ut experientia docet* (forsitan incendium in Ecclesia S. Frigdiani) *in hac Diœcesi ex collocatione sedilium in Ecclesiis præsertim ruralibus*, tanti ponderis sint, ut EE.VV. decretum Vicarij Generalis iterum confirment.

nsuper animadvertant, testes a Banchieri allatos omnes quidem fateri ex scamno Familiæ Banchieri neque scandala, neque jurgia ortum habuisse, sed cum de aliarum Familiarum sedilibus omnino sileant, tacite innuere videntur, saltem ex iisdem incommoda, et scandala, quæ Vicarium impulerunt, ut omnium scamnorum remotionem mandaret, obvenisse. Videant igitur Emi Patres, utrum dissidia ex aliorum

I scam-

scamnis tantummodo exorta, satis habenda sint, ut sedile Banchieri iterum collocetur in Ecclesia.

Cætera habent Emi Patres in distributa allegatione; dubium hinc proponitur.

An sit standum, vel recedendum a decisis, in casu etc.

In decisis

Sess. 22. Cap. 2. de Reform.

ROMANA, SEU JANUEN. Hujusmodi Causa EE.PP. novem compræhensa dubiis proposita fuit die 16. Septembris anni 1820. In Folio illius Congregationis, quod reassumere precor, EE. VV. totius rei narrationem habent. Quarto dubio, quod sic se habet, *an, et in qua summa sit satisfaciendus Petrus Pantaleon Justiniani, qui studiis operam dedit in casu etc.* responsum fuit ab EE. VV. *videatur particulariter audito Emo Protectore.* Mandata EE. VV. aperui Emo Protectori, qui sententiam suam hisce pandit verbis „ Cui quidem muneri satisfacturus illud in „ primis veluti certum, indubiumque est habendum, „ a die prima Januarii 1794. ad totum annum 1819. „ fundo, qui in LL. MM., ut dicunt, fructibus con„ stituebatur, deperdito menstrua quindecim scutata „ ab Archiconfraternitate sub invocatione SSmæ Annun„ ciatæ persolvi amplius nequivisse. Hoc vero semel „ posito, nescio quo jure, vel cui innixus fundamen„ to Petrus Pantaleon Justiniani legati fructus eo tem„ pore non perceptos postulare queat. Siquidem ne „ alia ratione ejus votis suffragari vos EE. PP. pos„ setis, nisi simul decernendo, ut Scutorum quinde„ cim menstruorum assignatio, quod alter adolescens „ Josephus Justiniani jam ab anno 1820 gaudet, „ deinde cesset omnino. Atqui hoc Sententiæ, quam „ Vos ipsi die 16. Septembris anni 1820, tulistis pror„ sus adversatur. Hujus difficultatis vim, ut præoc„ cuparet Orator, satis sibi fore declaravit, situm „ primum in possessionem legati restitueretur, cum ho-

„ hodiernus legatarius suam decennium expleverit an-
„ no scilicet 1830. Si quid autem video, incidit ipse
„ in Scyllam, dum vult evitare Carybdin. Necesse
„ enim foret, ut Familiæ Justitianeæ Moderatores ab
„ alio eligendo Legatario abstinerent, donec Orator
„ fructus omnes, ad quos jus habere contendit per-
„ cepisset. Ex hoc autem fieret, ut Juvenis ad legati
„ adeptionem in posterum vacandus illud pateretur
„ damnum, quod cum nonnisi difficillimorum tem-
„ porum vitio verti possit, in eum tantummodo re-
„ dundare debet, qui iis ipsis temporibus legato frue-
„ batur; minime vero in alium, qui nondum tunc
„ lucem videret. Quid! si oratoribus precibus esset
„ annuendum, pari jure in annuam distributionem
„ Dotium, iis posthabitis puellis, qui ætatem in præ-
„ sentiarum agentes legibus prædictæ Archiconfrater-
„ nitatis designatam nubere cupiunt, illæ essent præ-
„ ferendæ, et ad dotem assequendum vocandæ,
„ quæ ob communem rerum perturbationem diuturno
„ viginti duorum annorum spatio, eam consequi ne-
„ quiverunt. Quod quam absonum sit, nemo est,
„ qui non videat. His omnibus accedit, Oratorem nullo
„ satis firmo argumento comprobasse id, quod asse-
„ rit, nempe quo tempore Januæ moratus est, stu-
„ diis a Testatore præscriptis vacasse, illorumque cur-
„ sum confecisse. Siquidem testimonium ab eo exhi-
„ bitum nutans omnino, genericum, et nullius ro-
„ boris est. Adhibet scilicet testes sibi adhærentes,
„ et qui non nisi de auditu testantur, quibus insu-
„ per, eo vel minus fides est habenda, quod testes
„ de facto proprio, ut dicant, rem affirmantes faci-
„ li negotio potuissent afferri, cujusmodi essent Præ-
„ ceptores, condiscipuli, aliique probati, omni exce-
„ ptione majores, viri. His vero perpensis, Oratoris
„ votis suffragari posse non video. Reliquum est, ut
„ vos EE. PP. rem ad trutinam revocetis, et pro ea,
„ qua polletis Sapientia judicetis „.

Petrus Pantaleon Justiniani hæc subjicienda dedit ocu-
lis EE. PP. Primo in facto certum esse, legati bene-
ficium non esse assecutum, nisi per quinquennium
circiter. Nam cum anno 1795. ex Serenissimi Prin-
cipis indulgentia obtinuerit Perusiæ universitati sub-

stitui Collegium Clementinum in Urbe, ibique studiis a pio Testatore præscriptis navare operam, Gallorum copiis in Italiam erumpentibus Anno 1798. Patriam iterum coactus est remeare, quo tempore menstrua Scutata quindecim non est assecutus. Verum cl. me. Benedicti Cardinalis Justiniani voluntate vocati ad hoc beneficium eo gaudere per decennium debent, hosque legatarios prædilexit Testator, ut clare colligitur ex ordine, quo eos in suo ultimo elogio vocavit, et præsumi potest, et debet, voluisse semper suos præferri extraneis. Si igitur Petrus Pantaleon Justiniani nisi dimidiam partem legati assecutus est, alterius dimidiæ assecutioni locus adhuc esse videtur, si quantum in ejus fuit potestate, testatoris curavit implere voluntatem. Conditio enim a testatore imposita toties impleta habenda est, quando implementum haberi non potest, et per gravatum non stet, quominus adimpleatur, ut clare colligitur *ex L. uter ex fratribus 20. ff. de condit. instit., Leg. cum annum 1. cod. de instit. et subst., et Rota decis 35 num. 9. par. 4. tom. 1. recent.* Manifestum est igitur in oratoris potestate non fuisse dare operam studio juxta Testatoris mandatum, eo enim tempore exteri Patriam remeare coacti fuerunt, et Collegium Clementinum ab Invasoribus suppressum fuit. Ergo etsi voluntati Testatoris non satisfecerit, ejusdem tamen liberalitate carere non debet.

Præterea Orator documentum protulit, quo demonstrat se Januæ vacasse studiis, postquam expulsus a Clementino Collegio in Patriam remigrare coactus est, quo probat, Testatoris voluntatem implevisse, eo modo, quo eorum temporum circumstantiæ sinebant. Parum vero interest (ait Petrus Justinianus). utrum Romæ, vel Januæ studiorum curriculum ille perfecerit, quando certo constet, de oneris adimplemento. Causa enim finalis, et potissima Testastoris fuit, ut Legatarius studiis vacaret. Non protulisse Præceptorum attestationes, illi impedimento esse non debet, quominus legatum assequi queat. Nam cum plures anni effluxerint, ex quibus sua Studia perfecit, et ipsius præceptores diem extremum obierint, nec illi datum sit eos ad vitam revocare, perperam eorum

de-

desiderantur attestationes. Addit insuper se paratum esse, Romam venire, strenuumque subire examen, ut cognoscant EE. VV., an præscriptis a testatore studiis operam navaverit, in eisque pro viribus profecerit.

Denique addit, jus ipsius ad integri legati assecutionem jam esse acquisitum, et eo privari sine injuria non posse; neque alienum lædi jus, si per aliquot annos alterius juvenis suspendatur nominatio, quia in hoc solum differretur legati beneficium, in illo vero jam asseculi denegaretur solutio.

Hæc ex utraque parte deducta habent EE. VV. ut respondere valeant.

Dubio

An, et in qua Summa sit satisfaciendus Petrus Pantaleon Justiniani, qui studiis operam dedit in casu etc.

Negative in omnibus.

FANEN ABSOLUTIONIS, ET SANATIONIS CONTRACTUS. Parochus Vincentius Monti an. 1819. ad fatiscentem parochialem Ecclesiam reficiendam, ampliandamque pro parochianorum opportunitate requisivit a Sacra Congregatione facultatem alienandi nonnulla bona ad paræciam spectantia. Proposita fuit causa die 12. Junii ejusdem anni sub illa dubiorum formula, quam præsefert folium præfati diei; iisdemque iterum propositis dubiis in Congregatione diei 21. Augusti, tandem responsum dederunt EE. PP. in Congregatione diei 18. Septembris ejusdem anni 1819. Et ad 1. dubium = . *An, et quomodo Ecclesia Parochialis, de qua agitur, sit reædificanda in casu etc.* =; respon-

Ses. 25. cap. 11. de Refor.

sponsum fuit = *Affirmative juxta votum Episcopi* =; ad II. dubium = *An, et quomodo sit concedendum indultum pro venditione bonorum, de quibus agitur in casu etc.* =; responsum datum fuit = *Affirmative servatis de jure servandis* =. Cætera habent EE. PP. in foliis præfatorum dierum, quæ reassumere precor.

Hæc Sacræ Congregationis rescripta cum executioni mandaret Parochus Monti, alienavit pro summa scut. 440. domum veterem parochialem cum adiuncto prædiolo, et pro summa scut. 25. quamdam criptam, de quibus mentionem minime fecit S. Congregationi, existimans Monti hisce super bonis ipsi ablegatam alienandi facultatem. Cum primum autem suum cognovit errorem Parochus Monti, illico supplicavit S. Congregationem tum pro sanatione contractuum, tum quoque, si quæ forent, pro absolutione a censuris. Requisivi de more Episcopum, pro informatione et voto, ut referret de oratorum bona fide, pretio vere retracto ex venditione domus parochialis, summa impensa pro fabrica Ecclesiæ, et certioraret de resultantibus ex rescriptis S. Congregationis. Episcopus accurate ad omnia respondens, hæc habet =. *Nimirum vera esse omnia et singula, quæ in precibus Oratoris asseruntur, ipsumque oratorem cuncta, quæ relate ad novæ Ecclesiæ ædificationem, et parochialis domus effecit bona fide, et ardenti tantummodo desiderio cultum Dei adaugendi. præstitisse. Præterea omnia, quæ in rescripto ab Emis VV. sub die 18. Septembris anni 1819. clementer emisso disponuntur, et præcipiuntur, ea fuisse ab Oratore adamussim, et scrupolose executioni mandata. His addo officiales pii Sodalitii sub titulo SSmi Sacramenti existentis in supradicta Ecclesia S. Mariæ, quos solos uti interesse habentes hoc in proposito agnosco gratiæ ab Oratore petitæ non se opponere; imo laudibus eum cumulare, quod parochialis ecclesiæ, et domus decentiam, et commoditatem plurimum auxerit.*

Jam vero quod attinet ad pretium vere retractum ex venditione veteris domus Parochialis, EE. VV. RR. certiores reddo, tale pretium fuisse scut. 440. 25. juxta valorem huic domui attributum per legalem peritiam a magistro Structorum in antecessum emissam. Iidem

mihi

mihi plane constat hujusmodi summam in constructione novæ domus parochialis integre fuisse erogatam; quæ insuper valorem continet duplo majorem, quam antiqua domus distracta: Tandem assero, fide nixus authenticorum documentorum in constructione novæ Ecclesiæ, et domus S. Mariæ de Rosario in suburbiis hujus civitatis positæ, erogatam fuisse summam romanorum scut. 2532. *et ob.* 50.

Quæ cum ita se habeant, non dubito, Emi PP., mea vota precibus oratoris adjungere vehementer exoptans, ut gratiam, quam postulat, consequatur.

Ne bona ecclesiæ temere dissipentur, solemnitates requirunt S. Canones in illorum alienatione, quæ si omissæ fuerint, suo omnino robore carent contractus, et ita contrahentes pœna excommunicationis mulctantur *extrav. ambitiosæ de reb. Eccl. non alienan, Reiffenst. in jus can. lib. 3. tit.* 13. *§. 3. num* 52. *et* 66. Attamen alienationes, quæ necessitatem, vel evidentem utilitatem præseferunt, quamvis initæ absque beneplacito Apostolico, non resciudu ntur, imo ratæ habentur *arg. can. si qua de rebus* 12. *q* 2., *Abb. in cap. diversis fallaciis num.* 6 *de cleric. conjug.*, *Engel de reb. Eccl. non alienan. num.* 20. Evidens ista utilitas in alienatione, quam inconsulta Sede Apostolica ex errore perfecit Parochus Monti, desumenda videtur ex veteris alienatæ domus statu fatiscente, ac pro parochis indecora, et ex nova constructa domo, qua necessitati, ac parochorum decentiæ satis ille consuluit. Episcopus namque, cæterique interesse habentes parochi zelum laudant, ejusque factum comprobant. His addendum, bonam adfuisse fidem contrahentium, et venditionis pretium constitutum ad formam peritiæ fabrimurarii.

Pro absolutione a censuris, de qua quæritur in altero dubio, favet Parocho eadem bona fides. Hac enim adstante contrahentes excusantur a pœnis in Extrav. *ambitiosae* inflictis *Barbos, in ead. Extrav.*, et *Reiffenstuel in cit. l. 3. tit. 3. §. 3. num.* 67, et S. Cong. pro absolutione respondere solet, ut *in Pisauren. Emphyteusis* 18. *Mart.* 1820.

Hisce præmissis dubia proponuntur.

I.

I. *An, et quomodo sanari debeat alienationis contractus Parochi Monti in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione a censuris in casu etc.*

Non proposita cum sequenti.

Sess.25. Cap.4. de Reform.

SAVONEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. In folio diei 30. *Martii* 1822. proxime præteriti, quod reassumere precor hujus causæ speciem EE. PP. habent, quæ hodie judicio, sapientiæque vestræ dirimenda iterum proponitur. Tria proposita fuere dubia I *An sit concedenda sanatio quoad præteritum in casu etc.* II. *An et quomodo sit locus adimplemento legati quoad futurum in casu etc.* III. *An sit consulendum SSmo pro absolutione in casu etc.* His dubiis die 25 *Maii* superioris anni responderunt EE. PP. ad I. et III. *Affirmative*; ad II. vero. *Affirmative ad tot Missas lectas ad taxam perpetuæ adsignato per capitulum aliquo libero, et idoneo fundo, super quo fieri possit inscriptio pro securitate legati, sin minus curet Episcopus quotannis fieri a capitulo depositum alicujus summæ arbitrio Episcopi ad effectum investiendi usque ad redintegrationem libell. 3000., et describatur in tabella.*

Ad aures Episcopi Savonensis statim ac hæc Sacr. Congr. resolutio pervenit, hac de re informationis Epistolam misit.

Essendo stato, ipse ait, *in visita a Final di Borgo, ho voluto prendere esatto stato delle Finanze del Capitolo di S. Biagio per iscorgere, quale somma potessi prescrivere a quei Signori Canonici da porsi in deposito per la reintegrazione del Capitale, ma debbo confessare, che mi sono trovato imbrogliato più che mai, osservando, che l' entrata del Capitolo non ascende che a L. 973. 6. ossiano scudi Romani circa 150., come meglio potrà ravvisare dall' annesso stato. Il Capitolo è com-*

è composto di 14. Canonici : le Distribuzioni sono tenuissime , e quali da non valutarsi ; onde se si diminuisse un poco di più la rendita si ridurranno i Canonici a servire gratis .

Desi inoltre riflettere che del sudetto Capitale di Lire 3000. rimangono ancora impiegate Lire 1000. e co' frutti di queste si sodisfano le Messe 40. convenute colla Vedova de Marini nel 1802. da farsi celebrare nelle Domeniche , cominciando dopo la Domenica di Pasqua , ed assicurato il Capitale per la perpetua celebrazione . Finalmente si dee osservare che il Legato De Marini nella sua origine era temporario , mentre dovevano impiegarsi le L. 3000. in elemosine di tante Messe , col Capitale impiegato delle L. 1000. diviene ora perpetuo , e molto più utile pel servizio della Chiesa , e popolazione dovendosi celebrare le Messe 40. in giorno di Domenica. Onde mi pare , che si potrebbono condonare al Capitolo le L. 2000. consumate , ed approvare per compenso le L. 1000. impiegate coll' obligo delle 40. Messe. Quando V. E. Rma trovi giuste l' esposte ragioni mi farà grazia d' interessarsi a prò di un Capitolo , che merita tutti i riguardi per lo zelo , e disinteresse con cui serve la Chiesa

Post hanc censui causam reproponere quoad II. Dubium tantum. Nihil in jure Canonico exploratius quam quod non esse commutandas ultimas Defunctorum voluntates , nisi subsit justa, et necessaria causa , quæ commutationem suadeat , ut ex *Can. ultima voluntas Caus.* 13. *Quest.* 2. , *Cap. Quia Monaster. de Relig. Dom.* , *et Conc Trid. Sess.* 21. *Cap.* 18. *De Reformatione .*

Certum est etiam in jure Summum Pontificem plenam habere potestatem commutandi ultimas fundatorum voluntates justis concurrentibus causis. Clara est Sanctio in Concilio Generali edita per omnem Ecclesiam perpetuo servata recepta in *Clement. Quia contigit* 2. *de Relig. Domib. = Ea quæ ad Certum usum largitione sunt destinata Fidelium , ad illum debeant , non ad alium (salvaquidem Sedis Apostolicæ auctoritate) converti .*

Videant nunc igitur EE. PP. utrum in præsenti Casu adsit necne justa , necessaria , ac rationabilis causa , quæ commutationem petitam suadere possit.

K Ca-

Causa quæ in re præsenti affertur, uti inferri potest ex superius allata Episcopi informatione, et quæ, magnam vim addit facultati petitæ benigne concedendæ, est absoluta *impotentia*, in qua Capitulum versatur, *fundum* constituendi pro securitate Legati juxta resolutionem hujus Sacræ Cong. editam. Mensæ Capitularis reditus, ait Episcopus sunt adeo tenues, ut vix Summam Scutorum Romanorum 150. attingant. Si vero ex his reditibus aliqua summa quotannis dematur pro hoc constituendo, usque dum redintegratio Capitalis Libell. 3000. efficiatur, Canonici ad Chorale servitium præstandum *gratis*, et Amore Dei, ut dici solet, indubitanter obstricti erunt.

Addit etiam ex laudato Fundo lib. 3000. adhuc Libellas 1000. superextare, ex quarum fructibus oneri Missarum 40. juxta voluntatem viduæ De Marini satisfit, et quæ Dominicis diebus a Resurrectione Dominica incipiendo perpetuo celebrantur, cautione jam præstita circa earum sortem.

Subjungit tandem animadvertendo, quod legatum a defuncto Viro De Marini volitum, cum esset ex sua natura temporarium, si hæc commutatio a Summo Pontifice concedatur, illud nunc fieri *perpetuum*, et utilius certe pro Ecclesia, et populo, cum hæ Missæ diebus Dominicis celebrari debeant.

Videant tamen EE. PP. assueto eorum, ac toties probato Judicio, sapientiaque, utrum causæ, quas Episcopus in medium profert, sint necne rationabiles, ac justæ, vi quarum petita commutatio concedi possit. Cætera vero habent EE. VV. in citato folio diei 30. Martii 1822. quod reassumere precor, ut dirimere possint dubium.

An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum Dubium in casu etc.

Die Sabathi 19. Aprilis 1823. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FANEN. ABSOLUTIONIS, ET SANATIONIS CONTRACTUS *Sess. 25. Cap. 11. De Reformat.*

Dubia

I. *An, et quomodo sanari debeat alienationis contractus Parochi Monti in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione a censuris in casu etc.*

Ad I. Affirmative in omnibus facto verbo cum SSmo.

Ad II. Affirmative in omnibus.

SAVONEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. *Sess. 25. Cap. 4. De Reformat.*

Dubium

An et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc.

Recedendum a decisis, et esse celebrandas in futurum Missas 40. lectas diebus festis, facta inscriptione oneris super fundo libero, et descriptione in tabella; in reliquis celebrata unica vice Missa cum cantu, et assistentia totius Capituli, consulendum SSmo pro gratia absolutionis, et condonationis.

Sess. 24. Cap. 1. de Ref. Matrim.

TUDERTINA DENUNCIATIONUM MATRIMONII.
Dubitatum est in Tudertina Diæcesi, an denunciationes matrimonii rite, recteque publicari possint diebus festis, quibus ex Apostolicæ Sedis dispensatione operibus servilibus vacare licet, omnisque etiam audiendi Sacrosanctum Missæ Sacrificium obligatio fuit sublata: cumque dubium hujusmodi observantiam respiciat Decreti Tridentini Concilii, ideo pro ejusdem Decreti interpretatione hæc S. Congregatio consulitur.

Requisitus Tudertinus Antistes, ut audito præsertim Promothore Fiscali, et transmissis particulis Synodorum ad rem facien. referret de consuetudine quoad præteritum tempus, suumque votum aperiret: hæc in sua informatione retulit = *Consuetudo proclamandi Matrimonia tribus diebus festivis, juxta mandatum Tridentini, unicā, vel ad summum duplici vice diebus festis suppressis ab anno reductionis Festorum* 1798. *invaluit, et servata est in hac Civitate, et Diæcesi sub prædecessoribus meis Episcopis Lotrecchi, et Cioja; et hoc rationi consonum est, tum quia mandavit SS. Pontifex fel. record. Pius VI., ut in omnibus diebus festis dispensatis omnes Ecclesiasticæ functiones, et sacra exercitia haberentur in Cathedralibus, et Parochialibus absque ulla innovatione, tum denique, quia oraculum istius S. Congregationis Concilii sub die* 17. *Junii* 1780. *in una Brunen. in Bohemia decrevit = Fieri posse denunciationes Matrimoniorum inter Missarum solemnia in diebus olim festivis de præcepto, et nunc dispensatis = Hisce positis, putarem servari posse consuetudinem hucusque introductam, et consonam Decretis alias a S. Congregatione emissis, eo vel magis, quod ex ea nullum adhuc exortum est inconveniens, quia quando dispensantur, accedente justa, et rationabili causa, duæ proclamationes, tertia publicatio semper habetur die festo de præcepto.*

Promothor quoque Fiscalis Tudertinæ Curiæ testatur, plerosque Diæcesis Parochos, etiam diebus festis abrogatis, indiscriminatim denunciationes matrimoniales in suis Ecclesiis publicare, et in reliquis idem cum Episcopo sentit.

Vetus est Ecclesiæ praxis matrimonia, antequam celebren-

brentur, tribus diebus festis continuis in Ecclesia inter Missarum solemnia denunciandi, ut ita, si quod forte lateat, impedimentum detegatur *Pirhing. Jus canon. Lib.* 4. *tit.* 3 *num.* 28., *Reiffenst. ibid. n.* 6., *Picler ibid. num.* 4. Disciplinam hanc ex speciali nonnullorum locorum consuetudine repetit Concilium Lateranense *in Cap.* 3. *de clandestin. desponsat.*, quam ubique deinde servandam esse constituit. Lateranensis Concilii Decreto inhærens Tridentina Synodus *Sess.* 24. *Cap.* 1. *de reform. Matrim.* præcepit, ut ,, ante-,, quam Matrimonium contrahatur, ter a proprio con-,, trahentium Parocho, tribus continuis diebus festi-,, vis, in Ecclesia inter Missarum solemnia publice ,, denuncietur, inter quos Matrimonium sit contra-,, hendum ,,. Quamvis autem hujusmodi Decretum viguerit semper quoad substantiam, et nunc etiam vigeat, uti notat Benedictus XIV. *de Synod. Dioeces. Lib.* 13. *Cap.* 23. *n.* 13., plurimum tamen disputatum est inter Doctores, utrum diebus quoque ferialibus, et extra Missarum solemnia, matrimonii denunciationes publicari legitime valeant, vel saltem diebus festis abrogatis, in quibus ex Apostolica dispensatione opera servilia permissa, atque ab omni christifideles missam audiendi obligatione soluti fuerunt. Pro denunciationibus, etiam ferialibus diebus, atque extra Missarum solemnia peragendis, non pauci enumerantur Doctores; ac primum Barbosa *de Off.*, *et Potest. Episc. alleg.* 32. *n.* 15., qui apertissime docet, denunciationes ,, fieri posse alio die, ,, quam festo, eo scilicet, quo ingens hominum multitu-,, do ad Ecclesiam accedit . . . . cum Concilii fini hoc ,, modo satisfactum sit ,, Huic consona est sententia Pirhing. *Jus Can. Lib.* 4. *tit.* 3. *num.* 28., *Sanchez de matr. Lib.* 3. *disp.* 6. *num.* 9. 10., *Bonaccina de matr. quæst.* 2. *puncto* 6. *num.* 18., *et* 19., *Reinffestuel. Lib.* 4. *Decretal. Tit.* 3. *num.* 7. ac novissime etiam B. Alphunsus de Liguorio *Theol. moral. Lib.* 6. *Tract.* 6. *de matr. Cap.* 3. *de imped. matr. dub.* 1. *num.* 992. idem docuit, eamdemque, ac alii affert rationem = *quia jam satis impletur finis Concilii* = Atque hæc S. Congregatio *in Avenionen. diei* 25. *Octobris* 1586. rescripsit, Ordinarium posse ex causa dispensare, ut, dum canuntur Vesperæ, possint fieri denunciationes, die-

bus

bus tamen festivis *Lib* 4 *Decret. pag.* 189. Inde veri inferri posse videtur Concilii verba non ideo strictim esse intelligenda, ut inter Missarum solemnia publicandæ omnino sint Matrimonii denunciationes, sed Decreti finem præcipue attendendum, ut scilicet ad multorum notitiam matrimonia perveniant; quod obtineri æque potest, sive inter Missarum solemnia, sive dum Vesperæ cantantur; atque ex identitate rationis diebus quoque ferialibus, dummodo adsit ingens populi concursus.

De festivis autem diebus, licet abrogatis, illud etiam animadvertendum est, SS. Pontifices jussisse, ut functiones Ecclesiasticæ, sicuti antea, in quacumque Ecclesia celebrari debeant. Quare cum in iis, quæ ad Ecclesiæ functiones pertinent, nihil in abrogatione festorum sit innovatum, ne in Matrimoniorum quidem publicationibus aliquid mutatum fuisse videtur. Idque confirmatur ex omnium pene locorum, et hujus etiam Urbis praxi, ubi in Festis quoque abrogatis Matrimonii denunciationes publicari plerumque solent.

Contrarium tamen alii sentiunt Doctores, qui tenent, ea Tridentini verba = *tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publice denuncietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum* = ita esse taxative intelligenda, ut nulla prorsus ratione possint præteriri, uti videre est apud *Ferraris verb. Matrimonium quoad denunciationes in addit. Ex aliena manu num* 80. *et seqq.*, aliosque idem sentientes recenset *Riccius in praxi for. Eccles. resol.* 235. *num.* 3. Hæc autem S. Congregatio *in Brunen.* 17. *Junii* 1780., quam Tudertinus Antistes in sua Informatione indicavit, Episcopo Brunensi in Moravia sciscitanti, num iis quoque diebus festis, in quibus ex indulto S. M. Clementis PP. XIV., omni audiendi Missam obligatione sublata, operibus servilibus vacare permissum fuit, matrimonia ineunda nunciari possent; minime decrevit, denunciationes Matrimonii absolute fieri posse, verum proposito Dubio respondit = *scribatur Episcopo juxta mentem* = Litteris deinde datis ad Brunensem Episcopum *die* 5. *Julii ejusdem anni* 1780. S. Congregationis mens hisce verbis fuit pandita „ Cavendum „ abs te maxime, atque enixe providendum, ut sarta „ tecta saluberrima S. Concilii sanctio de nuntiandis popu-

„ pulo Matrimoniis in tribus diebus festivis, omnino „ servetur. Quod enim a tanti Concilii Patribus præ„ scriptis, atque conceptis verbis statutum est, id „ plane est, religioseque retinendum. Sed quoniam „ eo loci relinquunt Patres Episcoporum judicio, ac „ prudentiæ, ut si quandoque expedire judicaverint, „ una, aut plures hujusmodi Matrimoniorum publi„ cæ denunciationes remittantur; hinc rebus omni„ bus, quæ ab A. T. exposita sunt, in S. Congrega„ tione Concilii mature perpensis, annuente etiam „ SSmo D. N. Pio PP. VI., decretum est, Tuo pari„ ter judicio, ac prudentiæ permitti posse, ut si quan„ doque gravis aliqua causa intercesserit, Matrimo„ nium quodpiam citius iniri debere, priusquam ex„ pectari possint tres dies festivi, ut populo denun„ cietur, indulgeas in singulis casibus Parochis tuæ „ Diœcesis, ut peragant denunciationes in iis etiam „ diebus, in quibus juxta supra relatum Clemen„ tis XIV. Indultum sublata festivitas est, remissum„ que præceptum audiendi Missam, retenta tamen in „ Ecclesiis Officii, ac Missæ celebratione. Utere igitur „ hac Tibi concessa facultate, arctis tamen pruden„ tiæ, discretique arbitrii legibus; atque ea præsertim „ sub conditione, quæ ejusdem facultatis Tibi elar„ giendæ potissima causa est, quod nempe in illis „ diebus, qui festi non sunt, frequens adhuc perse„ veret Populi ad Ecclesiam concursus, ut quantum „ fieri potest, saluberrimæ legis a Concilio Tridentino „ præscriptæ finis, ac scopus habeatur, qui non alius „ certe fuit, nisi ut in Populi frequentia ineunda Ma„ trimonia denunciarentur, quo facilius, si quæ fo„ rent impedimenta detegerentur „. *Lib.* 130. *Decret. Sac. Cong. Conc. ann.* 1780. *pag.* 423.

Isce prænotatis, vestrum erit EE. PP. dirimere, quod proponitur.

Dubium

An in diebus festis abrogatis fieri possint Matrimoniorum denunciationes in casu etc.

Negative, nisi de licentia Episcopi cum conditionibus ad formam *Brunen. diei* 5. *Julii* 1780. facto verbo cum SSmo.

CI-

Sess. 24. Cap. 5. de Refor.

CIVITATIS PLEBIS PROCURATIONIS. Episcopo sacram visitationem obeunti procurationem denegavit Parochus Ecclesiæ S. Blasii, ea ductus ratione, quod ejus Ecclesia, tertio a Civitate Plebis lapide distans, tamquam Paræcia Suburbana semper est habita, neque ipse, qui *anno* 1794. possessionem Parœciæ nactus est, victualia Episcopis unquam exhibuit, neque ejusdem Antecessores abhinc annis decem et octo supra centum exhibuisse traditione fertur. Quamobrem Procurator Fiscalis, ne totum procurationis onus in Parochum proximæ Ecclesiæ S. Donato dicatæ refunderetur, adversus Parochum S. Blasii opportunam denunciationem emisit, et supplex adiit S. Congregationem, hac de re quæstionem EE. VV. dirimendam proponens.

Episcopus, ad quem datæ sunt Litteræ, postquam significavit, nullam nec in sua, nec in finitimis Diœcesibus esse Paræciam, quæ se ab onere proprio Episcopo, ejusque sociis victualia occasione Sac. Visitationis præstandi eximere contendat; de Ecclesia S. Blasii ita edisserit = *Circa vero allegatam a Parocho partialem, seu specialem suæ Paræciæ consuetudinem, non est negandum, unum, vel alterum ex suis antecessoribus, uti ex incerta fama habetur, ob prætensam quamdam suburbanitatem Ecclesiæ S. Blasii existimasse, se esse exemptos ab onere procurationis. Sed si extat hujusmodi incerta vox, extat pariter vox illa, qua asseritur, Episcopos fuisse semper renuentes, neque hanc qualitatem suburbanitatis unquam admisisse, imo prætensam consuetudinem contrariis actibus interrupisse.*

At concessa etiam unius, vel alterius Parochi ex recentioribus renuentia absque ulla Episcoporum contradictione, ab initio non fuit sic. Nam percursis ex mandato EE. VV. actis Visitationum ab anno 1601., *ex quo in Ecclesiam Cathedralem, et Episcopalem erectum fuit Castrum Civiplebense, usque ad annum* 1815., *satis superque apparet, numquam a Parochis S. Blasii denegatam fuisse Episcopis visitantibus procurationem, vel loco ipsius alimentorum subministrationem, ut deducitur ex particulis Visitationum, quæ in adnexo folio exhibentur cum adnotationibus.*

Si

quid autem dicendum erit super prætensa suburbanitate, sciendum est, apud Ecclesiam Collegiatem Castri Plebis, antequam erigeretur in Cathedralem, extitisse Curam animarum habitantium in circuitu milliarium mensuræ Romanæ circiter quadraginta, quæ exercebatur promiscue per Capellanos, seu Vicarios hinc inde residentes. In hoc vastissimo tractu terræ ab Apostolico Delegato erectæ fuerunt septem Parochiales: tres in Civitate, et quatuor in Territorio, sine ulla tamen unius ab altera dependentia, neque ullo canone subjectionis, seu filiationis. Primæ ut distinguerentur a secundis, dictæ fuerunt urbanæ, et alteræ suburbanæ. Inter has ultimas existit Ecclesia S. Blasii præ cæteris ditior. Ast inter omnes suburbanos solus Parochus S. Blasii, Rector Ecclesiæ præ cæteris ditioris, sub hoc titulo suburbanitatis intendit se eximere a procuratione, imo totum onus in alteram Ecclesiam S. Donati, pariter suburbanam, se in terminis contradicens, transferre vellet. Quæ exemptio, si illi concederetur sub hoc titulo, potiori iure aliis tribus Ecclesiis multo inferioris fortunæ competeret, quæ vel æque distant, vel paulo magis a Civitate, et cogerentur Episcopi Visitatores vastissimum terræ tractum, incerta sede, inter anfractus montium, percurrere, maximo eorum, sociorumque incommodo, et præsertim cum detrimento regularis, et diligentis Visitationis.

Addendum existimo, tam tenuem esse constitutam procurationem, vel tam parcam alimentorum pragmaticam, ut omnes admirentur etiam cum scandalo, quod unus solus ditior ex Parochis totius Diœcesis renuat præstare Episcopo visitatori hospitalitatem.

Particulæ, quas memorat Episcopus, ad visitationes pertinent *annorum* 1647. 1705. 1775. 1805. ex iisque depromitur, Episcopos inchoasse lustrationem Diœcesis a Parochia S. Blasii, ibique certe semel, atque iterum habuisse stationem, vespere autem se contulisse ad Ecclesiam S. Donati. Verum non constat, an Episcopi suis, vel Parochorum S. Blasii stipendiis vitam traduxerint, et ullane ab Episcopis pro tuendo jure procurationis unquam emissa fuerit denunciatio. Compertum vero est ex eisdem particulis, *anno* 1805. Episcopum Becchetti, ut quamlibet adversus procurationis

præstationem interrumperet præscriptionem, = *vi si trattenne tutto il giorno, sedendò a mensa con gli altri Convisitatori, non ostante le contrarie verbali dichiarazioni, e proteste del Parroco attuale, che è il solo reclamante* =

De procurationibus ante Concilium Tridentinum hæc fuerunt apprime explorata: alterum, quod procurationes omnia Beneficia visitationi obnoxia, ipsaque Cathedralis Ecclesia solvere tenebantur *Cap. Cum instantia* 17. *De Censibus, et cap. Venerabili eod.*: alterum, quod nulla omnino contra procurationes induci poterat præscriptio, etsi tempus effluxisset hominum memoriam superans, *Cap. Accedentes* 9. *de Præscript. et Cap. Cum ex officii* 16. *eod.*

Quoniam vero Patres Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 3. *de refor.* monent Episcopos Diæcesim visitantes, ut *modesto contenti sint equitatu, famulatuque*, nec quidquam pro visitatione accipiant, *exceptis victualibus, quæ sibi, ac suis frugaliter, moderateque pro temporis tantum necessitate, et non ultra, erunt ministranda*; ac præterea decernunt = *in iis vero locis, seu provinciis, ubi consuetudo est, ut nec victualia, nec quidquam aliud a Visitatoribus accipiatur, sed omnia gratis omnino fiant, ibi id observetur* =: quæstio moveri cæpta est, an veteris juris dispositio de procuratione ab Ecclesiis solvenda, deque ejusdem præscriptione aliqua ex parte immutata fuerit.

Profecto cum Tridentina Synodus Episcopos in visitatione contentos esse velit modesto *equitatu*, eosque hortetur, ut victualia exigant *pro temporis tantum necessitate*; communis invaluit sententia, Episcopis minime licere procurationem petere, dum Ecclesiam visitant Cathedralem, vel aliam in Civitate, ubi ipsi morantur, quia nempe abest temporis necessitas, quam præ oculis habuit Tridentinum Concilium, facile enim possunt Episcopi, peracta visitatione, domum redire, ibique victum sibi quærere, *Fagnan. in Cap. Venerabili De Censib. num.* 10. *et seqq.*, *Reinffestuel lib.* 3. *tit.* 39. *num.* 53., *et S. Congregatio in Castren Procurationis* 17. *Nov.* 1685. *et in Aquitanen. Procurationis* 18. *Januar.* 1808.

Ve-

Verum si Ecclesiæ extra mœnia Civitatis sitæ fuerint, atque ab ea ita distent, ut Episcopi pro earum explenda visitatione indigeant *equitatu*, nec commode domum se recipere queant, quamvis suburbanæ sint; tamen Procurator Fiscalis contendit, Episcopis liberum esse ab eisdem victualia exigere, quia videtur adesse temporis necessitas. Patet autem ex facti specie, Ecclesiam S. Blasii a Civitate Plebis tertio abesse milliario, ac montes peragrare oportere, ut quis ad eam accedat; proindeque fieri minime posse, ut Episcopi ætate graves expleant visitationem illius Paræciæ, ac Civitatem deinde petant, ut cibum, potumque capiant.

Cohæret autem ipsi visitationi procuratio, eamque sequitur omnino: hinc sicuti adversus visitationem nulla induci potest extinctiva, ut inquiunt, præscriptio, utpote quæ subditos a subjectione retraheret, ita neque contra procurationem; cum de connexis idem ferri debeat judicium, *Cap. Cum ex officii* 16. *de Præscript.*, *et glossa ibid. vers. visitationem.* Eoque firmius procurationis præscriptio rejicienda est, quoniam inde mala eadem orirentur, quæ ex defectu visitationis timenda forent. Episcopi enim, et alii Diœceseos lustrationi operam dantes, si propriis sumptibus visitationem quarumdam Ecclesiarum sibi explendam intelligerent, facile ab earum visitatione abducerentur, illasque plane negligerent, magno ipsarum Ecclesiarum, et fidelium detrimento, *Piringh lib.* 2. *tit.* 26. *num.*23. At hujusmodi malis, procul dubio occurrere voluit Tridentina Synodus, dum *Sess.*24. *cap.* 3. tam gravibus verbis Diœcesium visitationem Episcopis commendavit, ac jussit; ac proinde censendum est, antiquis Canonibus, qui præscriptionem contra procurationem nullius esse momenti sanciverant, Tridentinam Synodum nequaquam derogasse.

Quamobrem complures Canonistæ, etiam post Concilium Tridentinum docuerunt, ne longissimo quidem tempore, vel immemorabili præscriptione, unam, alteramve Ecclesiam a victualium præstatione immunem effici posse. Ita censent *Piringh lib.* 2. *tit.* 26., *Reiffenstuel lib.* 3. *tit.* 39. *num.*63., *Fagnan. in Cap. Venerabil. de Censib. num.*25. quos sequuta est Sac. Congre-

gregatio, non modo ubi agebatur de præscriptione contra Episcopum, verum etiam contra alias Ecclesias pro exemptione a contributo victualium, veluti canonicis legibus, ac naturali æquitati contraria, *in Fanen. Procurationis* 24. *Augusti* 1743. *ad I. dub.*, *in Pientina Procur.* 20. *Nov.* 1756., *et in Aquipendien.* 21. *Aprilis* 1787.

Decreta enim Concilii præscribi nullimode possunt. Nec citati Decreti verba obstant, quæ de consuetudine loquuntur; ibi enim agi videtur non de unius, alteriusve Ecclesiæ, verum de universæ Diæcesis, aut provinciæ consuetudine, quæ Concilii tempore jam legitime vigeret.

Quum itaque Parochus S. Blasii immunitatem a procurationibus Episcopo solvendis sibi adsciscere nequeat, sive ex consuetudine non procurandi Episcopum, quæ in Civiplebensi Diæcesi non extat, sive ex præscriptione, quæ a Jure omnino reprobatur: dicendum est, ab ipso contribuendam esse procurationem, ea quoque de causa, ne totum procurationis onus in Rectorem S. Donati refundatur.

Desunt præterea necessariæ probationes centenariæ præscriptionis: nullum enim Parochus protulit documentum, ex quo eruatur, decem et octo, ut ipse asserit, supra centum effluxisse annos, quibus nec ipse, nec ejus antecessores Episcopum procuraverint. Verum etsi præscriptio centenaria, aut immemorabilis alicujus momenti esset; oporteret tamen eam perspicuis, ac firmissimis niti probationibus, ne secus Episcopus injuria procurationibus expolietur.

Parochus autem ex suburbanitate suæ Ecclesiæ, aut ex centenaria, vel immemorabili præscriptione se immunem a præstanda procuratione conatur ostendere. Inquit enim, ex illis Tridentini Concilii verbis *modesto æquitatu*, pro temporis *tantum necessitate*, satis aperte elici, Episcopis haud fas esse, victualia exigere ab Ecclesiis suburbanis, quæ cum a Civitate non longe absunt, eximuntur a solvendis victualibus non secus ac ipsæ Ecclesiæ urbanæ. Reque vera Sac. Congregatio declaravit, non deberi Episcopo procurationes pro visitatione Ecclesiæ, et sodalitii extra mænia erecti *in*

Va-

Valentina 30. *Jan.* 1768. *ad I. dub.*, *ac tradit Schmalzgrueber lib. 3. tit. 39. num.* 104.

Addit etiam, plures quidem Doctores præscriptionem centenariam, ac immemorabilem respuere adversus procurationes; non deesse tamen alios Doctores, qui eam tueantur, quos inter *citat. Schmalzgrueber lib. 3 tit 39. num.* 25., *Barbosa De offic. et potest. Episcop alleg.* 73. *num.* 48., *Gratian. discept. forens. cap.* 59. *num.* 19., atque hanc sententiam *Reiffenstuel loc. cit.* communissimam appellat.

Animadvertit insuper, ex hujusmodi præscriptione timenda non esse, quæ afferuntur, incommoda. Hæc enim tum inde sequerentur, cum exemptio a procurationum præstatione secumferret exemptionem a visitatione; quod tam longe abest, ut in jure aperte statutum sit, Ecclesias immunes evadere tantummodo vel privilegio, vel contraria consuetudine, *Cap Cum instantia* 17. *de censibus*, *Concilium Tridentinum sess.* 24. *cap.* 3. *de reform.* Præterea exemptio a procurationibus, ex præscriptione dimanans, impedimento esse non potest, quominus Episcopi diligenter, ac expedite Diæcesim lustrent, aliter multo magis reprobanda esset consuetudo, quæ non unam dumtaxat, sed omnes loci, seu provinciæ Ecclesias ab ejusmodi onere immunes reddat.

Quod si neque suburbanitas tantum, neque præscriptio sufficeret ad eximendam Ecclesiam S. Blasii a pendenda procuratione Episcopo visitanti; contendit tamen Parochus, eam liberam evasisse ob præscriptionem suburbanitati conjunctam. Etenim *Piringh. lib.* 3 *tit.* 39. *num.* 76. tametsi præscriptionem rejiciat, nihilominus fatetur, possessionem longissimi temporis, vel immemorabilem, communi DD. consensu prodesse, dummodo possessor nuda præscriptione non innitatur, sed privilegio, vel alio legitimo titulo, qui tam diuturna possessione præsumitur, licet cæteroquin probari non possit, *argum. Leg. Cum de in rem ff. de usuris,* immemorabilis enim, vel centenaria præscriptio concessionem Pontificis, privilegium, et quemcumque utiliorem, et efficaciorem titulum virtualiter continet Rota *decis.* 24. *num.* 7. *coram Falconer.* et *in Tudertina Immissionis* 13. *Martii* 1789. §. 5. *cor. Emo Cæsarei.*

Sane

Sane Parochus S. Blasii non nudam prodit præscriptionem, sed quæ suæ Ecclesiæ suburbanitate fulcitur: hinc quamvis neque præscriptio, neque suburbanitas in facti specie satis haberetur, cum tamen suburbanitas generatim titulus sit legitimus, quo quis a præstatione victualium eximatur, non absonum videri poterit, propter præscriptionem suburbanitati conjunctam Parochum S. Blasii immunem esse a procurando Episcopo.

Centenariam vero, ac immemorabilem observantiam non solvendi procurationem, vigere favore Ecclesiæ S. Blasii, non modo ex traditione eruitur, verum etiam ex Episcopi confessione evincitur. Fatetur enim Episcopus, non esse denegandum, unum, vel alterum præsentis Parochi Antecessorem ex titulo suburbanitatis Ecclesiæ se exemptos existimasse a procuratione solvenda. Inde autem perspicuum est, ne ipsum quidem Episcopum posse tempus præfinire, quo Parochi victualia denegare cœperunt; ac proinde non immerito dici posse ab immemorabili Parochos S. Blasii haud pependisse procurationem. Quin obsit Episcoporum renuentia; hanc siquidem frustraneam fuisse demonstrant ipsæ visitationis particulæ, quæ exactionem procurationis, uti oporteret, non indicant, ac tantummodo *anno* 1805. ab Episcopo voluisse interrumpi præscriptionem narrant. Cæterum tunc temporis jam completa videbatur præscriptio, et Episcopi facto repetitis = *verbali dichiarazioni, e proteste* = sese opposuit Parochus, neque postea unquam persolvit victualia; non itaque interrupta, sed potius ex acquiescentia Episcopi confirmata præscriptio censeri poterit, ut de consuetudine tradit Fagnan. *in cap. Venerabili de censib.* 23., *et Rota coram Cerro decis.* 606. *n.* 23.

Demum ex præscriptione, Parocho S. Blasii favente, haud timendum, quod veretur Episcopus, nimirum quod aliis quoque Parœciis, utpote similiter suburbanis, eadem exemptio debeatur; nam cæteræ Parœciæ et longius absunt, et semper procurationem pendere consueverunt. Igitur si ex suburbanitate immunitas a victualibus præstandis eisdem fortasse competeret;

ob

ob contrariam præscriptionem a procurando Episcopo immunitatem sibi vindicare minime possent.
Quare dirimendum proponitur

Dubium

An Parochus S. Blasii teneatur solvere procurationem in casu etc.

Affirmative

CAMERINEN. MISSÆ CONVENTUALIS. In comitiis diei 6 *Junii* 1705. nonnulla proposita fuere Dubia in hac S. Congregatione pro Collegiata S. Genesii Camerinensis Archidiœcesis, fuitque secundo loco quæsitum = *An, et quibus diebus sit celebranda Missa Conventualis* =, et responderunt EE. PP. = *Affirmative, et quotidie* = Resolutioni minime acquieverunt Archipresbyter, et Canonici ejusdem Collegiatæ contendentes, ad Missam Conventualem se non teneri, quia nunquam eam celebrare consuevissent, reditusque satis tenues haberent, atque alia Missarum onera ex Fundatorum dispositione omnino implenda conventualis Missæ celebrationi essent impedimento. Quare denuo audiri obtinuerunt, et propositæ iterum quæstioni die 5. *Junii* 1706. sub consueta Dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a decisis sub die 6. Junii* 1705. = PP. EE. responsum dederunt, standum esse = *In decisis quoad dies festos tantum* = idque servatum fuit usque ad annum 1793. *Ses.24.Cap.12. de Reform.*

Verum Archiepiscopus, qui Camerinensem tunc regebat Ecclesiam, existimans Constitutione sa. me. Benedicti XIV. *Cum semper obl. tas* derogatum fuisse rescripto hujus Sac. Congregationis; in actu Visitationis habitæ Mense *Septembris anni* 1793 mandavit, celebrari per Canonicos Missam conventualem etiam diebus ferialibus, et pro Benefactoribus applicari. Decreto parue-

ruerunt Canonici quousque vixit memoratus Antistes, Missa, sine cantu tamen, pro Benefactoribus in genere celebrata, a die scilicet 20. *Septembris* 1793. *ad diem* 9. *Februarii* 1796.; eo tamen e vivis sublato, haud amplius Missam in ferialibus diebus pro Benefactoribus applicarunt.

Novus Archiepiscopus in Visitatione mense *Decembris anni* 1803 expleta, Canonicis iterum præcepit, ut Missam etiam diebus ferialibus ad formam Decreti a Prædecessore suo editi celebrarent, et applicarent. Tenuitati autem redituum, cui præcipue nitebantur Canonici, providere volens, Sodalitiis in Ecclesia Collegiata erectis mandavit idem Archiepiscopus, ut ex superextantibus fructibus eleemosynam pro Missa, indicatis diebus applicanda, pro rata persolverent. Pro aliis vero expensis ad eamdem Missam necessariis, applicatio redituum alterius ex Collegiatæ Canonicatibus, *Ceccoli* nuncupati, proposita fuit a Vicario Foraneo S. Genesii, qui pro quotidiana Missæ celebratione pro Benefactoribus etiam atque etiam instabat. Quum mandatis minime obtemperaverint Canonici, Archiepiscopus in relatione Visitationis *anni* 1803. rem detulit EE. PP., qui statuerunt, nullam interponendam esse moram, ut iidem Canonici juris et facti remediis compellerentur ad parendum iis, quæ de quotidianæ Missæ pro Benefactoribus applicatione fuerant ab Archiepiscopo præscripta. Iterum ergo Canonici Missas, sine cantu tamen, pro Benefactoribus die 13. *Decembris* 1805. celebrare cœperunt. Novæ autem, ipso Archiepiscopo suggerente, hac de re oblatæ sunt preces huic S. Congregationi: at priusquam rescriptum ederetur, decessit Archiepiscopus, turbatisque publicis Ecclesiæ rebus, Canonici Missas post diem 30. *Aprilis* 1810. haud amplius pro Benefactoribus celebrarunt.

Summo Pontifice S. Sedi restituto, preces instaurarunt Canonici postulantes, ut omnibus tandem quæstionibus abjectis, Rescriptum diei 5. *Junii anni* 1706. confirmare dignentur EE. PP., et ad festos tantum dies Missæ pro benefactoribus in genere applicatio in S. Genesii Collegiata reducatur. Requisitus de more Ordinarius pro informatione, et voto, ut transmissa copia resolutionis *anni* 1706, ac Decreti defuncti Archiepis-

piscopi, referret de annuo præbendarum reditu comprehensis distributionibus, oneribus, et qualitate Choralis servitii, an sodalitia taxatam eleemosynam pro Missa Conventuali adhuc persolverent, sin minus de vera illorum impotentia; utrum augendos redditus suppleri posset remediis S: Conc. Tridentini, et de celebritate, et respectiva applicatione quoad præteritum: in sua responsione retulit „ annuum reditum „ cujuslibet ex decem et novem Præbendis, inter totidem Canonicos, integrum Canonicorum Collegium constituentes, distributum esse adeo tenuem, „ ut pro ditissima habeatur præbenda illa (quæ tamen est unica) ex qua detractis expensis, omnibusque supportatis oneribus, eidem præbendæ adnexis, annuus habetur reditus unius et sexaginta „ scutorum, et ob 62. 2., et pro ditioribus, locupletioribusque reputentur Præbendæ, ex quibus detractis pariter expensis, adimpletisque omnibus, et singulis oneribus eisdem præbendis adnexis, earumdem præbendarum annuus reditus est adeo tenuis, „ ut dumtaxat summam aliquantisper excedat vel viginti, vel triginta, vel quadraginta, vel ad summum quinquaginta, dumtaxat scutorum. Reliquarum vero Præbendarum emolumentum pro quotidiano alternativo chorali servitio infra summam „ nedum viginti, sed decem scutorum continetur.

„ Tenuitati autem reditus Præbendarum accedit deficientia quotidianarum distributionum . . . . . Æstimum Mensæ Capitularis . . . in publico censu adnotatum summam non excedens scutorum tercentorum, est prorsus insufficiens ad subeunda omnia „ onera adnexa Capitulo pro manutentione Ecclesiæ, „ Ædium Capitularium, S. Supellectilium, et præsertim pro subeundis quotidianis inevitabilibus, atque „ præstantioribus expensis pro cultu, et interdum „ etiam pro Capituli juribus tuendis in modum, ut „ Canonici servitio Collegiatæ Ecclesiæ mancipati, „ ultra limitatissimum annuum reditum præbendarum, nihil aliud ex mensa Capitulari, ære alieno „ ultra vires gravata, valeant percipere =

Addit deinde, Canonicos summa ingenuitate vera retu

Iisse quoad præteritam Collegiatæ observantiam, quoad duplex Rescriptum ab hac S. Congregatione obtentum et quoad varias deinde ab Archiepiscopis demandatas provisiones. Ut autem res fieret clarior, complura adiecit, quæ sapientiæ vestræ, EE. PP., ipsis Informationis verbis referenda censui, animadvertens præterea omnia, quæ exponuntur, totidem documentis ab Ordinario transmissis esse comprobata. En ejus verba „ Ad præteritos detegendos errores, difficultatesque „ enodandas, propriumque incontrovertibile jus ita „ favendum, ut animorum perturbationi finis impo- „ neretur, ac tandem aliquando paci, ac quieti fie- „ ret locus, CanoniciCollegiatæ Sancti Genesii judicia- „ libus jurgiis, contentionibusque prætermissis, me- „ dio precum eorum jura, nostris hisce diebus acer- „ rime propugnantes, cumulatissime, concludentissi- „ meque quæ sequuntur exposuerunt.

„ 1. Rem esse nequaquam de privilegio exemptionis ab „ onere celebrationis et applicationis quotidianæ cantatæ „ Missæ choralis Conventualis CapituloCollegiatæSancti „ Genesii concedendo; sed rem esse de hujusmodi privi- „ legii eidem Capitulo usque, et sub die 5. Junii „ 1706. jampridem concessi confirmatione.

„ 2. Annuum redit m Confraternitatis SS. Sacramenti „ seorsum consi eratum notabiliter minorem esse an- „ nuo exitu ejusdem Confraternitatis.

„ 3. Cessata Fabriceriæ, et Congregationis Caritatis ad- „ ministratione, ac conjunctim reddita ratione ad- „ ministrationis redituum tum Ven Confraternitatis „ SS. Sacramenti, tum Operis Pii SS. Crucifixi, tum „ demum ipsiusmet Ecclesiæ Collegiatæ, ejusdemque „ Capellæ SS. Annuntiatæ, discussisque per integrum „ decennium inchoatum loquendo de dicta Confra- „ ternitate, et opere pio, anno 1806., ac prorogatum „ ad annum 1815. completum, annuum reditum exi- „ tu fuisse majorem in tenuissima summa sc. 3. 55. 1. „ Id vero ex eo contigisse, quod in computo, de- „ sumpto ex calculo decennali inchoato ab anno 1806. „ progrediendo ad annum 1815., insignis partita or- „ dinatæ annuæ subministrationis pro Missa conven- „ tuali inter partitas status passivi ejusdem Confra- „ ternitatis SS. Sacramenti fuit comprehensa in ante- „ dicto calculo solummodo per quinquennium non „ integrum, ab anno nimirum 1806. ad annum 1810., in-

„ secus si per integrum decennium fuisset ea Fabri-
„ ceria hujusmodi onere gravata, exitus in multo no-
„ tabiliori summa major fuisset introitu.
„ Secus nimirum si per integrum decennium sta-
„ tus passivus, non solum prælatorum Locorum pio-
„ rum confraternitatis SS. Sacramenti, ac Crucifixi,
„ sed et Collegiatæ Ecclesiæ, atque dictæ Capellæ
„ SS. Annuntiatæ extitisset gravatus ab onere excogi-
„ tatæ, atque ordinatæ subministrationis annuæ taxæ
„ pro celebratione, et applicatione quotidianæ Mis-
„ sæ Conventualis; non solum introitus eorumdem
„ non esset major exitu in tenuiori summa scut. 3.
„ obul. 55. 1., sed exitus in summa multo notabilio-
„ ri major fuisset introitu, idque magis in admini-
„ stratione antedictæ Capellæ SS. Annuntiatæ, cujus
„ exitus, supportato dictæ subministrationis onere per
„ solum quinquennium, introitu major est scutis 104 59.
„ 5. Hactenus Loca Pia omnia, et ipsammet Collegia-
„ tam Ecclesiam, ejusdemque Canonicales Præben-
„ das in eodem, ac procul dubio in deteriori esse
„ statu passivo, in quo reperiebantur de tempore il-
„ lo, die nempe 5. Junii 1708. (in qua, prævia mo-
deratione Decreti præcedenter lati, applicatio Missæ
Conventualis restricta fuit ad dies festos tantum).
„ 6. Nisi ex noviter deductis nihil esse innovandum;
„ id totidem verbis in tenore decreti ab ista S Con-
„ gregatione pronuntiati (habetur, in quo ultimo
„ loco legitur) ac hujusmodi causam amplius non
„ proponi mandavit.
„ 7. Annuus reditus Canonicatus *Ceccoli* impar
„ prorsus est ad subeundum gravissimum onus
„ quotidianæ Missæ Conventualis; vix enim ad id sa-
„ tis esset annuus indefectibilis reditus quadraginta cir-
„ citer scutorum; reditus vero antedicti Canonicatus,
„ detractis expensis, oneribusque omnibus, et singu-
„ lis adimpletis, summam non excedit scutorum 8.
„ et obol. 27.
„ 9. Non constare, nec constitisse de congruo emolu-
„ mento legitime statuto, atque parato pro celebra-
„ tione, et applicatione Missæ quotidianæ Conven-
„ tualis.
„ 10. Irritam . . . . . esse applicationem redituum tum
„ Confraternitatum, tum Canonicatus *Ceccoli* pro per-
„ solvendis tam stipendiis, quam ceteris expensis pro
 Mis-

,, Missa quotidiana Conventuali, eisdem Confraterni-
,, tatibus, et Capitulo penitus inconsultis....
,, 11. Nec interest, Capitulum interdum hujusmodi ejus
,, exemptionis privilegio cessisse, id enim præstitit
,, dumtaxat obsequendo Superiorum voluntati, et ad
,, evitanda scandala; minime vero proprio juri renun-
,, tiando, minusque pertimescendo e causa cadere,
,, quam a sæculo ista S. Congregatio adeo justam,
,, rationabilem, inappellabilemque judicavit, ut eam
,, amplius non proponi mandaverit, et Capitulum
,, semper firmiterque credidit, ejus jura esse potiora,
,, et incontrovertibilia.,,

Hisce præmonitis optime norunt EE. PP., Constitutionem Sa. me. Benedicti XIV. *Cum semper oblatas*, hæc habere ,, Perspicuæ pariter, et per omnia uni-
,, formes existunt Resolutiones ab hac Congregatione
,, Ven. Fratrum Nostrorum Concilii Tridentini Inter-
,, pretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes Apo-
,, stolica Auctoritate Nostra confirmamus, et appro-
,, bamus, earum exequutionem Vobis enixe incul-
,, cantes: ut scilicet Missa Conventualis, quæ singu-
,, lis diebus canitur a Clero prœdictarum Ecclesia-
,, rum, pro earumdem benefactoribus in genere quo-
,, tidie applicetur.,, Quotidianam hanc Missæ applicationem adeo firmam voluit Pontifex, ut omnes, ne deinceps in dubium ullo pacto revocaretur, præoccupaverit difficultates, exceptionesque, quæ a Capitularibus afferri poterant, veluti eamdem Constitutionem legenti patet. Hujus præscripto freti, qui pro quotidiana Missæ Conventualis applicatione urgent, pro nihilo habendas esse contendunt rationes, ob quas Canonici ab ea sese eximendos putant, ex contraria scilicet consuetudine, ex reductione per Rescriptum S. Congregationis obtenta, ex redituum tenuitate, aliisque, quibus gravantur, particularibus Missarum oneribus deprompta. Quamlibet enim consuetudinem, etiam immemorabilem, allegare valuissent ante rescriptum *anni* 1706., illam ipsis minime nunc suffragari asserunt, quia eamdem omnino sustulerit, ac eliminaverit Benedictina Constitutio. Neque pariter Canonicos juvari opinantur prœdicto *anni* 1706. hujus S. Congregationis rescripto, quo Missa Conventualis ad festos tantummo-

modo dies fuit reducta, cum eidem rescripto derogatum fuisse omnino censeant per posteriorem laudati Pontificis Constitutionem, qua Conventualis Missæ quotidiana applicatio præcipitur. Idcirco pluries in sacris Visitationibus quotidianam Missæ Conventualis applicationem pro Benefactoribus in genere mandarunt Episcopi, licet non semper hujusmodi mandatis Canonici paruerint contra notissimas Ecclesiæ leges jubentes, ne interposita quidem appellatione suspendi posse executionem Decretorum, quæ ab Episcopis in Sacra Visitatione fuerint edita *Conc. Trid. Sess.* 24 *cap.* 10. *de Ref. Ben. XIV. Const. Ad Militantis*. Redituum autem tenuitati occurrisse, ajunt, Archiepiscopos mandantes piis Sodalitiis in eadem Collegiata erectis, ut eleemosynam Canonicis pro quotidiana Missæ Conventualis applicatione persolverent, pro aliis vero necessariis expensis, præsto esse Canonicatus *Ceccoli* suppressionem. Denique Missæ Conventualis applicationem minime impediri affirmant ab aliis, quibus Canonici gravantur oneribus, cum iis alia Missa cum cantu, vel etiam sine cantu opportunis obtentis facultatibus celebrata satisfacere possint.

Verum negant Canonici per Benedictinam Constitutionem fuisse abrogatum rescriptum *anni* 1706., quo Missæ Conventualis applicatio in eorum Collegiata ad dies festos tantum fuit reducta; cum Pontifex neque expresse, prout indicatam Constitutionem legenti patet, neque tacite hujus S.Congregationis rescripta revocaverit. Confirmatum imo idem rescriptum habendum esse sustinent, quia Benedictus XIV. S.Congregationis rescripta omnino probaverit, eamdemque normam in posterum servandam statuens, ad ipsam recurrendum esse decreverit, si quando ad festos tantummodo dies Missa Conventualis esset reducenda; quapropter Apostolicam ad id auctoritatem a Prædecessoribus suis eidem S. Congregationi impartitam sua Constitutione plenissime confirmavit.

Negant quoque, per Canonicatus *Ceccoli* suppressionem, atque eleemosynæ a piis Sodalitiis præstationem derogari potuisse S. Congregationis rescripto, cum

cum neque Archiepiscopus hujusmodi rescriptis pro ejus arbitrio derogare valuerit, neque præbendarum Canonicalium inopiæ, quæ rescripto causam dedit, rite sufficienterque fuerit provisum. Reditus enim Canonicatus *Ceccoli* ob nimiam eorum tenuitatem oneri ferendo sunt omnino impares: pro ejusdem vero suppressione nunquam exquisitum fuisse asserunt consensum Capituli, et Confraternitatis SS. Sacramenti, quæ Canonicatus jurepatronatus potitur; idque contra apertam Concilii Tridentini, ac Benedictinæ Constitutionis sanctionem. Neque melius provisum fuisse addunt per demandatam Sodalitiis eleemosynæ præstationem; quia nempe reditus desunt eam in causam erogandi, et Episcopum in eorumdem redituum administratione, dummodo eos sodalitia non disperdant, sese ingerere nullatenus posse censent juxta definitionem S. Congregationis Episcoporum, et Regularium *in Castellan-* 14. *Novem. anni* 1603.: cum libera omnino sit Laicorum Sodalitiis suorum bonorum administratio, ac redituum erogatio, Episcopo autem jura tantum competant, quæ ipsi fuere tributa a Tridentini Concilii dispositione *Sess. 22. Cap. 8. et* 9. *de Ref.* Omnia vero, quæ in facto referunt Canonici, veritati necne innitantur, ex relata superius Ordinarii informatione patet.

Ceterum quidquid sit, an Rescriptum *anni* 1706. per Benedictinam Constitutionem fuerit abrogatum, concludunt Canonici, iisque adhæret Ordinarii informatio, Canonicales Præbendas in eodem nunc esse statu, aut etiam deteriori, in quo reperiebatur *anno* 1706, ideoque nunc etiam ex eadem, vel majori redituum tenuitate, Missarum Conventualium reductionem ad festos tantummodo dies esse concedendam. Idque consonum omnino dicunt pluries laudatæ Benedictinæ Constitutioni, cum media omnino deficiant, quibus præbendarum tenuitati suppleri valeat.

Hisce perpensis vestrum erit, EE. PP., dirimere quæ proponuntur dubia.

I. An confirmanda sit Missæ Conventualis reductio ad dies festos tantum anno 1706. concessa in casu etc,

II.

II An sit consulendum SSmo pro absolutione a præteritis omissionibus in casu etc.

Ad I. Affirmative comprehensis etiam festis abrogatis.

Ad II. Affirmative ad cautelam.

FESULANA. Capellaniam, seu Ecclesiasticum Beneficium sub invocatione S. Mariæ syderibus receptæ, et S. Victoriæ, in publico Sacello pagi Casale, sito in populo S. Donati a *Citille* Fesulanæ Diœcesis, fundavit *anno* 1647., duobusque prædiis dotavit Cleria Martellini, atque illius Patronatum designatis Nobilibus Florentinis Familiis reliquit. Beneficiatos autem teneri voluit = di *risedere nella casa da Padrone, che è sopra uno dei detti Poderi assegnati per dote di detto Oratorio, e con obligo ancora di dare ogni anno in perpetuo scudi cinque di moneta Fiorentina di lire sette a una povera fanciulla da eleggersi . . . . similmente detto Rettore sia tenuto sempre, ed in perpetuo a spendere ogni anno utilmente a coltivare, e migliorare i Beni, a detto Oratorio come sopra donati, Scudi cinque di Moneta Fiorentina di lire sette per Scudo, e di tale spesa debba fare giustificazione opportuna alliSigg. Compadroni, quali detta Signora Fondatrice prega a rivedere qualche volta detti Beni, per maggiormente assicurarsi, che non siano per esser lasciati andar a male. Similmente detto Rettore debba in ogni anno in perpetuo, e fino che durerà il Mondo dare, e mandare a tutte sue spese un mezzo Barile d'Olio mercantile alla B. V. della Pace fuori della Porta S. Piergastolini di Firenze, e ai Padri, che uffiziano, ed uffizieranno tempo per tempo l'Oratorio predetto, volendo, che si faccia questa limosina a gloria di questa Vergine, similmente sia tenuto ogni anno a celebrare la Festa dell' Assunta della B. V.,* *che*

Sess.25. Cap.4. de Ref.

che è il titolo di detto Oratorio, con una Messa cantata, e due piane; similmente nel giorno, che sarà trapassata all' altra vita la detta Fondatrice debba celebrare ogni anno in perpetuo un Uffizio de' Morti con una Messa cantata, e due piane, e similmente sia tenuto a celebrare ogni giorno feriale, e festivo la S. Messa, eccetto però un giorno feriale per ciascuna Settimana, quale Ella vuole, che egli abbia per suo riposo.

Reducta deinde onera, et prædia in Emphyteusim ad tertiam generationem masculinam concessa fuere, quemadmodum requisitus de more narrat Episcopus, cujus informationis verba referam = *Sacerdos Philippus Forelli Orator, domo Florentia, supradicti Beneficii investituram accepit die 11. Iunii anni 1814. ad quod Illustres DD. Gondi, et Marzichi ipsum antea præsentaverant. Usque adhuc oneribus hujus Beneficii satisfecit eadem ratione, qua Rector antecessor, ut ex ejus adversariis potuit colligi, satisfecerat, deditque operam, ut quotannis centum quinquaginta sex missæ feriales celebrarentur, atque aliæ tres missæ ipsa festa die S. Mariæ syderibus receptæ Sacelli Patronæ*

Vix Orator Beneficium fuerat assequutus, cum Emphytheuta bonorum, quæ ad Beneficium pertinent, annui Canonis Emphyteutici efflagitavit imminutionem ob damna, quæ a vicino irrumpente flumine Beneficii possessionibus sunt illata. Tunc Sacerdos Forelli cognovit, Sacerdotis Buoncristiani antecessoris sui consensu, nulla auctoritate aliam imminutionem Canonis emphytheutici statuti in Istrumento sub die XX Augusti anni 1799. *factam fuisse* (quo primævus Canon *scutat. Florentin.* 103. 05. reductus fuit ad *scutat* 94 05.) *Hanc imminutionem Existimator hac secunda occasione electus probavit, necessariamque, quæ iterum flagitabatur, judicavit. Ex quo Magistratus R hujus Florentinæ Civitatis supradictæ Transactionis stipulationem ratam habuit.* (In hac Canon statutus fuit in *scutat. Florent.* 86. 05. absque spe novæ imminutionis, quum speciali pacto fuerit conventum, ut omnia damna, quæ in posterum evenire prædiis possint, ab Emphytheuta sint reparanda.)

Hoc tempore Sacerdos Forelli obligationum certior factus est,

est, quæ Rectori pro tempore Beneficii sui a Cleria Martellini Fundatrice fuerant impositæ; tempus vero, ac decretum, ex quo in hanc formam reductæ sunt, haud potuit investigando reperire. Ex Actis meæ Cancellariæ constat, Rectorem hujus Beneficii Dominicum Catani supplicem libellum isti Sacræ Congregationi dedisse ad onerum in Istrumento Fundationis sub die 12 Octobris. an. 1647. præscriptorum reductionem obtinendam, at non apparet eamdem S. Congregationem rescripsisse.

Ex iisdem Actis colligitur, alium Rectorem Joannem Fratini an. 1710., et ipsum S. Congregationi memorialem libellum dedisse, ut onerum reductionem obtineret. Exponit in eo hæc onera in tribus Missis unaquaque hebdomada celebrandis consistere, quin alia onera memoret. Ex quo forte conjici potest, Rectorem Catani efflagitatam reductionem obtinuisse. At quem habuit exitum Fratini petitio ignoratur. Postea hujus Beneficii Missæ centum quinquaginta sex numero celebratæ reperiuntur =. Animadvertere præstat, hujus S. Congregationis perquisitis libris, ne vestigium quidem utriusque petitionis inveniri potuisse.

Cum longissimi temporis spatium sit transactum, ex quo ordo Fratrum Pacensium deletus est, ignoratur, an antea Fratres Pacenses redintegrati fuerint, et an hoc Legatum alteri Ecclesiæ sit persolutum. Ignoratur etiam, quamdiu uni ex puellis Populorum, quos Fundatrix nominaverat, dotem Scutorum quinque dare intermissum sit. Arbitratur quis, hoc post annum 1710. accidisse,

Postulat nunc Rector Forelli, ut hæc omnia Apostolica auctoritate probentur, ideoque petit. 1. Emphyteutici contractus approbationem. 2. Absolutionem ab oneribus a se non adimpletis ad formam fundationis. 3 Dispensationem a residentia a Fundatrice præscripta. 4. Ut Missæ, quæ diebus festis celebrandæ sunt, comprehendantur in Missis 156. diebus ferialibus offerendis. 5. Demum absolutionem, seu dispensationem ab onere præstandi medium Olei cadum, ejus vita durante. De singulis agam; sed agendum quoque est de Missarum reductione, in qua S. Sedis approbatio desiderari videtur.

Novissima Extravaganti *Ambitiosæ* vetitæ sunt rerum Ecclesiæ alienationes; quo nomine venit quoque Emphytheusis, quæ utilis dominii translationem secum fert *Redoan. de reb. Eccl. alien. vel non. Rubr.* 1. *cap.* 47. *n.* 14., *Azor. part.* 2. *lib.* 9. *cap.* 1. *qu.* 2. Irriti proinde sunt hujusmodi contractus nisi concurrat justa causa, evidens Ecclesiæ utilitas, et Apostolicum intercedat Beneplacitum: imo in censuras incidunt, qui has alienationes absque solemnitatibus a jure statutis inire præsumpserint. *Petr. ad Const.* 5. *Pauli* II. *num.* 2. *tom.* 5. *pag.* 399. At non raro S. hæc Congregatio Emphytheusim etiam perpetuam, solemni Instrumento stipulatam, ratam habuit, justa concurrente causa, evidentique Ecclesiæ utilitate, præsertim in *Collens. Emphytheusis* 2. *Maji* 1818. In casu, de quo agitur, a Magistratu laicali Florentino, omnes adhibitæ sunt diligentiæ, ut absque fraude, et majori, qua fieri possit, Ecclesiæ utilitate Emphytheuta inveniretur. Vocati sunt enim oblatores publicis notificationibus, et licitatio coram Magistratu peracta fuit: Canon itaque ab Emphytheuta oblatus, uti maximus est habendus. Imminutiones vero Canonis, quæ deinde secutæ sunt, prævia Periti æstimatione, ab eodem Magistratu causa cognita probatæ fuerunt: quæ probatio quamvis legitimam non præbeat contractui auctoritatem, tamen maximi est momenti ad fraudis, vel damni suspicionem excludendam.

Hinc Episcopus in sua Informatione concludit = *audeo proponere, ut Emphytheusis* 1799. *stipulata . . . et transactio die* 14. *Decembris anni* 1820. *stipulata probentur, nam hac non minus Orator, quam futuri Rectores a quacumque fundi Emphytheutici instauratione, quæ ob fluminis propinquitatem posset esse necessaria, nec non a canonis emphytheutici imminutione, quæ eadem de causa iterum posset efflagitari, liberantur.*

Si contractus emphytheuticus adprobetur, liberandi ab onere residentiæ Rectores Beneficii videntur, quum domus a Testatrice designatæ dominium utile penes Emphytheutam sit; ideoque residere nequeant = *domo, in qua habitent, amissa* = uti totidem verbis adver-

vertit Fesulanus Episcopus, ultimæ tamen defunctorum voluntates religiose servandæ sunt *Conc. Trid. Sess.* 22. *cap.* 6 *de Reform.* et non commutantur, nisi necessitas hoc postulet, quemadmodum statuit hæc S. Congregatio in *Viterbien. Applicationis* 14. *Decembris* 1818. Fundatrix vero hoc residentiæ onus Beneficiatis sub pœna privationis imposuit, et = *mancando di risedere . . . . senza legittima causa da approvarsi dall'Ordinario del luogo, vuole, che siano privati di detto Oratorio, e che detti Padroni presentino un'altro.*

Quoad Missarum reductionem certum in jure est, eam non concedi nisi bonorum fructus ita imminuti sint, absque culpa Patronorum, et Beneficiati, ut impares omnino ad ferenda onera evaserint, veluti pluries definivit hæc S. Congregatio, ac præsertim in *Ecclesien* 16. *Augusti* 1794. *ad I. Dub.* Reductioni favet Episcopus: ingnoratur tamen, utrum Canon nunc statutus satis sit pro celebratione Missæ quotidianæ, aliarumque quas celebrari jussit pia Testatrix. Explorati autem est juris, alia potius onera, quam Missas esse reducenda, *Benedict. XIV. de Synodo Diœcesana lib.* 13 *cap. ult. n.* 23 *Sac. Congregatio in Regien. Reductionis* 29 *Julii* 1775. Cæterum plurimi facienda videtur centenaria observantia, ex qua inferri merito potest, Apostolicam sanctionem pro reductione intercessisse, *Rota in Ravennaten Immissionis in specie quoad prædium S. Petri in Trentala* 9. *Januarii* 1784. §. 3 *Cor Origo*; præsertim vero in casu, de quo quæritur, cum Episcopi in Sac. Visitationibus pro certo habuerint, Rectores, qui Beneficium ab *anno* 1710. obtinuerunt, bona fide hanc reductionem ad Missas 156. indubiam, ac jugiter servandam existimasse.

Postulat quoque Sacerdos Forelli, ut Missæ 156. diebus ferialibus celebrentur: obstat vero aperta Testatricis voluntas, quæ hujusmodi celebrationem præscripsit, *per l'amore, che porta ai popoli circonvicini al detto Oratorio, quali per la lontananza, o per la scarsità delle Messe, che si celebrano nelle Chiese loro Parrochiali, bene spesso stanno senza sentire la Messa nei dì festivi* = Animadvertendum tamen

est, Testatricem ita disposuisse *anno* 1647.. Mutatis nunc rebus, Episcopus hac de re quoque rogatus ait = *Parochus pagi Cilille a me interrogatus, utrum non celebrando in supradicto Sacello Missam festis diebus aliquid detrimenti populus capiat, ideoque utrum celebratio Missarum, quas superius memoravi* (nempe 156.) *diebus festis continuari possit: respondit in præsentiarum impossibile esse Sacerdotem invenire, qui diebus festis Sacrum in Sacello sæpius nominato peragat, et respondit etiam, nullum damnum populo inferri. Quæ cum ita res habeant .... audeo proponere .... ut Rectores perpetuo ab onere Missæ festivæ absolvantur, atque manente tamen onere festum Patronæ Sacelli tribus Missis celebrandi, et anniversarium statum agendi, numerus centum quinquaginta sex Missarum, ut nunc est, probetur.*

Videant autem EE. VV. an bona Oratoris fides absolutionem a præteritis omissionibus mereatur. Superest, ut de dote puellis tradenda, et de medii cadi olei præstatione verba faciam. Utrumque ab *anno* 1710. intermissum fuisse videtur, nunc vero Orator utrumque prestare Beneficiatum posse ingenue asserit. Decernent itaque EE. VV., utrum hac in parte implenda sit Fundatricis voluntas, vel ampliandus Missarum numerus, quam potius aliorum onerum, quam Missarum indulgenda sit reductio.

Verum poscit Orator, ut ejus vita durante medii cadi olei præstatio suspendatur, ejusque petitioni favet Episcopus in sua informatione hisce verbis. *Sacerdos Forelli cum pauper sit, ut qui fortunæ bonis, alioque Sacerdotio careat, insuperque plurima familia prematur maxime vero quod una cum Patronis ad Transactionis stipulationem impensas fecerit, arbitror, ut ejus inopiæ consulatur, ei faciendo potestatem ut olei oblationem possit intermittere* oblationem fieri jussit Fundatrix Beneficii = *alla B. Vergine della Pace fuori della Porta S. Piergastolini di Firenze, e ai Padri, che uffiziano, e uffizieranno tempo per tempo l'Oratorio suddetto* =

Patrum Pacensium Cænobium pluribus ab hinc annis deletum esse testatur Episcopus, et ignoratur, an imago B. V. a Fundatrice indicata, publico sit cultu ad-

adhuc venerata. Deficiente legatario, legatum corruere non est ambigendum: Episcopus vero postulat, ut *Episcopi pro tempore arbitrio permittatur, quoties necessarium duxerit, huius Fesulanæ Dioecesis Ecclesiam designare, cui hæc oblatio a Rectoribus facienda sit.*

Dignentur igitur EE. VV. dirimere, quæ proponuntur

Dubia

I. *An sit concedenda Sanatio conctractuum in casu etc.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione a Censuris in casu etc.*

III. *An, et quomodo sit probanda reductio Missarum in casu etc.*

IV. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritas omissiones in casu etc.*

V. *An Rector in perpetuum exonerandus sit ab onere Residentiæ in casu etc.*

VI. *An, et quomodo præstanda sint legata Dotis, et medii cadi olei in casu etc.*

Dilata, et scribatur Episcopo pro transmissione contractuum cum emphyteusis, tum primæ reductionis canonum, et referat auditis patronis, an et cur consenserint contractui emphyteusis, ac præsertim cessioni usus domus, in qua residere debet Beneficiatus sub pœna privationis, et an existat cultus imaginis B. M. V. in Ecclesia Pacensi, vel fuerit translata.

ARI-

Sess. 22. Cap. 6. et 8. De Refor.

ARIMINEN. APPLICATIONIS LEGATI, ET MONTIS PIETATIS. Pauperum indigentiæ ut pro viribus consuleret Hieronymus Amati, testamento diei 20. *Februarii* 1767. legavit Monti Pietatis Terræ Sabiniani = *scudi cento ..... da investirsi a censo, e che i frutti, e frutti de'frutti s'investano a Censo, sintantochè l'annuo fruttato di detti censi ascenda a scudi cinquanta. Per li quali scudi 50. si dovrà diminuire il Denarino sopra i pegni in sollievo della povertà.* = Atque ut pia dispositio firma perpetuo maneret, expresse cavit Testator = *che non possa tale assegnamento, o assegnamenti distraersi, o divertirsi in altri usi, e cause, ancorchè urgentissime.*

Multiplicum nunc ita est auctum, ut annua *scuta* 62. 87. habeantur. Verum cum fructus, seu *Denarino*, qui a Provinciæ Æmiliæ Piis Montibus exigitur, ad semissem pervenerit; si reditus multiplici in usum, quem præscripsit Testator, insumerentur, vix ullam utilitatem caperent incolæ Sabiniani; quoniam ex finitimis Oppidis ad illius Terræ Montem pauperes confluerent, spe ducti minorem, quam propriis Montibus, pendendi fructum.

Nosocomium autem Sabiniani inopia premitur, ejusque Oppidi populus, nunc est conspicue frequentior: hinc ut aliquod Nosocomio subsidium paretur, Præses Instituti Charitatis supplicem obtulit libellum, quo Legatum Amati, ac ejus multiplicum eidem applicari petiit.

Archiep. Vicarius Apostolicus, quem de informatione, et voto rogavi, statum activum, et passivum utriusque Loci pii transmisit: indeque constat, Monti Pietatis quoque anno superesse *scuta* 20., Nosocomio autem deesse *scuta* 23 Mox ita mentem suam aperuit = Monti „ pio nec Præfecti, nec sunt Aediles, qui de hac re „ interrogati rationem reddere valeant. Solummodo „ nonnulli sunt negocii Gestores, quorum munera, „ et officia communitas statuit, et moderatur. Et mu„ nicipii Præses, qui summam rerum tenet, non so„ lum petitæ translationi Legati *Denarino* pro Noso„ comio assensum præbet, sed etiam preces porrigit, „ easque argumentis, atque rationibus confirmat.

Ra-

Rationes, quæ cohonestare possunt translationem, „ hæ videntur. I. Vigens rerum permutatio, atque „ vicissitudo, quæ egenorum levamen a Testatore quæsitum, et contemplatum, fere nullum super Monte, qui eo non indiget, totum, magnumque reperitur, si Nosocomio, cui vires ad paupertatem adjuvandam haud favent, benigne adjungatur II. Intentio uberius, quam par erat, adimpleta Testatoris; nam centum illa scuta, quæ reliquit, fructum nunc præbent nummos sexaginta excedentem, dum a pia dispositione ultra quinquaginta non augeri præscriptum erat. III. Et quoad Montem omnino superfluum, quod de die in diem fructus multiplicetur: cito enim ex hoc imminutio, et forsan etiam annihilatio Denarini, scilicet pignorum fructus eveniret. Eventus sane dissentiens, et actuali rerum cursui repugnans, in quo fructus nullus, aut etiam valde minor illo, qui a propinquis Montibus exigitur, ad Sabinianum advocaret omnia circumstantium Oppidorum, et Civitatum pignora, et inde egenis loci, unice contemplatis, illud levamen, quod eis Testator porrigere voluit, in damnum verteretur.

Difficultates, quæ mihi primæ occurrunt, fructum, „ quo per centum nummi sex exiguntur, præcipue „ respiciunt; de qua re S. Congregatio me referre jubet, et de qua mihi rationem quærenti aliud responsum datum non est, nisi Decretum Vice-præfecti Cæsenæ sub die 13. Augusti 1808. emanatum, in cujus articulo quarto habetur = *I Monti di Pietà, come stabilimento di commercio, possono esigere il sei per cento* = Si ad quinque nummos illum reducimus, activus pii Montis status decrescit, et reviviscet supradicta ratio finitimæ populationis, quæ Cisalpino more suos moderans fructus, ad subripiendum, ut ita dicam, panem ex ore pauperum Sabiniani frequens profecto erit. Et hæc difficultas vires acquirit ex altera consideratione super ipso pii Montis Statu activo, in quo sub articulo secundo sic legitur = *Capitali a mutuo con particolari: fondo sc. 100. frutto annuo sc.* 10. = Hic mutui fructus decem nummorum per centum naturaliter profluit ex

„ illis

„ illis centum Testatoris scutis, quæ adhuc eumdem
„ pariunt fructum, et correctione indigent, tam pro
„ rectitudine qualitatis contractus, quam pro mode-
„ ratione producti. Et hæc nova necessaria operatio
„ novam ingerit pii Montis activitatis imminutionem,
„ quam ob rem eidem Monti propositi Legati sub-
„ sidium detrahere grave, et difficile videtur.
„ Mea igitur sententia esset, prudenti EE. VV. judicio
„ omnino subjecta, quod imploratam concedere li-
„ ceat ad Nosocomium translationem Legati Amati
„ super nunc permutato *Denarino*, expressa tamen
„ conditione, ut ipsum Nosocomium cum pio Mon-
„ te conventionem ineat pro reductione ad quinque
„ tantum nummos pro centum pignorum fructus,
„ ac pro stipulatione, seu census, seu cujuscumque
„ contractus liciti, atque honesti illius centum scu-
„ torum summæ, quæ nunc sub scandaloso: *mutuo*
„ *al* 10. *per cento*: habetur inter vigentes ipsius pii
„ Montis proventus „

Quamquam defunctorum voluntates accurate, religioseque sint servandæ; nihilominus justa aliqua intercedente causa commutari posse compertum est. Justam autem præbet causam indigentia unius loci pii, rerumque copia alterius, *Layman in Sum. lib.* 4. *tract.* 2. *cap.* 13. *num.* 16. *Amostaz de causis piis lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 37.; multoque magis paupertas Hospitalium, quorum causa favorabilior est, quam Ecclesiæ, cum levamen respiciat miserabilium personarum, pro quibus res Ecclesiæ, ipsaque vasa sacra alienantur, *Can. aurum* 12. *quæst.* 2., *Fagnan. in cap. Nulli num.* 7. *de reb. Eccles. non alienan.*

Exploratum est in facto, Monti Pietatis Sabiniani quotannis opes superesse; Nosocomium e contrario adeo inops esse, ut nisi petita concedatur applicatio, aut omnibus ægrotis, nunc valde auctis, ad illud non pateat aditus, aut illius Bona sensim absumi debeant.

Verum non modo justa, sed etiam necessaria subest causa commutandæ Testatoris Amati voluntatis. Cum enim generali Lege constitutum fuerit in Æmilia, ut Montes Pietatis fructus semisses pro singulis centenis exigant ab iis qui dato pignore pecuniam acceperint: si multiplicum Amati in diminutionem impenderetur

De-

Denarini, pauperes finitimorum locorum pignora ad Montem Sabiniani deferrent, ex quo fieret, ut Sabinianenses, quorum gratia Legatum fuit scriptum, vix, aut ne vix quidem ullam consequerentur utilitatem. Itaque ne pia frustretur dispositio, necesse est, ut Testatoris voluntas commutetur, atque Legatum cum incrementis Nosocomio addicatur. Nam si pium Legatum in usum a Defuncto præscriptum erogari nequeat, in alium ejus voluntati magis consonum erit convertendum *Reitjenstuel. lib. 3. tit. 26. num. 809. Barbosa in Conc. Trid. ses. 22. cap. 6. num. 5.* Nulli autem usui, dispositioni Testatoris Amati proximiori applicari potest Legatum ab eo relictum, quam illud Hospitali impertiendo; quoniam hoc pacto non modo qui inopia, sed qui, et inopia et morbo laborant, sublevantur, adeout jure dicendum sit plenius voluntatem Legantis impleri.

Complura tamen applicationi Legati adversari videntur. Neque enim quævis unius Loci pii rerum ubertas, nec quævis alterius indigentia satis habetur ad voluntates defunctorum immutandas; requiritur imo, ut opes non tenui summa nulli usui inserviant, ac otiosæ in arca maneant; simulque ut alterius pii Loci gravis sit, non aliqua tantum, multisque communis rei familiaris angustia; secus S. Congregatio a concedenda voluntatis commutatione abstinendum respondere solet, ut in *Ravennaten Subsidiorum dotalium* 11. *Jan.* 1766., *et in Feretrana 20. Decemb. ejusdem anni.*

Jam vero qui Monti Pietatis Sabiniani quotannis supersunt reditus, valde sunt tenues, præsertim si ex ejus statu activo deducenda sint *scuta* 10. quæ proficiscuntur ex Legato Amati; ac proinde si quid reliqui sit, id ne satis quidem erit ædium refectioni, ac tot inopinatis casibus, quibus præcavendis, ac reparandis, præsto esse debent uberes reditus, ne postea serum remedium frustra quæratur. Hospitali autem desunt tantummodo annua *scuta* 23., quorum defectui frugi administratione consuli fortasse poterit.

Nec otiosi censendi sunt fructus multiplici, cum ipsos ex Testatoris voluntate impendere oporteat in diminutionem auctarii, seu *Denarino*, quod Monti solvitur ab egenis pecunias dato pignore accipientibus: quæ

pia dispositio exequenda omnino est, Testatore vetante, ne iidem fructus convertantur = *in altri usi*, *e cause*, *ancorchè urgentissime* = ; hæc enim verba quamlibet excludunt præsumptionem, qua defunctus commutationi voluntatis assentiri existimetur.

Lex autem, quæ in Provincia Æmiliæ Montibus Pietatis fructus ad rationem semissem percipere vel jussit, vel permisit, impedimento non est, quominus voluntas Testatoris Amati executioni mandetur. Exteri enim pauperes, qui fortasse, imminuto fructu, Sabinianum peterent, arceri a Monte Pietatis poterunt, præcipiendo, ut Incolis Sabiniani, prætereaque nemini prosit diminutio *Denarini*; quemadmodum a Statutis quorumdam Montium interdicitur Officialibus, ne aliis dent mutuum, quam pauperibus certi loci, aut Diæceseos, *Syn. Tusculana an.* 1763. *cap.* 19. §. *ult.* Præterea si Legi illi, quæ semisses invexit fructus, a piis Montibus percipiendos, aut penitus aut aliqua ex parte hic sacer Senatus derogandum censeret, Mons Sabiniani destitutus Legato Amati, et uberioribus fructibus, quos nunc obtinet ex pecunia, quam dantibus pignora suppeditat, *Denarinum* imminuere minime posset, ne opibus careret, quibus suæ indemnitati, ac ministrorum stipendiis prospicere debet.

Si Emi Patres applicationem Legati denegandam decernant; videant, quæso, an prosequendum sit multiplicum. Nimirum satis impleta videtur Testatoris voluntas, qui multiplicum fieri jussit, donec fundus constitueretur, cujus reditus quolibet anno attingeret *scuta* 50. Nunc enim fructus multiplici summam *scut.* 60. excedunt. Præterea advertit Archiep. Vicarius Apostolicus, esse omnino superfluum fructus in diem augeri; id namque cederet in destructionem *Denarini*, atque ex finitimis oppidis pauperes ad Montem Sabiniani advocaret.

Verum a Testatoris voluntate haud aliena, imo eidem quam maxime consentanea est imminutio, ipsaque *Denarini* exinanitio: cum ideo præceperit multiplicum usque ad annuam summam *scut.* 50., quia ipsi cordi erat, ut quam citius fieri posset, aliquam egeni utilitatem sentirent. Profecto cum hodie pia dispositio solis fructibus multiplici impleri possit; non

abs

abs re putandum, si Legatum *scutorum* 100. in multiplicum adhuc conferatur, quousque tot habeantur reditus, quot requirantur, ut Mons, nullo accepto fructu, pecuniam pro pignoribus suppeditare valeat. Eoque certius, quia Leo X., in Concilio Lateranensi V., tametsi licitum definiverit, quod moderate a Montibus Pietatis exigitur pro Ministrorum impensis, eorumdemque Montium indemnitate; nihilominus addit, multo perfectius, multoque sanctius fore, si omnino tales Montes gratuiti constituerentur, assignando census, quibus Ministrorum impensæ solvi possent; ad eosque sic erigendos Christifideles majoribus Indulgentiis invitandos esse, constituit.

Contractus autem mutui, quem scandalum parere sollicitus admonet Vicarius Apostolicus, improbandus quidem est, ac pecunia in alium honestum, probatumque contractum convertenda. Sabiniani quidem, aliisque in locis, quæ durante præteritorum temporum asperitate Gallorum legibus regebantur, ad pecuniæ fructus, sive usuras percipiendas simplex partium conventio tunc satis erat, quin ratio haberetur damni emergentis, et lucri cessantis, uti tradit *Rota in Cæsenaten. Pecuniaria* 6. *Julii* 1821. §. 3. *coram Martinez.* Verum contractus, eo tempore initos, ad tramites Sacrorum Canonum reducendos constituit vigilantissimus Pontifex Pius VII.; edita idcirco fuit die 3. *Julii* 1820. ab Emo Cardinali Fori Livii Legato Ædictalis lex, qua moniti fuere illorum locorum incolæ, quod = *Ravvisando Sua Santità nel commune errore la buona fede dei Creditori, ha ordinato, che la validità dei Contratti di mutuo ad interesse, stipulati nelle sue Provincie di seconda ricupera sotto la legislazione non sua, e vigente prima del suo riacquisto, debba aversi per continuata tuttora, e debba ulteriormente continuare per tutto il corrente anno. Ad effetto poi, che una tale validità debba progredire dal primo Gennaro del seguente anno in appresso, e fino alla consumazione dei singoli contratti, vuole la Santità Sua, che ciascuno dei rispettivi Creditori debba dentro il corrente anno rettificare i suoi Crediti di mutuo ad interesse secondo le forme volute, ed ammesse dalla Legislazione Pontificia.*

 Quod

Quod pertinet ad usuras, quas e pecunia captis pignoribus tradita, percipit Mons pietatis, eas modicas, ac necessarias ad Ministrorum mercedem, Locique pii indemnitatem, sine ulla turpis quæstus labe exigi posse constat ex supra citata declaratione Leonis X. Ne vero hujusmodi fructus impensas pro Montis tuitione necessarias forte superarent, sancitum fuit, ut sine Sedis Apostolicæ venia nihil supra sortem accipere liceret, in *Neapolitana* 7. *Feb.* 1637. *ad II. dub. lib.* 15. *Decret. pag.* 501., multoque minus aliquid amplius percipere, quam antea Mons consueverat, quamvis ad æs alienum solvendum id erigi vellet, *Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib.* 10 *cap.* 5. *n.* 2., *et in Casalen. Montis Pietatis* 12. *Martii*. 1718.

Facultas autem ut plurimum tributa est ab hac Sac. Congregatione exigendis quadrantes usuras; si tamen ejusmodi usurarum ratio foret necessaria pro ministrorum stipendio, cæterisque impensis, *Tudertina* 17. *Augusti* 1626., *et Perusina* 20. *Aprilis* 1771. Quam sententiam adeo constanter tenuit, ut fructuum, qui pro sumptibus Montium non essent necessarii, nunquam probaverit perceptionem, licet id peteretur pro meliori Montis regimine; ut in *Beneventana* 8. *Aprilis* 1786., vel ut panes emi quolibet anno possent, qui ex ipsa Fundatorum dispositione erant pauperibus distribuendi, ut in *Massanen Montis Pietatis* 16. *Februarii* 1805. Quod si Monti Casalen. semel, iterumque veniam dedit, ut quincunces usuras percipere posset: factum id est, quia Mons inopia premebatur, eique ad juvandam gravissimam familiarum in illa Diœcesi commorantium indigentiam indultum fuerat, ut amplam pecuniæ vim fœnore sumeret ad rationem trium pro centenis singulis.

Monti Sabiniani cum annua supersint *scut.* 20., perpendant EE. PP., an illi permitti possit, ut semisses usuras percipiat. Habendum tamen præ oculis erit, quod si fructus imminuantur, Monti deerit, quod necessarium est pro ejus indemnitate, ac Ministrorum stipendiis: nam reliquiæ cujusque anni parvi sunt momenti. Timendum præterea, ne valde imminutis usuris pauperes finitimi Sabinianum confluant, et damnum inde Sabinianenses patiantur. Cæterum fructus

ctus quincunces pro singulis centenis percipit Mons Pietatis hujus Urbis, si pecunia pro accepto pignore tradita decem julios superaret, uti habetur ex Edicto R. P. D. Thesaurarii Generalis *diei* 15. *Octobris* 1818. ait itaque EE. VV. sapientiæ, ac juris peritiæ sequentia dirimere.

Dubia

I. *An, et quomodo concedenda sit applicatio Legati cum incrementis in casu etc.*

Et quatenus negative

II. *An, et quomodo sit prosequendum Multiplicum, seu potius erogandi reditus in diminutionem fructuum, vulgo Denarino in casu etc.*

III. *An, et ad quam rationem liceat Monti exigere fructus in casu etc.*

Ad I. Negative

Ad II. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam ad formam fundationis.

Ad III. Affirmative ad formam Constitutionis Sa: Mem: Leonis X. *Inter multiplices*

LUCANA JURISDICTIONIS. Ecclesia S. Michaelis in foro Lucensis Civitatis *anno* 1518. erecta fuit in Collegiatam cum Decano, et novem Canonicis, eique Paræcia S. Peregrini conjuncta fuit. Decano pro tempore pluribus Apostolicis Litteris Leo X. amplissima tribuit privilegia, ac præcipue quod Ecclesia S. Michaelis, et ejus bona quæcumque, necnon *Canonici, Capellani, Clerici, ac personæ quæcumque tam in beneficialibus, spiritualibus, civilibus, criminalibus vel quasi vel mixtis, quam aliis quibuscumque, tam ordinaria, quam delegata, et mixta auctoritate fungentes*, a jurisdictione quorumcumque Judicum ordinariorum etc. perpetuo eximerentur ac Decano tantum, et S. Sedi Apostolicæ essent subjecti; atque hæc concessio a pluribus Pontificibus postea confirmari meruit. *Sess.* 24. *Cap.* 20. *de Ref.*

Ju-

Jurisdictionem suam Decanus in Ecclesia S. Michaelis, ac in iis, quæ eidem unitæ erant, exercuit, donec *anno* 1808. Gallico invecto regimine, Collegiata penitus fuit sublata: eodemque tempore Archiepiscopus Lucanus, Apostolica utens auctoritate, Civitatis Paræciarum numerum debuit imminuere, earumque limites denuo præscribere. Contigit inde, ut Paræcia S. Peregrini, quæ Collegiatæ S. Michaelis erat conjuncta, ejusque Decano subjecta, unita fuerit Ecclesiæ Parochiali, et Collegiali SS. Paulini, et Donati ordinariæ jurisdictionis: et Paræciæ S. Michaelis assignata fuerit Ecclesia SSmi Salvatoris ordinariæ pariter jurisdictionis.

Cum autem *anno* 1818. Divino favente auxilio, ac singulari pietatis, et religionis zelo Reginæ Mariæ Aloysiæ Hispaniarum Infantis, et Ducissæ Lucensis, Collegiata S. Michaelis in pristinum fuerit restituta; Summus Pontifex Pius VII. Decano, et Canonicis Litteras dedit Apostolicas *die* 15. *Septembris*, quibus privilegia omnia, a suis Prædecessoribus eidem Collegiatæ tributa, amplissime confirmavit.

Quamquam eadem nunc quoque maneat Paræciarum divisio, quæ Gallis eas regiones occupantibus fuit constituta, putant tamen Lucanus Archiepiscopus, et S. Michaelis Decanus, hanc jurisdictionem suam in S. Peregrini Paræciam conservare, licet S. Michaelis Paræciæ non amplius conjungatur, et Paræciam SS. Salvatoris, quæ nunc S. Michaelis Ecclesiae conjuncta est, jurisdictioni ordinariæ adhuc esse subjectam. Archiepiscopus hinc, et Decanus ad eas declinandas quæstiones, quæ a promiscua jurisdictione possent oriri, facultatem petunt jurisdictionem permutandi, ut scilicet Decanus in Paræciam SSmi Salvatoris jurisdictionem acquirat, Paræcia vero S. Peregrini Archiepiscopi jurisdictioni subsit.

Rogatus de more Archiepiscopus *pro Informatione, et voto, audito præsertim Parocho SS. Paulini et Donati, Decano S. Michaelis, et Promothore Fiscali, ut referret de legittima causa, et vera necessitate, et utilitate permutationis, et an, et cui competat jus super suppressis Paroeciis S. Peregrini, et SSmi Salvatoris*= ita suam pandidit sententiam = *Decanus Ins. Coll. Ecclesiæ S. Michae-*

chaelis in foro hujus Civitatis, S Pontifice Leone X. Ecclesiam Dei tunc gubernante, jurisdictionem exercendi in præfata sua Ecclesia, atque in iis, quæ adnexæ erant S. Peregrini scilicet, et S. Matthiæ Apost., privilegium obtinuit. Hac jurisdictione, quæ in posterum a pluribus Pontificibus favore dicti Decani pro tempore confirmata fuit, etiam nunc gaudere dicendum est, cum nullum privationis Decretum a Summo Pontifice emanatum fuerit; quinimmo omnia privilegia, et jura Decano, et Capitulo ipsius Ecclesiæ, quæ a Pontificibus prædecessoribus iisdem concessa fuere, se confirmare in suis Litteris Apostolicis sub die 15. Septembris 1818. apertissime declaravit. Cum tamen in nova, quæ ob transactas vicissitudines accidit, Paræciarum divisione, Paræcia S. Peregrini, annuente Summo Pontifice, Paræciæ SS. Paulini, et Donati adnexa fuerit, et e contra Paræcia SSmi Salvatoris Ecclesiæ S. Michaelis unita remanserit; hinc unanimi consensu, ac voto tam Ego, quam Decanus prædictam jurisdictionem permutandi a S. Sede facultatem humiliter postulavimus. Decanus hujusmodi facta permutatione in suis Ecclesiis jurisdictionem exercebit, et hac ratione ea omnia, movebuntur incommoda, quæ facillime eo quod Paræcia S. Peregrini regatur, et gubernetur a Parocho SS. Paulini, et Donati. qui Decano nullo modo subjicitur, evenire possent. En, ut arbitror legitima causa, veraque necessitas permutationem faciendi, eo vel magis, quod omnes interesse habentes, Decanus scilicet, et Prior Ecclesiæ sæpe enunciatæ SS. Paulini, et Donati, quibus, et ipse assentior, plenum præbuere consensum, cum ex hoc nulli inferatur præjudicium, nec animarum cura detrimentum patiatur.

Cum aliquid adhuc desiderari videretur, denuo remissæ fuerunt preces „ *eidem Archiepiscopo pro nova Informatione, et voto, ut transmissa copia privilegiorum Decani Collegiatæ S. Michaelis quoad Paræciam S. Peregrini, et audito in scriptis Priore SS. Paulini, et Donati, referret quam jurisdictionem Decanus exercebat super Paræcia S. Peregrini ante hujus unionem Paræciæ SS. Paulini, et Donati, transmissa copia Decreti unionis tam hujus Paræciæ.*

quam

„ *quam alterius SSmi Salvatoris, et particula Brevis*
„ *anni 1818.*

Ex Bullis privilegiorum Collegiatæ S. Michaelis id excerpsi, quod superius exposui. Prior SS. Paulini, et Donati epistolam Archiepiscopo dedit, in qua hæc habentur = *Non so, quali privilegj, e quale specie di giurisdizione esercitasse un tempo il prelodato Decano nella Chiesa di S. Pellegrino, che in allora per titolo di unione formava un predio, o un' aggiunta della Parrochia di S. Michele, ed ora per titolo egualmente di unione forma parte della mia Chiesa Parrochiale e Collegiale. Quantunque non mi sia noto il tenor de' medesimi* (privilegiorum ejusdem Decani), *con tutto ciò ho risaputo, che questi non gli davano in ispecie un diritto nella Chiesa suddetta, ma glie lo davano soltanto nella Chiesa di S. Michele, e super adjuncta, o Ecclesias adjunctas. Era dunque in forza dell' unione, per cui la Chiesa di S. Pellegrino era divenuta un predio della Chiesa di S. Michele, che i Decani per i tempi esercitavano un'autorità qualunque essa si fosse, anco sulla Chiesa controversa. Siccome ora pertanto è rimasta scissa fino dal 1808. in forza delle disposizioni prese dalla S. Sede, ed eseguite dall' Arcivescovo con una tale unione, che fu la causa unica, che estese l'autorità de' Decani, sopra detta Chiesa; così mi sembra fuor di dubbio, che sia venuta meno qualunque giurisdizione privilegiata. Divenuta oggi all' opposto la Chiesa di S. Pellegrino un predio, ed un accessorio della mia Chiesa Parrochiale, sarebbe cosa mostruosa, che non dovessi riconoscere gli Arcivescovi per Superiori di quella, mentre essi senza limitazione sono i Superiori di questa.*

Profecto permutari nequeunt res ad Ecclesiam pertinentes, nisi justa, atque Ecclesiæ utili concurrente causa; namque permutatio est alienationis species; ideoque omnes a Lege statutas solemnitates pro alienationibus adimpleri necesse est etiam in permutationibus *Card. de Luca De Alienat. discurs.* 16. *n.* 7, *Sac. Congregatio in Feretrana Permutationis* 30, *Martii.* 1805. Verum hic non agitur de permutatione bonorum, sed jurium: namque Decanus Colle-

legiatæ Ecclesiæ S. Michaelis jus suum in Paræcia S. Peregrini commutare vult cum jure super Ecclesia Parochiali SSmi Salvatoris, quæ erat jurisdictioni Archiepiscopi subjecta. et similiter Lucanus Archiepiscopus cedendo jus, quo in hac gaudebat, super illa jus acquirere optat: æquam igitur conditionem esse, et nihil ex utraque parte amitti videtur.

Justa quoque, ac rationabilis permutationis causa (quod maxime interest), adesse videtur, cum ita omnes tollantur, quæ jam ortæ sunt, ac præoccupentur, quæ oriri possent controversiæ, quibus scandalum populo facillime præberetur. Sane transactiones, quæ ad evitanda scandala, et pacem conciliandam ineuntur, Supremi Principis auctoritate roborari merentur, cum multa hac de causa a jure permittantur, quæ alias non facile approbarentur, quemadmodum statuit *S. Congregatio in Montis Alti Transactionis* 20. *Feb.* 1808. Eoque certius, cum omnium interesse habentium consensus in themate accedat.

Verum obstat, privilegia restringi potius, quam ampliari debere *Pignat. consult can. tom.* 1. *cons.* 82. *num.* 2. eaque ad limites Juris communis esse reducenda *Can. Privilegia distinct.* 3. Ampliarentur autem privilegia, si Paræcia SSmi Salvatoris jurisdictioni Decani Collegiatæ S. Michaelis subjiceretur, cum in hac semper liberam exercuerit jurisdictionem Archiepiscopus. Neque vero Summus Pontifex Pius VII. suis Litteris superius indicatis, iterum concessisse videtur Decano jurisdictionem in Paræcia Sancti Peregrini. Omnia siquidem Collegiatæ S. Michaelis privilegia restituit quibus fruebatur ad normam concessionis Leonis X. aliorumque Pontificum: hæc tamen concessio jurisdictionem tribuit quoad bona tantum, et Ecclesias dictæ Collegiatæ adnexas; cum ergo Ecclesia S. Peregrini sejuncta nunc sit ab Ecclesia S. Michaelis, dicendum erit, illam tum ex Sacratissimi Principis, tum ex Leonis X. Apostolicis Litteris omnino liberam esse.

Quæ si ita forent, deficeret ineundæ permutationis causa, imo ejusdem permutationis subjectum: præsertim quia Ecclesia S. Peregrini Paræciæ SS. Paulini, et Donati subjective fuit unita; quo factum est, ut propriam amiserit dignitatem, et privilegia, et principali seu

Matrici Ecclesiæ ita adhæserit, ut ejusdem tam jura, et privilegia, quam onera participet *Can. 48. caus. 16. quæst. 1., Reinffestuel lib. 3. Decret. tit. 12. num. 42., S. Congregatio in Lancianen. 23. Jun. 1821.* Itaque cum in Ecclesia Matrice nullam exercere valeat jurisdictionem Decanus S. Michaelis; nullum quoque jus in filiali Ecclesia habere potest.

Eadem prorsus oritur quæstio de Ecclesia Sanctissimi Salvatoris, quæ cum ordinariæ esset jurisdictionis, Ecclesiæ S. Michaelis fuit subjective unita: nihil tamen addam, ne jam exposita inutiliter repetam. Cæterum si EE. VV. permutationis subjectum deesse videatur; perpendendum erit, num eo pronius probanda sit permutatio, quæ contentiones omnes eliminat, dum id, quod jam de jure inerat tantummodo pandit, et mutuo partium placito confirmat.

Dignentur itaque EE. VV. respondere

Dubio

An sit consulendum SSmo pro permutatione jurium in casu etc.

Non proposita cum sequenti

Sess. 24. Cap. 12. De Reform.

SUTRINA INDULTI. Ambrosius Mignanti, Collegiatæ Tulpharum Sutrinæ Diæcesis Canonicus, vocatus ad exercendum Confessarii munus in Monasterio Montis Castrilli Tudertinæ Diæcesis, supplex adiit Summum Pontificem, petens = *un benigno indulto abessendi per un triennio dalla sua residenza colla percezione delle distribuzioni, come se fosse presente, coll' obbligo bensì di far cantare le sei Messe annuali, che deve in turno pro benefactoribus, abilitarlo insieme a poter* cele-

celebrare nella Chiesa del suddetto Monastero le messe annuali lette, che deve celebrare nell' Altare di San Egidio della sua Collegiata, tanto per peso del Canonicato, che per quello di un semplice Beneficio, che unitamente vi gode =. SSmus benigne rescripsit, *Pro gratia juxta petita* 1. *Julii* 1819. *Pius PP. VII.*

Quadragesimali tempore *anni* 1820., quando præfatæ Moniales extraordinarium Confessarium habent, verbum Domini in Hortana Cathedrali annuntiare cum deberet Canonicus Mignanti; Indulti confirmationem exoravit *per l'esenzione* a Choro, et punctaturis, *come se continuasse nell' impiego di Confessore*. Voti compos factus est, et per Secretarium Memorialium rescriptum prodiit. *Pro gratia juxta petita toto Quadragesimali tempore, servata in reliquis omnibus enunciati Indulti* (1. Julii 1819.) *forma, contrariis quibuscumque non obstantibus*. Denique *anno* 1822., prævio Apostolico Beneplacito, ad aliud triennium in Confessarii munere confirmatus idem Canonicus SSmo rursus humiliter supplicavit *per le dispense medesime durante l'indicato esercizio*: atque ab Emo et Rmo Cardinali Supplicum libellorum a secretis rescriptum obtinuit = *Ex Audientia SSmi die* 6. *Maii* 1822. *SSmus benigne annuit pro petita enunciatarum prorogatione facultatum, ad aliud Triennium, servata in omnibus præcedentis Indulti forma, et dispositione, superaddito insuper onere oratori amittendi distributiones, quæ dicuntur fieri inter præsentes relate ad servitium Chori, quod ipse præstare teneretur.*

Indulta hæc ægre ferentes Canonici Tulpharum, capitulariter congregati die 26. *Maii* 1822. statuerunt, Canonicum Mignanti *a die* 27. ejusdem Mensis Maii cogendum esse = *rapporto alla soddisfazione di Messe cantate, ed altre di turno nelli giorni festivi . . . . a pagare almeno per l'avvenire . . . . bajocchi venti oltre l' elemosina a chi soddisferà per il medesimo le indicate Messe, e bajocchi dieci a chi si parerà per il medesimo nelle solite funzioni; ed in quanto al pagamento delle puntature tanto passate, che future debba costringersi anche giudizialmente.*

Tum vero Canonicus Mignanti novas Summo Pontifici porrexit preces, ut obtenta indulta plenum sortirentur

effectum, et ipse ab omni fallentiarum solutione liberaretur; et *die 6 Julii 1822.* rogatus fuit Episcopus *pro Informatione, et Voto, audito Capitulo, ut transmissa Copia Indultorum, et particulis Constitutionum Capitularium, referret de statu litis in Curia Episcopali, tempore absentiæ, an, et quam mercedem recipiat Orator ob munus Confessarii, et de consuetudine quoad præteritum*: sed antequam ipse suam huic S.Congregationi panderet sententiam, Curia Episcopalis mandatum pro *scutis* 35. 21. contra Canonicum Mignanti relaxavit. Itaque alias obtulit preces Canonicus, quæ Episcopo remissæ sunt *pro Informatione, et Voto audito Capitulo super novis precibus, ut referret de eleemosyna persolvi solita pro Missis cum cantu, nihil interim innovato contra Oratorem, et certioraret de resultantibus ex rescripto S. Congregationis diei 6. Julii.*

Episcopus in sua informatione hæc habet. *Canonicus Orator in duplici supplici libello Sanctitati Suæ porrecto opus supererogationis, quod ipse illis Monialibus impendit, expendendum præsefert; S. Ministrorum Tudertinæ Diœcesis penuriam exponit; Monasterii miseriam enarrat; iisque de causis indulgeri sibi postulat, ut non solum sit absens, verum etiam nihil amittat, et omnia tamquam præsens lucretur.*

Quoad opus supererogationis, nescio, qua illud laude in casu dignum sit, cum ut illis Monialibus opem ferat, non solum Ecclesiam suam, sed et longævam suam genitricem deserat, quæ filium urget apud supremum Auditoris SSmi Tribunal, tum pietatis officiis, tum stricto justitiæ jure, ob assumptum a filio onus Matri subveniendi, cujus doti distrahendæ sub ea obligatione consensit. Quoad S. Ministrorum inopiam, si hæc Tudertinam Diœcesim, cui ille ex charitate inservit, affligit, non minus premit Sutrinam, cui justitiæ titulo adstringitur ..... Requisitæ informationi cum satisfecerim; superest, ut sensum meum aperiam circa preces, in quibus duo exposcit, ut immunis sit a fallentiis, ut distributiones inter præsentes lucrari queat.

In primo Rescripto SSmi diei 1. Julii 1819. mentio quidem fit de lucrandis distributionibus; at nulla fit de

im-

immunitate a fallentiis, cumque hæc odiosa sit, et aliorum juri noxia, hinc præsumenda videtur exclusa, dum non fuit expresse concessa

In altero vero diei 6. Maji 1822 conceditur, prout in primo, et expresse denegatur jus percipiendi distributiones: videtur itaque pro currenti triennio denegata utraque facultas.

Canonici vero in Capitulari conventu ita senserunt = *Riguardo alla conferma del Signor Canonico Mignanti per il secondo triennio nell' officio di Confessore delle Monache di Monte Castrilli, il nostro Capitolo non intende prestarvi il suo consenso, nè assumere alcun peso di detto Signor Canonico per la soddisfazione degli obblighi del Turno, Coro, e tutt'altro a lui spettante; e molto meno possa il medesimo avere alcuna pretensione alla partecipazione degli emolumenti di qualsivoglia sorte, ordinarj, o straordinari, di Puntature, Funerali, Messe cantate, e altre Funzioni avventizie di qualsivoglia specie, solite distribuirsi inter præsentes, non essendo giusto, che il medesimo pretenda scaricare i suoi obblighi sopra degli altri nel tempo stesso che oltre le Rendite del suo Canonicato, e Beneficio semplice da lui posseduto, percepisce ancora dal detto Monastero l' emolumento di scudi venticinque annui ed il vitto necessario al suo Individuo, conforme è noto a tutti.*

In quanto poi al pagamento delle Puntature, ed altri pesi per il triennio spirante, quanto per l'altro prossimo ad incominciare il Signor Arciprete fu di parere (quam sententiam omnes probarunt) *doversi sostenere, e confermare quanto fu risoluto nell'adunanza Capitolare, tenuta sotto il dì 26. Maggio 1822., cioè far uso dei diritti, che ha il nostro Capitolo, per costringere il Signor Canonico Mignanti al pagamento delle Puntature, tanto passate, che future, non potendosi nemmeno sospettare senza delitto, che S. Santità colla grazia accordata al Signor Canonico Mignanti abbia inteso di ledere in alcun conto i diritti di giustizia, competenti al nostro Capitolo per il pagamento delle Puntature.*

Ognun sa, che i membri di questo nostro Capitolo oltre l'obbligo Corale dell'intero officio in tutt'i giorni festi-

vi

vi, e nei soliti feriali, nell'Ottava del Corpus Domini, Settimana Santa, Venerdì di Marzo, ed alcuni altri, per consuetudine immemorabile sono tenuti celebrare per turno nei giorni festivi a comodo del Popolo una Messa sull'Aurora, altra nel tempo di Matutino, ed altra sull'ora di Prima, la Messa Cantata, ed altra finalmente, che dicesi ultima circa il Mezzogiorno, come si vede nella tabella di turno affissa in questa pubblica Sagrestia.

E' noto parimenti a tutti, ed apparisce dal libro delle Puntature, ed Amministrazione Capitolare, che in questo nostro Capitolo si è osservata sempre la consuetudine di pagarsi le Puntature da tutti gli assenti, fuorchè nel caso di attuale infermità: nè puole fare alcun ostacolo l'esempio singolare del Signor Canonico D. Domenico Buttaoni allora Canonico di questa Chiesa Collegiata, e poi Vescovo degnissimo di Fabriano, perchè egli, oltre che faceva esattamente soddisfare i di lui obblighi di turno da altri da lui destinati, inoltre diede in compenso alla nostra Chiesa una muta di bellissimi fiori etc.

In ultimo deve altresì riflettersi, che al presente il numero de' Membri del nostro Capitolo atti alla soddisfazione degli obblighi, e turno, si è reso assai ristretto, perchè un Canonicato si trova vacante, due Canonici in minoribus de, un altro giubilato per la sua avanzata età. Onde a gran stento il restante de' Canonici può supplire alli bisogni del Coro, e del Popolo.

Probe norunt EE. VV. non hic agi de justitia, vel injustitia Indultorum, cum facultas de iis cognoscendi huic S. Congregationi concessa minime fuerit; sed rem esse tantummodo de eorumdem Indultorum interpretatione. Pro primo triennio SSmus concessit indultum absentiæ *colla percezione delle distribuzioni come se fosse presente*: si igitur Canonicus Mignanti tamquam præsens in Choro censendus est; nec fallentiis mulctandus erit, nec distributiones amittet, cum præsentes in Choro omnia percipiant. Verum distributiones inter se valde differunt: aliæ enim sunt Beneficio adnexæ, aliæ conceduntur ratione servitii, aliæ appellantur inter præsentes, vel quia ex massa communi præsentibus tantum conceduntur, vel quia ex

ex voluntate Testatorum, atque benefactorum his dantur, qui divinis officiis personaliter intersunt. Dubitandum non est, quin distributiones beneficio adnexas, et ratione servitii tributas, percipere debeat Canonicus Mignanti, prout statuit S. hæc Congregatio in *Beneventana 7. Martii* 1818. favore Canonici Aloysii Coppola, qui indultum obtinuerat percipiendi *fructus, et distributiones sui Canonicatus, perinde ac si Choro, et divinis officiis personaliter interesset.* Distributiones vero, quæ a Benefactoribus sunt relictæ eidem Canonico Coppola fuerunt a S. Congregatione denegatæ.

Atque hanc Summi Pontificis fuisse mentem perspicue pandit secundi triennii indultum, in quo hæc verba, prout superius exposui, leguntur, *superaddito insuper onere etc.* Cum enim novum onus amittendi distributiones *inter præsentes* superadditum dicatur, censendum omnino est in primo indulto earum perceptionem Indultario Pontificem concessisse. Plurimi quoque facienda est bona Oratoris fides, qui a Chori servitio abfuit sub tutela Apostolicæ concessionis, quin Canonici unquam de fallentiis controversiam excitaverint: præsertim cum præsto esset exemplum Canonici Butiani, qui nihil distributionum amisit, cum Vicarii Generalis Tudertini Episcopi munus exercuit. Denique Oratoris petitioni favere videtur alia quoque hujus S. Ordinis resolutio in *Auximana Distributionum 22. Decembris* 1821., qua denegatæ tantum fuere distributiones inter præsentes Canonico Vagnozzi, qui indultum obtinuerat absentiæ, ita ut *Canonicatus sui fructus, reditus, et proventus percipere possit.*

At Principum rescripta nunquam ita sunt intelligenda, ut aliis detrimentum inferant, nisi id fuerit expressum *Fagnan. Lib.* 1. *cap. Causam de Rescript. n.* 10. *et seqq.* Quod si favore Canonici Mignanti indulta interpretentur, cæteri Tulphanum Canonici præjudicium sentire videntur; quandoquidem de jure fallentiæ, seu punctaturæ præsentibus conceduntur, veluti diligentis servitii præmium. Consideranda quoque est hujus S. Congregationis praxis, quæ semper indulta ratione munerum concedit, cum clausula amissionis distributionum. Præterea Canonicus Mignanti emo-

emolumentum a Monialibus percipit; non recte igitur exemptionem a fallentiis poscit *Cap. 3. de Clericis non resid.* Plura demum habent EE. PP. in voto Episcopi, et Resolutione Capituli superius allatis, quæ obstare petitioni possunt.

Præstat autem animadvertere, quod Canonici Tulpharum non solum Missas canere debent, sed onus habent offerendi Sacrificia certis horis pro Populi commoditate: absente Canonico Mignanti, hæc omnia ab aliis Canonicis sunt adimplenda: Vestræ proinde sapientiæ erit PP. EE. decernere, utrum ab iis oneribus Oratorem exemerint indulta absentiæ, vel potius ipse aliquid dare teneatur Canonicis, qui ejus munus exercent, et implent. Nemo certe onus non suum ferre cogendus est: et dignus est operarius mercede sua *Reinffest. lib. 3. tit. 4. n. 28.* Verum Indultario favere videtur regula = *in eo, quod plus sit, semper inest et minus Leg.* 110. *Dig. de Reg. Jur.* Si igitur Summus Pontifex absentiæ Indultum concessit, et permisit etiam, ut Missæ lectæ ab Oratore in Monasterii Ecclesia celebrarentur; ipsum a mox indicatis oneribus tacite liberasse, dicendum erit; expressi namque et æquipollentis eadem est ratio. *Leg. Cum quid. Dig. Si certum petat.*

Dignentur itaque EE. PP. dirimere, quæ sequuntur

Dubia

I. *An, et quas distributiones amittere debeat Canonicus Mignanti pro primo triennio in casu etc.*

II. *An, et quas distributiones amittere debeat Canonicus Mignanti pro secundo triennio in casu etc.*

III. *An, et quæ summa, et a quo tempore solvenda sit a Canonico Mignanti pro unaquaque vice ei, qui munus sui Canonicatus exercet tum pro celebratione Missæ statutis horis, tum pro servitio Altaris in casu etc.*

Die

Die Sabathi 24. Maji 1823. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

LUCANA JURISDICTIONIS.

Sess.24.Cap.20. de Reform.

Dubium

An sit consulendum SSmo pro permutatione jurium in casu etc.

Affirmative.

SUTRINA INDULTI.

Sess.24.Cap.12. de Reform.

Dubia

I. *An, et quas distributiones amittere debeat Canonicus Mignanti pro primo triennio in casu etc.*

II. *An, et quas distributiones amittere debeat Canonicus Mignanti pro secundo triennio in casu etc.*

III. *An, et quæ summa, et a quo tempore solvenda sit a Canonico Mignanti pro unaquaque vice ei, qui munus sui Canonicatus exercet tum pro celebratione Missæ statutis horis, tum pro servitio Altaris in casu etc.*

Ad I. Affirmative quoad distributiones tantum, quæ ex voluntate benefactorum solis præsentibus debentur; in reliquis negative.

Ad II. Affirmative amissis cum solitis clausulis.

Ad III. Affirmative a die 27. Maji 1822. ad taxam ab Episcopo statuendam.

Sess. 23. Cap. 1. de Reform.

FERETRANA RESIDENTIÆ, ET DISMEMBRATIONIS. Pluries quæstio hæc Vestræ sapientiæ EE. PP. subjecta fuit; postremo vero in comitiis *diei 22. Februarii* proximi superioris, in quibus confirmatæ fuere resolutiones alias ab EE. VV. editæ Mercatinensium favore contra Talamellenses, dilationem frustra poscentes. Novæ audientiæ beneficium implorarunt, et obtinuerunt Talamellenses, nihil tamen deinde pro suorum jurium defensione mihi exhibuerunt, et Mercatini populus præteritas allegationes reassumere precatur. His igitur reassumptis una cum Foliis 30. Augusti 1817., 21. Februarii, 2. Maji 1818., 18. Septembris, 20. Novembris 1819., 16. Septembris 1820., et 22. Februarii hujus anni, EE. VV. respondere dignentur

Dubiis

I. *An sit standum, vel recedendum ab ultimo loco decisis quoad primum dubium in casu etc.*

II. *An sit standum, vel recedendum ab ultimo loco decisis quoad secundum dubium in casu etc.*

III. *An sit standum, vel recedendum ab ultimo loco decisis quoad tertium dubium in casu etc.*

Dilata, et ad mentem.

Sess. 23. Cap. 1. de Reform.

PLACENTINA DELATIONIS FUNERUM. In Placentina Diœcesana Synodo, a cl. mem. Cardinali Sega *anno* 1589. habita latum Decretum fuit, quo præscribitur, ut *Clericus mortuus, vestitu Clericali ordini suo convenienti indutus, efferatur Sacerdos a Sacerdotibus, Diaconus a Diaconis, Subdiaconus a Subdiaconis, simplex autem Clericus a Clericis item simplicibus; hac lege tamen, ut a Canonicis ultimis Cathedralis, aut Collegiatæ insignis levetur tantum corpus Canonici de-*

defunctis, et exinde a Præbendariis, qua pietate decet Christiana, et Ecclesiastica, et a Mansionariis, Capellanisve per ordinem ad sepulturam in Ecclesiam efferatur. Qui monitus a Sacrista id facere recusaverit, vel distulerit, unius mensis distributionibus privatus sit, et accrescant deferentibus. Ad funus autem tam Canonici, quam Præbendarii accedant, etiam gratis, reliqui omnes Canonici, et Præbendarii nullo legitimo detenti impedimento. Ex hujus Decreti præscripto Episcopus Placentinus *die* 11. *Februarii* 1820., occasione delationis Cadaveris Aloysii Pastori Sacerdotis Præbendarii, per suum Episcopalem Cancellarium omnibus Præbendariis indixit, ut hoc Cadaver efferrent sub pœna amissionis unius mensis distributionum iis infligenda, qui obtemperare recusassent.

Plures revera ex Præbendariis, inter quos Jacobus Tinellius, renuentes fuere varias ob causas, ac præsertim quia Cadaver arcæ ligneæ erat inclusum contra recentiorum Synodorum Decreta. Itaque Episcopus indictam pœnam renuentibus inflixit, quam deinde omnibus remisit, uno excepto Tinellio, qui mulctam solvit, ac illico preces huic Sac. Senatui obtulit, quibus Episcopalis Decreti revocationem, et mulctæ restitutionem petiit.

Episcopus semel, iterumque requisitus, factum suum non modo confirmavit, sed ejus approbationem a Vobis PP. EE. flagitavit, ceu patet ex duplici ejus Informatione in Capituli summariis typis impressis contenta. Episcopo adhæret Capitulum, cujus nomine distributa Allegatio rationes ab eodem propositas complectitur.

Nonnulla suorum jurium folia Tinellius exhibuit, quæ typis committere ob inopiam nequivit: mei proinde muneris est prædicta jura EE. VV. oculis subjicere. Ait itaque, in interpretatione Legum pœnas molliendas esse potius, quam exasperandas, et in pœnalibus causis benigne esse pronuntiandum, ad *Jur. Reg.* 15. *in sexto* = *Odia restringi, et favores convenit ampliari* = Hæc, quæ a jure manant, pro se stare Tinellius contendit. Synodus enim Cardinalis Sega præscribit, Cadavera Sacerdotum a Sacerdotibus efferenda esse; Cadavera vero Canonicorum a Præbendariis ferri jubet, quia

verbum de Præbendariis defunctis faciat. Cum igitur quod voluit, expresserit, quod non expressit, noluisse censetur, *Leg. unic. §. Sin autem ad deficientis Cod. de Caduc. Tollen.*; dicendum proinde videtur, Synodum noluisse præscribere, Præbendarii cadaver a Collegis ferri, sed juxta communem dispositionem a quibuscumque ejusdem ordinis Clericis. Lex enim pænalis, cum odiosa censeatur, neque præsumptionibus, neque rationum congruentia, aut paritate de casu ad casum extenditur, sed in quovis dubio stricte ad expressum casum coercetur *Reiffenstuel lib. 1. tit. 2. §. 17. n. 527.*

Fructibus autem Beneficii Episcopus privare Beneficiatum nequit, *nisi in casibus a jure expressis*, uti cum cæteris monet *Garzias de Beneficiis Part. 3. Cap. 2. num. 490.*, quando vero, et quomodo privandus sit, statuit Tridentina Synodus *Sess. 21. cap. 6.*, *Sess. 23. cap. 1.*, *Sess. 25. cap. 3. et 11, de Reformat.* Nullibi autem legitur, hanc pænam infligendam esse Beneficiato, si Sacerdotem ad Sepulturam non deferat; hinc etsi dici velit, in Synodo Cardinalis Sega comprehendi Præbendarii funus, non jure tamen mulctati amissione distributionum renuentes censeri poterunt: Quod clarius apparet, si Beneficii fructuum indolem perscrutemur: conceduntur enim iidem fructus servitii Choralis causa, ideoque ab his amittuntur, qui Choro non intersunt, et distributiones iis accrescunt, qui personaliter serviunt. Cadaveris delatio est charitatis officium, non Chori servitium; hanc igitur ob causam pænæ a jure exorbitanti locum non esse, concludi poterit.

Quod si placeat in citata Synodo hujusmodi pænam decerni potuisse, mutatis nunc rerum circumstantiis, Synodalis sanctio exequutioni mandari amplius non posse videtur. Ibi enim præscribitur, defunctum vestitu Clericali Ordini suo convenienti indutum, ideoque detectum, et absque arca lignea, ad sepulturam efferri, quod apertius in recentiori Synodo statuit Episcopus Zandemaria præscribendo, *ne in posterum Fidelium cadavera capsa, seu quavis alia re inclusa, vel cooperta ad sepulturam deferantur, nisi id per Nostram, vel Vicarii Nostri specialem concessionem liceat, quam tamen perraro, difficillime, et gravate dabimus*. Nunc vero ob legem a laicali potestate latam, nullum Cadaver deferri licet, nisi arca inclusum; quod sane feretro magnum addit pondus. Igitur sanctio Synodi

Sega

Sega ob temporum mutationes abrogata videtur; propter mutationem enim status, et supervenientem causam receditur a quacumque dispositione Statuti, vel privilegii, *Leg. Ex facto ff. De Vulgar. et Pu. ill.*, *Dec. cons.* 335 *et seq*, *Pignat. tom.* 1. *cons.* 142. *num.* 7.

At Capitulum consuetudini præsertim innititur, quam ante, et post indicatam laicalem legem, perpetuo servatam fuisse asserit. Verum ex foliis mihi exhibitis non satis eruitur, Decretum Synodi Sega constanter fuisse observatum. Continent siquidem particulas decem, et novem ab *anno* 1663. usque ad *annum* 1814., ex quibus non apparet, Cadaver Defuncti tum Præbendarii, tum Canonici ad sepulchrum fuisse a Præbendariis delatum: habetur imo ex particula quadam *anni* 1798. (longe ante quam laicalis lex superius memorata prodierit, quæ ad *annum* 1819. pertinet), Præbendarios solemnem protestationem emisisse, *di non voler portar la Bara*, *e che nel termine di un biennio faranno decidere, se siano obligati*, o nò; cui tamen obsistere contraria protestatione Capitulum non prætermisit. Capitularibus e Codicibus transcriptæ fuerunt indicatæ particulæ a Canonico Scriniario una cum aliis, quæ a Capitulo in suo Summario exhibentur. Ad enervandam quoque consuetudinem tam ab Episcopo, quam a Capitulo assertam, complures Testes induxit Tinellius, quorum tres Sacerdotali charactere insigniti sunt, quique una voce affirmant, usu receptum esse, si Defunctus *è Beneficiato nella Basilica di S. Antonino, vengono pagati i quattro Sacerdoti, che portano, dalla Massa Capitolare; se in altre Collegiate prendono quattro Sacerdoti, e sono pagati dal Corpo con quelle distrini, che ha lucrato il Beneficiato defonto*. Postremo vero in pervigilio impressionis folii exhibita fuit pro Tinellio fides ab unico teste firmata, qui de facto proprio juramenti interposita religione testatur, ab anno 1804. ad an. 1814. decem saltem Canonicos, et duodecim Præbendarios Cathedralis ad sepulchrum allatos fuisse a Presbyteris, qui non erant de gremio Capituli, et quibus vel hæredes defuncti, vel alii mercedem solverunt.

Prætereundum non est, Capituli Defensionem quatuor constare partibus. Prima de Canonicorum, secunda de Clericorum funere disserit, de quibus nihil dicendum censeo, cum ad hodiernam quæstionem nequaquam pertineant: hæc enim a petitione Sacerdotis Tinellii originem habuit, in qua de distributionum amissio-

sione queritur ob recusatam delationem Cadaveris Præbendarii. Tertium Defensionis caput tractat de facultate, quam habet Episcopus infligendi pœnam. Quartum agit de justitia pœnæ, qua mulctatus fuit Tinellius: horum alterum immemorabili præsertim consuetudine, et observantia nititur, alterum vero uti corollarium observantiæ proponitur, et confirmatur. Cætera, quæ Capitulo favent, habent EE. PP. in distributa ejusdem Allegatione.

Sapientia, qua pollent, EE. VV. dignentur dirimere

Dubia

I. *An sit confirmandum, vel infirmandum Decretum Episcopi in casu etc.*

Et quatenus negative ad primam partem, et affirmative ad secundam.

II. *An, et quomodo sit restituenda mulcta in casu etc.*

Ad I. Decretum Episcopi esse exequendum in casu, et ad mentem.

Ad II. Præbendarius Tinelli supplicet Episcopum.

Sess. 25. Cap. 4. De Reformat.

BONONIEN. ABSOLUTIONIS, ET REDUCTIONIS. In Comitiis diei 27. *Aprilis superioris anni* proposita fuit petitio Parochorum Administratorum Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis, alteriusque Ecclesiæ subsidiariæ sub titulo S. Nicolai *degli Albari* quoad reductionem legatorum, et quoad absolutionem, et condonationem pro præteritis omissionibus. Duo itaque fuerunt dubia I. *An et quomodo sit concedenda reductio in casu etc.* II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritas omissiones in casu etc.*, quibus responsum fuit *ad I., et II. Affirmative juxta votum Emi Relatoris*, nempe Emi, ac Rmi D. Cardinalis Guerrieri, prout videre est in Folio, quod reassumere precor. Cum Oratorum votis primi dubii resolutio non arriserit, novas ipsi obtulerunt preces, quæ post requisitam ab Emo, ac Rmo D. Card. Archiepiscopo novam

vam informationem, eidem Emo Guerrieri remissæ fuerunt, ut iterum rem perpendere, et votum suum aperire dignaretur: id autem quam accurate, docteque præstiterit, cognoscent EE. VV. ex elucubratissimo ejus voto, quod sic se habet.

Sive ad convellendam, sive ad temperandam resolutionem ab hoc Sacro Consessu editam in Congregatione diei 27. Aprilis superioris anni, qua repulsæ fuerunt preces SSmo porrectæ a Parochis Administratoribus Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis, alteriusque subsidiariæ sub titulo S. Nicolai degli Albari a R. P. D. Auditore SSmi huic Sacro Consessui ablegatæ, Administratores iidem novas obtulerunt preces. Nova petitio excepta venit prudentissimo cum Rescripto = Emo Archiepiscopo pro informatione, et voto super novis precibus, auditis præsertim Administratoribus Parochis, et transmisso Statu activo, et passivo in forma probante referat, utrum sint expensæ reformandæ, et certioret de resultantibus ex Resolutione S. Congregationis diei 27. Aprilis proxime præteriti =

Novam postremis hisce super precibus Emus Cardinalis, Archiepiscopus meritissimus Bononiensis, informationem Sacræ Congregationi transmisit, qua simplici oratione se referens ad informationem suam primis super precibus datam, nil aliud illi ratus est addi posse, præterquam = di riconoscere non potersi restringere le spese relative, trattandosi di un'azienda, che riguarda la Chiesa principale di Bologna = *Novum sua in informatione speculum inseruit a Parochis Administratoribus exaratum, quorum labor fuit, duo in contexto speculo enucleare; alterum nempe, ex reditibus Ecclesiæ scutata tantum quadraginta octo, et obolos* 55. *ab onere quocumque exemptos evadere, cum cæteri reditus onerum satisfactioni adscripti, addictique extent. Alterum vero singillatim recensere expensas, quas necessarias asserunt pro cultu Altaris SSmo Sacramento dicati in Ecclesia Metropolitana, alteriusque subsidiariæ S. Nicolai vulgari cognomento nuncupatæ* degli Albari, *quarum primas in scutis centum decem annuis constituunt, postremas summam quotannis octo supra sexaginta conflare asserunt, indeque in ima speculi eorum cera concludunt, approbandam*

esse

esse normam jam ab ipsis pro reductione Legatorum propositam, secus Legatorum satisfactioni impares semper fore profitentur.

Cum placuerit EE. VV. meam iterum novis super precibus exquirere animi sententiam, mandato lubentissime obtemperans, eam libere aperiam perspectæ EE. VV. prudentiæ, maturiorique judicio subjiciens.

Assueta Vestra cum sedulitate perpendendum erit, num impleta valeat dici lex dicta in supradlato Rescripto diei 27. Julii, qua inculcatum legitur, ut transmitteretur Status activus, et passivus in forma probante = *Requisitus Status exitus, introitusque omnino desideratur, in supra indigitata enim informatione, quam Parochi Administratores Archiepiscopo dederunt, nil aliud, ut supra commonui, adnotatum conspicitur; quam reditus, qui expertes sint ab onere Legatorum, atque sumptus assertos necessarios pro cultu Altaris SSmi Sacramenti in Ecclesia principe Bononiæ, Ecclesiæque Subsidiariæ S. Nicolai. Nam in reliquis sese referunt Administratores ad folia concinnata, Calculosque a Ratiocinatore cusos, jam anterioribus precibus adjectos. Istiusmodi calculorum autem veritatem emergere contendunt ex ratiocinatorio Codice, quem pervolvendum exhibent, cuilibet daretur mandatum conferendi cum eo calculos a Ratiocinatore jam antea fabrefactos.*

Præterire neque arbitror, quod, quamquam Administratores novo in prospectu expensarum relato postrema eorum in informatione Archiepiscopo exhibita firmiter contendant, nullam fieri posse imminutionem quoad sumptus in annuis summis supra indigitatis pro Altari SSmi Sacramenti in Ecclesia Metropolitana, et pro subsidiario Templo S. Nicolai; decurtari attamen nonnullæ partitæ mihi posse videntur. Alias inter, una ea est, quæ in annuis scutis quinque adnotatur pro = palma agli Ufficiali per la benedizione dell' Olivo = *Attenuari queit etiam altera annuis in scutis 28. pro oleo unius lampadis, quæ etsi die, nocteque fulgeat, nescio quomodo indigitatam ad summam attingere valeat. Sic alia scutorum sexdecim pro sacris particulis. Sic demum cohiberi posse videtur partita ceræ, quæ in annuis designatur scutis quadraginta quatuor*

obo-

obolisque 75. Nonnullas alias omitto perscrutari partitas, quæ imminui æque valerent, adnotatæ pro subsidiaria Ecclesia S. Nicolai degli Albari; *quemadmodum præterea temperandam illam quoque fore scutorum viginti quatuor in Ratiocinatoris commodum, recensitam, quæ pro exilis administrationis calculatione exercenda immodica dijudicari potest.*

Hæc innuisse juverit, ut deprehendatur, vel forte non esse petitæ piorum legatorum reductioni locum, vel haud opus fore eo in modo quem Administratores proponunt, si sumptus cohibeantur, atque attenuentur expensæ reditibus exilibus impares. Perpensis autem, cribratisque iis omnibus, quæ novis cum precibus Administratores adtulerunt, a sententia præcedenti meo in Voto pandita dimoveri nequeo. Efflagitant denuo Administratores, ut Missarum numerus diminuatur, subsidia dotalia decurtentur, tenuesque eleemosynæ pauperibus statutis quibusdam in diebus elargiendæ corradantur. Quando autem ex decurtatione proposita expensarum cuncta opera pia a Testatoribus præscripta integræ tamen exequutioni committi nequeant, vel si decurtatio hæccine expleri nullimode revera valeat, pandidi jam animi mei sententiam: reducenda esse quoque prudenti Emi Archiepiscopi arbitrio opera pia eleemosynarum, et subsidiorum dotalium, immunia autem a reductione Missarum Sacrificia esse debere. Hanc animi sententiam, re iterum sedulo perpensa, confirmo. Atque dum ita reor, Sacræ hujus Congregationis theoremata, regulasque ad postulationes hujusmodi absolvendas sapientissime constitutas, traditasque sector, ac colo.

Cum enim necessitas reapse urgeat reductionis piorum legatorum, atque hæc inter onus adsit Missarum, alia veniunt prius reducenda legata (licet hæc in pietatis, charitatisque opera explenda collata, ac præscripta) quam Sacrificiorum in animarum purgantium expiationem celebrandorum numerus. Praxis hæc est spectatissimo ab hoc Ordine perpetuo servata, quam illustrat Fagnanus in capite ex parte de constit. num. 34. collaudavitque etiam Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. cap. ultim. num. 23. Testatoribus fidem servare debitum est justitiæ, charitatis præcepto

præferendum ; quapropter in concursu aliorum piorum legatorum præferenda est celebratio Missarum , cum Sacrificia prosint defunctis per modum suffragii , et solutionis debiti , juxta doctrinam Angelici Doctoris in 4. distinct. 43. quæst. 2. artic. 4. ad primum.

Mei hæc est animi sententia, quam maturitati , sapientiæque EE. VV. submitto.

Reassumpto itaque folio *diei 27. Aprilis* 1822. vestræ sapientiæ erit EE. PP. respondere

Dubio

An, et quomodo sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu etc.

In decisis juxta vota Emi Relatoris , facta reductione expensarum , et legatorum præter Missas , nisi voluntas fundatorum alia pia opera prædilexerit.

Sess. 7. de Bapt. Cap. 4.

FESULANA BAPTISMI. Mulier Plebis *Panzano* , Fesulanæ Diæcesis , adeo gravi laborabat morbo , ut in vitæ discrimine versaretur , cum puerperii signa apparuerunt. , Chirurgus spirituali saluti infantis consulere cupiens, ac reseratum cernens materni uteri ostium , quamvis corpusculum nulla sua parte in lucem venisset, infantem per siphunculum aqua tinxit baptismi forma proferens. Periculum dein evasit puer , ac e sinu matris prodiit : cumque de Baptismi validitate nemo tunc dubitaverit, sacræ cæremoniæ , juxta Rituale Romanum suppletæ fuerunt. Parochus tamen infantis quæstionem postea de hujusmodi Baptismo instituit, et denuo puerum suis euntem pedibus ad sacrum fontem adduci , ac baptizari curavit : verum de hoc quoque lavacro gravis dubitatio proponitur. Affirmant enim duo Testes fide digni , Presbyterum baptizantem fudisse aquam super pueri caput , postquam formæ verba perfecte protulerat , et quamvis addant , quod *un giuramento non sarebbero pronti a farlo* : nihilominus de facti veritate dubi-

bitari non posse videtur; præsertim quia Presbyter ille in publicis quoque, gravissimisque exercitiis mentis evagatione, et negligentia habitualiter laborat, prout millies observatum fuisse testatur Parochus.

Novimus autem ex teste ab Episcopo interrogato, Presbyterum baptizantem, dum formam pronunciavit, cotyiam in dextera habuisse, et = *se non la teneva sospesa sul capo del bambino, parmi che la tenesse vicina ad esso* =; itemque *parmi che appena proferita la forma versasse immediatamente l' acqua sul capo del bambino.* Noluit idem Episcopus rem per se definire, sed juxta perpetuam Ecclesiæ consuetudinem ab *Innocentio III. in Cap. Majores de Baptismo* confirmatam, causas majores, ac difficiliores quæstiones ad Apostolicam sedem deferendi, Vestram EE. PP. sententiam requirit, ut quid in casu agendum sit decernatis.

Pauca de Baptismo dicam a Chirurgo collato. Validum hujusmodi Baptisma affirmant *Victoria. in sum. de Sacram. quæst. 23.*, *Suarez in 3. part. disput. 2. quæst. 68. Sect. 6. art. 11. in comment.*, *Gregorius de Valentia tom. 4. disp. 4. quæst. 1. punc. 22. §. Tertio sequitur*, *Gabriel Gualdo in opusculo de hac re accurate conscripto Patavii impresso ann.* 1710., aliique plures, quorum sententiam *Theophilus Raynardus*, quamvis contrariam sequatur, communissimam dicit. Contrariam vero opinionem tenent idem *Raynardus Opusc. de ortu infantium per sectionem cæsaream cap. 6. num. 14. Oper. tom. 14. Cardinalis de Laurea in 4. sent. tom. 1. de Baptism. disput. 14 art. 4.*, *Natalis Alexander Theolog. Dogmatic. et Moral. tom. 2. lib. 2. cap. 7. prop. 2. in fine*, *Juvenin De Sacram. Dissert. 2. quæst. 7. cap. 1. art. 2. in fine*, *Gibert Cons. Canon. tom. 2. cons. 22. de Baptismo per tot. Jo. Laurentius Berti in sua Theologia tom. 6. lib. 31. cap. 18.* aliique. In hac sententiarum varietate, quum nihil adhuc statutum ab Apostolica Sede fuerit, infantes iterum sub conditione baptizandos esse monent plures Doctores, ac presertim *Tournely in suis prælectionib. De Sacramen. Baptismi quæst. 3. art. 3.*; cujus monitum approbari videtur a *Benedicto XIV. de Synodo Diœcesana lib. VII. cap. V. §. VI.*

Eadem opinionum discrepantia inter Doctores est, quoad secundum Baptisma. Ejus validitatem tuentur *Suar. loc. cit.*, *Lug. Respons. Mor. lib. 1. Dub. 33.*, *Holzm. tom. 2. par. 3. n. 9. Layman. lib. 5. trat. 2. cap. 7. n. 5.*, *Diana par. 3. tr. 4. n. 6.*, *Antoine de Sacram. cap. 1. quæst. 3.*, *Sam. de. Baptis. cap. 3. n. 41.* cum aliis, qui in Sacramentis simultaneitatem moralem requirunt, ita ut satis esse dicant, si forma immediate post materiæ applicationem incipiatur. Idque certius de Baptismo tenendum asserunt, quia statim ac ablutio non fit eo momento, quo verbum *Baptizo* a Baptizante profertur, eadem tantummodo per unionem moralem verificatur: hæc autem unio moralis habetur, sive ablutio eveniat immediate antequam forma pronuntietur, sive fiat immediate post formam absolutam, Parva tamen distantia intercedat oportet inter formæ prolationem, et applicationem materiæ, seu ablutionem: et major unio requiritur in baptismo, ubi mora unius *Pater noster* invalidat Sacramentum ad tradita per *Tournely*, *et Diana loc. cit.* idemque docet B. Alphunsus de Liguor. *Theol. mor. lib. 6. tract. 1. cap. 1. Dub. 2. n. 10.* proposito casui respondens, quod *In Baptismo . . . . requiritur talis conjunctio, ut dum minister verba pronuntiat moraliter censeatur lavare etc.*

Verum non desunt Theologi, etiam magni nominis, qui contrariam sententiam protuentur, et affirmant ad Baptismi validitatem requiri physicam simultaneitatem lotionis cum formæ prolatione; ita ut saltem verba inchoentur, priusquam ablutio perficiatur, vel e converso *Cajetan. Opusc. tom. 1. tr. 16.*, *Scotus ap. Suarez in 3. part. D. 2. lect. 2. v. Hinc.*, *Cuniliat. De Baptis. n. V.*, *Reiffent De Sacram. in gen. quæst. 2. concl. 3.*, *Viva de Sacram. Quæst. 1. art. 3. n. 3. aliique.* Etenim juxta D. Augustini doctrinam accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum; si vero forma præcedat, aut materiæ applicationem sequatur, deesse accessionem verbi ad elementum, ideoque non fieri Sacramentum videtur, aut saltem valde dubium erit, num perficiatur. Tutiorem vero sententiam servandam esse in praxi, quum de Sacramentorum validitate agitur, docet idem D. Augustinus

nus *Lib. 1 de Baptism. contra Donatistas cap. 3.*, et constat ex *Propos. 1. inter damnatas ab Innoc. XI.*

Cum itaque controversia nunquam a S. Sede definita proponatur de Baptismi Sacramento, quod est apprime necessarium ad salutem obtinendam, quoniam Redemptor ipse docuit, quod *nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei Ioan. cap. 3 v. 5.*, videant EE PP., utrum denuo baptizandus sit puer sub conditione. Compertum enim est, Baptisma sub conditione concedi non posse, nisi *prudenter*, *et re diligenter pervestigata, probabilis subsit dubitatio*. *Rituale Rom. de Sacram. Baptis. num. 9.* Baptisma vero iterantes irregulares evadunt *cap. Ex litterar. de Apostatis, et iterantibus Baptisma*; quam irregularitatem contrahunt, etiam qui baptismum sub conditione conferunt, nisi probabile dubium adsit de validitate baptismi, juxta plurium Doctorum sententiam, quam amplexus est *Benedictus XIV. Notif. 84.*, auctoritati innixus Cathechismi Romani *part. 2. de Sacram. Bapt. n. 57.* Dubium in casu adesse omnino negant, qui Sacramenti validitatem tuentur: illud autem extare asserunt, qui contrariam opinionem sequuntur. Animadvertere tamen præstat, non requiri evidentem nullitatem Baptismi, aut dubium ferme ad certitudinem accedens, ut sub conditione Baptisma renovetur: sed sufficere, ut licite administretur, *probabilem* dubitationem, postquam res serio, prudenter, diligenterque discussa fuerit.

Denique silentio prætereunda non videtur habitualis negligentia, et mentis evagatio Sacerdotis baptizantis. In re enim tam gravi, tam necessaria, Minister omni diligentia curare debet, ut ritus præsertim essentialis exacte impleatur, uti præscribit Rituale Roman. *tit. 1. num. 11.*

His ce perpensis, vestrum erit EE. PP. dirimere

Dubium

An sit sub conditione renovandus Baptismus in casu etc.

Dilata, et scribatur Episcopo pro examine faciendo Sacerdotis baptizantis, Patrini, et aliorum, si qui Baptismo adstiterunt.

FORO-

Sess. 7. de Baptis. Cap. 4.

FOROSEMPRONIEN. BAPTISMI. Rectori Ecclesiæ S. Mariæ Vallis, Forosempronien. Diæceseos, delatus fuit infans per mulierem rusticam domi baptizatus, sed jam vita functus, ut Ecclesiasticæ sepulturæ traderetur. Examinata per Rectorem Muliere Baptismatis administra cognovit hanc fuisse formam adhibitam italo idiomate = *Io ti battezzo col nome del Padre, del Figliuolo, e dello Spirito Santo* = Audita forma, Rector ob ea verba *col nome* non modo pro nullitate Baptismi sensum suum exposuit, sed illico infantile corpus extra locum sacrum humari jussit: nunc autem ab EE. VV. petit, num bene senserit, ac recte se gesserit?

Episcopus fuit rogatus, ut auditis sub formali examine Parocho, Obstetrice, Parentibus Infantis, aliisque testibus de re instructis, referret præcise de forma adhibita in collatione Baptismatis, et an mulier baptizans recte sentiat de Catholica religione; utque votum suum panderet; ipse autem mox narratam facti seriem confirmavit, ac addidit = *Mulier vero baptizans relate ad fidem optime sentit, quin imo in simplicitate cordis credit, et moribus optimis prædita est. Non incumbit autem in obstetriciam artem, quamvis suppleat defectum aliquando alterius fæminæ, quæ ex professo artem illam profitetur. Quare dici nequit, mulierem præfata formula usam fuisse ad inducendum errorem; sed potius locutam esse tali modo solum ex ignorantia, ac rusticitate innocenti.*

Ut vero EE. VV. RR. dictis paream meam sententiam exposcentium, censeo, Baptisma hoc validum esse. In ipso enim exprimitur actus oblationis per verba = Io ti battezzo = *exprimitur unitas Divina per verbum* = nome = *exprimitur Trinitas personarum per verba* = Del Padre, del Figliolo, e dello Spirito Santo = *quæ omnia aperte patere debent in collatione Baptismi. Neque obstat, particulam* = col = *substitutam fuisse particulæ* = nel = *quia hæc variatio est mere accidentalis, nec in substantiam redundat; quinimo sæpissime in latino idiomate, et in sacro etiam eloquio propositiones in, et cum pro invicem indiscriminatim accipiuntur. Cumque hæc particula ad inducendum er-*

errorem in Ecclesia non sit variata, validum baptisma reputandum videtur.

Communi Doctorum sententia receptum est, mutationem idiomatis in forma Baptismi esse tantum accidentalem, neque ejusdem Baptismi nullitatem secumferre: admonet imo cum aliis la Croix *melius esse, ut mulieres, cæterique rudes, si baptizent, utantur lingua materna, cum nesciant perfecte proferre latinam* = *Lib. 6. part. 1. de Baptism. dub. 2. n. 268.* Cum autem ex Episcopi relatione compertum sit, mulierem Sacramenti ministram, cum dixit *Io ti battezzo col nome*, particulæ mutationem nequaquam fecisse pravo animo, aut inducendi causa errorem aliquem in Ecclesia: credamus oportet, eam formam a præfata muliere adhibitam fuisse ex errore, uti Theologi ajunt, materiali; nempe quia putaverit particulas *in*, et *cum* una eademque significatione pollere.

Verum particulam *in* esse de essentia in collatione Baptismatis, complures Doctores affirmant, inter quos *Scotus in 4. distinct 3. 2.*, *Toletus lib. 2 cap 19.*, *Reginaldus lib. 23. cap. 1. num. 30.* et alii plures; quia particula *in* cum verbo *nomine* significat invocationem Sanctissimæ Trinitatis, ut *Tournel. in Prael. tom. 7. pag. 54.*; alia vero *cum* est copulativa, et ministerii societatem significat. Unde sequitur, formam in casu adhibitam invalidam censeri debere; namque variatio formæ substantialis, quæ irritat Sacramentum, habetur, quando verba vocalia sic mutantur, ut non maneat sensus a Christo Domino institutus, ac determinatus tamquam necessarius. Parum vero prodesse videtur bona mulieris fides; in Sacramentorum enim administratione forma necessaria requiritur, nec valide conferuntur, si forma etiam bona fide mutetur.

Responsionem tamen in *Can. 86. dist. 4. de Consecr.* habemus Pontificis Zaccariæ ad Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, qua validum dicitur Baptisma sub hac forma collatum: *Ego te baptizo in nomine Patria, et Filia, et Spiritua Sancta*: et Pontifex assignans validitatis causam dicit = *si ille, qui baptizavit, non errorem introducens, aut hæresim, sed*

pro

pro sola ignorantia Romanæ locutionis infringendo linguam, ut supra baptizans dixisset, non possumus consentire, ut denuo baptizetur.

Si serio formam illam consideremus, in verbo *Patria* videtur adesse substantialis mutatio, quia pro *Patre* nunquam accipitur *Patria*, cum hac voce designetur Regio, Civitas, Pagum, in quo quis ortum duxit. Verum ea mutatione non obstante, validum Baptismum declaravit Pontifex. Præterea non mutatam substantialiter formam censuit, ideoque validum fuisse Baptismum hisce verbis collatum = *Mi te abbatezzo in nome del Padre, e del Figliuolo dello Spirito Santo* = respondit hæc Sac. Congregatio *in Ceneten. 12. Maji* 1753. Idem igitur dicendum videtur de Baptismo, in quo conferendo particula *con* pro *in* ab Obstetrice per ignorantiam fuit usurpata, neque forma in substantialibus mutata.

Responsum addo, quod S. Congregatio Universalis Inquisitionis *feria IV. die 23. Maji* 1720. in simillimo casu hisce verbis edidit, *Lecto Memoriali N. N. quo proponit dubium = an recte sint baptizati duo Pueri sub hac forma* = Io ti battezzo col nome del Padre del Figliolo, e dello Spirito Santo = *et an sit reiterandum Baptisma sub conditione, Emi Domini decreverunt, Pueros, de quibus agitur, fuisse valide baptizatos, ideoque non esse rebaptizandos, neque sub conditione.*

A validitate, vel invaliditate collationis Baptismi pendet omnino resolutio super re bene, vel male gesta a Rectore, qui sepulturam Ecclesiasticam infanti denegavit.

Quamvis autem validum declaretur Baptisma, ne tamen dubium in posterum oriatur, præcipue vero ne nova forma inducatur, videant EE. PP. an aliquo modo providendum sit in futurum. S. Carolus Borromeus in altero ex suis Mediolanensibus Synodis præscripsit, ut obstetrix probata *cum baptizabit curet quoad fieri potest, ut duæ saltem mulieres, ac mater præsertim, si potest, testes præsentes adsint, quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant.* Exemplum secutus Benedictus XIV., dum Bononiensem regebat Ecclesiam statuit, quod nulla mulier obstetriciam

ciam artem exercere valeret, nisi prius super idoneitate administrandi Sacramentum Baptismatis examinata, et probata fuerit, prout videre est in VIII. ejus *Notificatione*: hæc autem S. Congregatio in citata *Ceneten* 12. *Maji* 1753. Episcopo mandavit, *ut suæ Diœcesis Obstetrices de recte proferenda Baptismi forma in casu necessitatis, prævio examine, curet edoceri, eisque hujusmodi exercitium inhibeat nisi circa eamdem formam optime instructæ, ac approbatæ fuerint, ut in Regest. Litter. anni* 1753. Animadvertendum vero mulierem, quæ in casu baptizavit, non esse obstetricem, quamvis aliquando ejus vices gerat. Dignentur itaque EE. VV. respondere, quæ proponuntur

Dubiis

I. *An valida sit Baptismi collatio in casu etc.*
II. *An recte se gesserit Rector denegando infanti Ecclesiasticam sepulturam in casu etc.*
III. *An, et quomodo sit providendum quoad futurum in casu etc.*

Ad I. Affirmative.
Ad II. Non esse reprehendendum in casu, et nunc ab eo curandum, ut si fieri potest, detur infanti ecclesiastica sepultura.
Ad III. Detur decretum, ut in Ceneten. 12 Maji 1753.

Sess. 24. de Reform. Cap. 6. et Sess. 22. decret. de observ. et vitan. in Celebr. Missæ.

FIRMANA IRREGULARITATIS. Dum licitæ venationi vacabat *die* 25. *Octobris* 1820. Sacerdos Franciscus Giustozzi Montis Falconii, ætatem agens *annorum* 47. improvisa igneæ balistæ diruptione lævam manum integram amisit: idcirco dispensationem ab irregularitate flagitat. Requisitus de more Emus Archiepiscopus, respondit: *Peracto coram Cæremoniarum Magistro Ecclesiæ meæ Metropolitanæ experimento ab EE. VV. indicto, ea fuit ejusdem sententia, ut Sacerdos Franciscus Giustozzi idoneus utique haberi possit Sacro perficiendo, mutilatione manus levæ non obstante, si modo usus ipsi permittatur manus fictitiæ*

ad vitandam deformitatem, et obligatio insuper præscribatur adhibendi in Sacra actione alium Præsbyterum, cujus ope ea singula rite exequi possit, quæ ministerio utriusque manus *indigent, ut v. g. abstersio patenæ super Calicem fragmentis collectis.* Asserit insuper idem Archiepiscopus agi de *mutilatione inculpabiliter, et fortuito ab ipso contracta*, denique addit *Sacerdoti præfato in deteriori fortunæ statu constituto onus revera incumbere sustentationis sex pupillorum ex fratre nepotum, eumdemque præterea in maxima rerum angustia versari. Cæterum si visum fuerit EE. VV. Oratoris precibus indulgere, id profuturum minime verear fateri, cum de loco agatur prope juga montium posito, cujus ager præruptus nonnullas habet Ecclesias suis officiaturis ad populi commoditatem provisas, queis ob inopiam Præsbyterorum satisfieri nonnisi difficulter potest.*

Irregularitatem procul dubio contraxit Sacerdos vitio corporis laborans, ita ut nequeat Sacrum perficere absque populi scandalo, vel saltem admiratione. Textus est in *Can. Illiteratos Distin.* 16., *et in Cap. Presby.* 1. *de Clericis ægrotant. et toto tit. Decretal. De corpor. vitiat. ordin. vel non.* Hinc S. Congregatio irregularem dixit Sacerdotem, cui digitus pollex manus dexteræ abscissus fuerat in *Novomien.* 11. *Septembris* 1726., ac pariter alium pollice in sinistra manu carentem in *Cadurcen.* 14. *Januarii* 1663. *Lib. Decret.* 28. *pag.* 3. *in Placentina diei* 1. *Februari* 1766. inter supplices Libellos relata, in *Cosentina diei* 13. *Iunii* 1725.

Dispensatio tamen quoad corporis defectus non raro concedi solet; prout S. Congregatio concedendam esse respondit Sacerdoti Cajetano Fulvo Collegiatæ Ecclesiæ Cacurri Canonico, qui universos digitos sinistræ manus ex bellici instrumenti disruptione amisit, ut habetur in *Geruntina* 24. *Maji* 1788. in qua responsum fuit = *Affirmative, dummodo celebret hora a populo minus frequentata* = Regulam imo statuit, ac semper eadem S. Congregatio secuta est, ut facilius Sacerdoti jam promoto, difficilius Clerico promovendo concedatur dispensatio super defectu corporis, ut plenissime habetur in *Comen. Irregularitatis* 6. *Maji* 1775., *et Dispensat.* 11. *Julii* 1776.

Pe-

Petitæ a Sacerdote Giustozzi dispensationi viam sternere possunt optimi illius mores, extrema ejusdem paupertas, ac summa eo in loco Sacerdotum penuria; quæ omnia exploratissima sunt tum ex Archiepiscopi informatione superius relata, tum ex testimonio Parochorum Montisfalconii, qui jurisjurandi religione interposita affirmant, Oratorem esse = *di buona condotta sì politica, che morale, ed è Tutore di sei suoi Nipoti miserabilissimi, che ritraevano il loro sostentamento dalla elemosina di Messe, che veniva percetta dal proprio Zio. Attestiamo inoltre, che questa Popolazione soffre il massimo incomodo per la mancanza di un Sacerdote, non potendosi celebrare una Messa parata nelle maggiori solennità per deficienza dei Ministri, e restando scoperta l'officiatura di due Cappellanie, una della Madonna Santissima così detta delle Scalette, e l'altra della Scentella.*

Profecto necessitas, et utilitas Ecclesiæ plurimum semper apud Sac. Congregationem valuerunt, ut dispensationem quoad corporis defectus indulgeret etiam Clericis promovendis, ut in *Cameracen. 20. Januarii* 1821, in qua actum est de Clerico Jo: Baptista Josepho Bouchez, qui anteriori parte pollicis manus lævæ orbatus fuerat. Si autem Oratoris precibus annuendum EE. VV. censeant, quoad modum concessionis statuendum erit, an ipse publice in Ecclesia celebrare possit, vel potius in privato Oratorio Sacrum peragere debeat. Proponitur idcirco

Dubium

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione ab irregularitate in casu etc.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 24. cap. 15. de Reform.

LEODIEN. REDUCTIONIS, TRANSLATIONIS, ET ABSOLUTIONIS MISSARUM. Ecclesia Succursalis S. Nicolai in Civitate Mosæ Trajectensis, Diœcesis Leodien in Belgarum Regno, compluribus olim ditata erat piis fundationibus Anniversariorum, et Missarum, onere adjuncto alimenta, vestes, et pecunias pauperibus quotannis distribuendi: eas omnes recensent antiquæ tabulæ ad *annum* 1514. spectantes, quæ *summas* quoque *fundationibus assignatas* exprimunt. Recentior tamen extat Codex, fortasse *anno* 1774. exaratus, qui Anniversaria exhibet, ac Missas eo numero, et eo modo, quibus tunc celebrabantur, et hodie adhuc celebrantur; nec intermedios reperire est libros unde colligi possit, quibus de causis omissiones, et diminutiones Missarum, ac Anniversariorum locum habuerint; nulli vero amplius vivunt seu Presbyteri, seu Administratores, qui rem explicare valeant.

Omnibus nunc Bonis, et reditibus diversarum fundationum invicem permixtis discerni, ac statui minime potest, quænam Bona ab una, vel quænam ab alia proveniant fundatione, nec quænam numero Missæ, et Anniversaria quotannis sint celebranda. Missæ autem certo vel probabiliter quotannis, necnon Anniversaria neglecta sunt.

1.° Una Missa cantata pro Anniversario, et 27. Missæ privatæ.

2.° Viginti duo Anniversaria cantata, et 185. Missæ privatæ, licet de istis fundatio reperiatur.

3.° Quatuor Missæ hebdomadariæ, et una menstrualis, idest simul 220. Missæ, et ignoratur, an a quo celebrentur.

4.° Ex una fundatione unius Missæ singulis diebus Dominicis, et festivis ad decem asses omissæ sunt usque ad 1. Januarii 1822. Missæ 1356., et ex altera quotidiana ad duodecim asses usque ad dictam diem, et annum neglectæ sunt Missæ 1183., cum reperiri nequeat, qui pro tali stipendio eas celebrare velit.

Cantantur autem duo Anniversaria, et singulis annis celebrantur Missæ privatæ decem, quorum, et quarum

nulla

nulla reperitur fundatio, ità etiam Parochus ex consuetudine celebrat annuas 100. Missas, quarum cum ignoretur fundatio, supponitur eas ex reductione antiquitus facta provenire.

Parochus itaque, et Administratores fabricæ dictæ Ecclesiæ Succursalis S. Nicolai humillime petunt absolutionem quoad Missas, et Anniversaria huc usque certo vel probabiliter neglecta, nec non reductionem quoad onera in posterum adimplenda; nempe ut eadem Ecclesia liberetur ab onere Missarum, et Anniversariorum, quorum Bona non amplius extant, et Missæ reducantur ad numerum respondentem actuali Diœcesanæ eleemosynarum taxationi, et ut dictæ Missæ in alia quavis Ecclesia, vel Oratorio celebrari possint. Præterea cum juxta fundationes aliquot Missæ in dicta Ecclesia diebus Dominicis, et festivis celebrandæ sint hora dilata, nec Sacerdos reperiatur, qui tali hora celebrare velit pro stipendio 15. assium, facultatem implorant illas reducendi juxta redituum vires assignando eleemosynam, qua inveniri possit, qui eas celebret.

Requisitus, ut moris est, Ordinarius, qui *transmissis particulis singularum fundationum, perquisitis Ecclesiæ, et Cancellariæ libris, et SS. Visitationum Decretis, referret de annuo reditu, et oneribus singulorum Legatorum ad Monetam Romanam; de Missis hactenus non adimpletis, alimentisque non distributis, et quæ sit in specie diminutio redituum, et cujus culpa evenerit; de eleemosyna vere necessaria, et an liber continens præsentia legata fuerit de anno 1774. à legitima auctoritate approbatus, an expediat utraque legata in Missas lectas convertere, et an sint, qui ad distributiones pro alimentis jus habeant, et quibus præjudicium inferatur, et de tempore necessario*, in informatione hæc habet = *Quod sit omnino impossibile ex deperditione, seu destractione librorum antiquorum nec annuum reditum, nec onera cujusvis specificæ fundationis determinare, unde et de Missis non adimpletis, aut de alimentis non distributis, aut de reali redituum imminutione ratio reddi non potest. Ast notandum*

in

in primis venit, Registrum anni 1774. auctoritative conditum, confectumque fuisse, nempe per duos Presbyteros ad hoc deputatos a Capitulo B. M. V., quod in Parochiam S. Nicolai jure quodam Archidiaconali gaudebat. Unde sane præsupponendum, quod forsan a sæculo, et ultra ante annum 1774. plurima bona, et reditus fundationum deperdita fuerunt, quod evenire potuit ex malitia, et odio asseclarum Sectæ Calvinianæ vel etiam partim ex negligentia antiquorum Parochorum, et Administratorum.

Modo omnia Bona, et reditus diversarum fundationum sunt totaliter permixta, nec est possibile determinare, quænam ab una, vel quænam ab altera fundatione pr oveniant. Reditus superstites dictæ Parœciæ S. Nico ai reducti ad monetam Romanam sunt.

1. *Pro fabrica exclusis fundationibus, scutata* III. *et ob.* 36. *Notandum quod longe major pars redituum inserviat ad solvendas retributiones Parocho, et Vicariis debitas, et quod summa vere exigua, nec sufficiens remaneat utilis fabricæ oneribus deductis.*
2. *Pro Anniversariis cum et sine cantu scutata* 353. 60.
3. *Pro Missis privatis scutata* 572.
4. *Pro Concionibus, laudibus vespertinis, aliisque scutata* 123. 85.

Quoad mensam pauperum adhuc existit annuus reditus scutatorum circiter 900. *ex quo reditu quovis mense fit distributio pauperibus scutatorum circiter* 70. *tam in alimentis, quam in pecunia, et vestibus, aliæque fiunt expensæ in pauperum favorem, quæ cum subsidiis Gubernio solvendis reditum exhauriunt.*

Animadvertit autem idem Ordinarius, *Registrum novissimum anno 1774. auctoritative conditum fuisse, veramque, ac realem existere probabilitatem, libros intermedios fuisse distructos, eo quod major pars redituum seu per injuriam temporum, seu per introductionem Sectæ Calvinianæ amplius non existebat ulterius viros Ecclesiasticos, qui registrum anni 1774. conscripserunt auctoritative, certo certius nec voluisse, nec potuisse partem aliquam redituum occultare.*

Sub-

dit præterea esse *notandum, sub præmissis diversis fundationibus non comprehendi duas fundationes Missarum, unam nempe septem Missarum privatarum factam anno* 1778. *a duobus Sacerdotibus Dovven, et Vincent, mediante summa capitali circiter septuaginta duorum Scutatorum monetæ Romanæ, quam ipsamet Fabrica dictis Sacerdotibus debebat, ac solvere debuisset, si ad opus fundationis hanc pecuniæ summam fabricæ non legavissent, alteram unius Missæ hebdomadalis, aut* 52. *Missarum per annum, factam anno* 1794. *a quodam Cive Machure, mediante summa capitali tercentorum circiter scutatorum, ast etiamsi probabile sit quod summa hæc capitalis ad manus Administratorum Fabricæ tradita fuerit, nihilominus, quod revera fuerit soluta, nullum existit documentum; fueruntque hæ ultimæ fundationes pariter non adimpletæ, supplicaturque, ut SSmus ob Christi merita, ac attenta paupertate fabricæ Missas huc usque neglectas etiam condonare dignetur, injungendo tamen, ut in posterum Missæ juxta fundationem celebrentur.*

Certum in jure est, diminuto fundo sine Possessoris, seu administratoris culpa, reductionem concedendam esse, ut tot Missæ celebrentur ad manualem, quot reditibus respondeant; uti millies hæc S. Congregatio definivit, præcipue in *Romana Reductionis* 12. *Julii* 1802. Permittitur etiam a Tridentino *sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.* onerum Missarum reductio, quando constat vel tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a Testatoribus præscriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur, qui velit huic se muneri subjicere; et hæc S. Congregatio tum ob Sacerdotum paupertatem tum quia desint, qui Missas pro statuta eleemosyna tenui celebrent, reductionem earum concessit in *Viglevareb.* 4. *Aprilis* 1789. *et Vicen. Reductionis* 27. *Martii* 1719. Denegari vero solet reductio, si reditus pares sint oneribus substinendis, uti millies hæc S. Congregatio definivit; et ex Concilio Tridentino potius

tius alia onera sunt reducenda, quam Missæ *Bened. XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. cap. ult. num. 23.*, *S. Congr. in Regien. Reductionis 29. Julii* 1775.

Bona diversarum fundationum, quæ prius seorsim administrabantur, jam ab *anno* 1774. in unum coacta fuisse constat: ignoratur vero, a quo tempore, et unde exorta sit illa generalis legatorum coacervatio, ex qua nonnullæ piæ fundationes nunquam adimpletæ fuere, et modo Parochus quolibet anno celebrat 20. Missas, quarum nulla reperitur fundatio, idque provenire creditur ex reductione antiquitus facta, quæ prout habet Ordinarius, præsupponit, forsan a sæculo et ultra ante *annum* 1774. plurima Bona esse deperdita. Eleemosyna a piis Testatoribus pro qualibet Missa tempore fundationis fuit statuta in decem, imo et octo obolis, modo autem per Diœcesanum Decretum ad quindecim crevit asses; et hæc etiam potest esse justa reductionis causa, cum juxta Doctrinam Bened. XIV. *de Synod. Diœces. lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 1. eleemosyna modo majorem, modo minorem esse deceat, habito respectu ad locorum, ac temporum circumstantias, nec non Sacerdotum paupertatem, qua nunc graviter premuntur Belgarum Sacerdotes. Notandum tamen extare annuum reditum circiter *Scutorum* 900., ex quo fit quovis mense pauperibus distributio *Scutorum* 70.; ac præterea adesse pro Concionibus, laudibus Vespertinis, aliisque *Scuta* 123 88., et pro Anniversariis cum, et sine cantu *Scuta* 268. 70.; hæc potius onera, quam Missarum pia Legata reducenda viderentur. Addendum denique nonnullas Missas statutis horis, uti decima, undecima, et duodecima esse celebrandas, et hæc quoque altera est ex justis reductionis causis.

Expostulat idcirco Ordinarius in sua Informatione, ut *in futurum tot cantentur, totque celebrentur Missæ, et Anniversaria in favorem Fundatorum generice sumptorum, quot cantatæ, ac celebratæ fuerunt ab anno* 1774. *usque in præsentem diem, salva nihilominus diminutione dictarum Missarum a Sede Apostolica obtinenda propter insufficientiam redituum, nempe determinando octodecim obolos pro qualibet Missa privata ante horam decimam celebranda, et vigintiquinque obolos pro*

Mis-

Missa privata hora decima, et post decimam matutinam celebranda. Animadvertendum tandem venit, fabricam per Decretum Gubernii Gallicani omnino, et irrecuperabiliter amisisse summam capitalem mille circiter scutorum Monetæ Romanæ, ex qua nullum amplius emolumentum, aut interesse a pluribus annis percepit, reditusque nunc superstites (omnibus oneribus deductis) vix sufficere ad restaurationem tum ipsius Ecclesiæ, tum ejus mobilium, linteaminum, et ornamentorum.

Administratores vero Fabricæ poscunt ut Missæ, quæ in Ecclesia S. Nicolai sunt celebrandæ, in alia quavis Ecclesia, vel Oratorio celebrari possint. Translatio Missarum voluntatis commutationem importat, quæ cum semper difficiliter conceditur ex Textu in *Can. Ultima Voluntas. Causa* 13. *quæst.* 2. tum maxime cum Fundator certum designavit Altare, in quod ejus præcipue ferebatur devotio, ut definivit S. C. in *Casalen.* 15. *Decembris* 1797. Denegatur etiam ab hac S. C. ne dum ob commutationem voluntatis Fundatoris, sed ob cultus quoque detrimentum, et populi incommodum. Conceditur vero ex utilitate, et necessitate, ut in *Neapolit. Capellan.* 16. *Junii* 1731., et in *Firman.* 3. *Augusti* 1783. De hac translatione Missarum ne verbum quidem Ordinarius in sua informatione habet.

Quod vero spectat ad Missas in præteritum inadimpletas, habent Emi PP. ferme earum numerum, et causam impotentiæ ex defectu redituum, qua Administratores suas omissiones excusare nituntur. Sane si quævis exulet fraus, si rationabilis concurrat causa; S. Congregatio solet ab inadimpletis Missis absolvere, ut in *Faventina Reductionis* 15. *Jan.* 1780., et in *Anconitana Missarum* 16. *Martii* 1782., et Ordinarius enixe flagitat, ut *SSmus in Christo Pater fundationes absque legitima causa non adimpletas supplere dignaretur per thesaurum indeficientem meritorum Christi Domini.*

Placeat itaque EE. PP. sequentia dirimere.

Dubia

I. *An, et quomodo sint reducenda onera Missarum in casu etc.*

II. *An sit concedenda translatio onerum Missarum in casu etc.*

III. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu etc.*

Die Sabathi 14. Junii 1823. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

FIRMANA IRREGULARITATIS.

Sess. 24. Cap. 6. de Reform., et Sess. 22. Decret. de obser. et evitan. in Celebr. Missæ.

Dubium

An, et quomodo sit consulendum Sanctissimo pro Dispensatione ab irregularitate in casu etc.

Negative.

LEODIEN. REDUCTIONIS, TRANSLATIONIS, ET ABSOLUTIONIS MISSARUM.

Sess. 24. Cap. 15. de Reform.

Dubia

I. *An, et quomodo sint reducenda onera Missarum in casu etc.*
II. *An sit concedenda translatio onerum Missarum in casu etc.*
III. *An sit consulendum Sanctissimo quoad præteritum in casu etc.*

Ad I. Affirmative juxta votum Ordinarii facto verbo cum Sanctissimo.
Ad II. Negative.
Ad III. Affirmative celebrata unica Missa cum cantu pro omnibus omissionibus.

Sess.22. Cap.7. De Reform.

ARIMINEN. CAPELLANIARUM. Ultimo elogio Julius Antonius Silvagni universalem proprietariam hæredem instituit Ecclesiam B. Virginis Mariæ *delle Grazie della Scuola delle ragioni di questa Comunità*, nempe Oppidi S. Joannis in Marignano Ariminen. Diœcesis. Præscripsit Testator, *che sieno constituiti sei Cappellani, che debbano quotidianamente celebrare la S. Messa in detta Chiesa, lasciandoli solo dodici Messe all'anno in loro libertà applicare . . . . .* Capellanos deinde nominavit *il Sig. D. Giacomo Vici mio consanguineo, il Sig. D. Carlo Antonio Bianchini, con che non solo questi nominati, ma sempre i loro Nepoti, e discendenza delle dette due Case, quali debbono sempre essere considerati, nominati, e preferiti in perpetuo durante dette linee*. Tertium Capellanum dixit idem Testator Sacerdotem Sebastianum Trebbi, eoque deficiente, alios ex eadem familia vocavit. Quartum vero Capellanum Sacerdotem Joannem Constantini designavit, ac addidit, *e gli altri due da nominarsì, ed eleggersi da questa Comunità con l'intelligenza però sempre delli suddetti quattro Cappellani nominati, e da nominarsi, e questi siano della Terra, e suoi Borghi, e de' più poveri, e bisognosi*: cum facultate nominandi ad Capellanias etiam Clericos, qui ad Sacros Ordines Capellaniæ titulo ascendere valerent, *con l'obligo però, che debbano far celebrare le Messe quotidiane a loro spettanti solo con la suddetta riserva per sino a tanto, che saranno giunti al Sacerdozio per celebrarle da se medesimi.*

De bonorum administratione ita disposuit testator Silvagni: *il Signor D. Giacomo Vici primo Cappellano sia l'economo della mia eredità, con questo che nel fine di ciascun anno debba detto economo render conto agli altri Cappellani coll'assistenza di una persona dabbene, e consigliere di questa Comunità da eleggersi dalla medesima . . . . qual reddizione di conti debbasi porre in questa pubblica segretaria ad oggetto sia palese, e noto, in quale stato si trovi la cassa della mia eredità, ed a fine si veda il tutto giustificatamente amministrato, e fedelmente maneggiato.* Animadvertere præstat, in Comitiis *diei* 26. *Septembris anni*

anni 1795. actum de hac bonorum administratione fuisse, et respondendo ad secundum dubium statuisse EE. PP., quod *Episcopus curet omnino rectam administrationem, injuncta ad hunc effectum administratori redditione rationis facienda quotannis eidem Episcopo.* Testator Silvagni primo capellano in administratione subrogavit alium capellanum ex eadem Familia Vici, qua extincta, voluit administrationem esse penes capellanum ex familia Bianchini; si autem hi minus idonei essent, jussit administratori ab aliis capellanis dari coadjutorem, qui vir ecclesiasticus esset optimis imbutus moribus.

Præcepit quoque testator, dum hæreditatis reditus suppeterent, aliis impletis oneribus, duos clericos pauperes ex Oppido S. Joannis in Marignano, et Suburbiis, nunquam vero alienigenas, alendos esse in Ariminensi Seminario per sexennium, nempe ab eorum ætatis anno decimoquinto usque ad vigesimum primum. Prohibuit etiam, ne exteri ad Capellanias nominarentur *alla riserva della casa Vici, e Bianchini.*

Alia denique scripsit legata favore tum communitatis, tum puellarum utriusque familiæ Vici, et Bianchini, prout videre est in folio *26. Septembris* 1795., et *in Summ.* a capellanis distribuendo.

Communitatem inter et capellanos quoad bonorum administrationem, et quoad prælationem familiarum Vici, et Bianchini ortæ sunt controversiæ, præsertim præteritis infelicissimis temporibus, quæ deinde ab R. P. D. Auditore Sanctissimi huic S. Ordini remissæ fuere. Contradicente igitur Communitate quatuor concordata sunt Dubia coram Emo, ac Rmo D. Card. Falzacappa, dum munus Secretarii hujus Sac. Congregationis summa omnium laude gerebat. Jura sua capellani distributa allegatione tuentur; communitas vero nihil exhibuit, quamvis ea consentiente hæc dies fuerit causæ propositioni statuta.

In primo dubio de qualitate agitur hæreditaria, num scilicet ad Capellanos, num ad Communitatem pertineat. Ille dicendus hæres, qui succedit in universum jus Defuncti, et cui hæreditatis commodum applicatur; quæ omnia apprime suo Collegio conveni-

re asserunt Capellani, ideoque ipsorum favore de hæreditaria Testatoris Silvagni qualitate constare contendunt. Nec obesse addunt, quod nunquam Collegium hæredis nomine a Testatore fuerit honoratum; namque *non interest, si dicatur* in ultimis voluntatibus *hæredem facio, vel instituo, vel volo, vel mando etc., sed quibuslibet confecta sententiis, vel in quolibet loquendi genere formata institutio valet. Leg.* 15. *Cod. de Testamentis.*

Secundum dubium pertinet ad prælationem favore familiarum Vici, et Bianchini, tum quoad passivam nominationem ad omnes Capellanias, tum quoad alimenta in Ariminen. Seminario percipienda. Capellani asserunt, prælationem ad omnes Capellanias Familiis Vici, et Bianchini tributam fuisse iis Testamenti verbis, *sempre i loro Nepoti, e discendenti delle dette due Case debbono essere considerati, nominati, e preferiti in perpetuo durante dette due linee*; quæ verba ad omnes Capellanias extendunt iidem Capellani, cum generalem esse hujusmodi dispositionem, et quamlibet respuere limitationem dicant. Ex prælatione in obtinendis Capellaniis prono alveo fluere sustinent prælativum jus obtinendi alimenta in Seminario: si enim consequens voluit Testator, voluisse et antecedens videtur.

De Communitatis jure in nominationibus loquitur tertium Dubium, quod uti præcedentis corollarium est habendum. Prælatio siquidem Familiis Vici, et Bianchini si concedatur, Communitas jus suum exercere poterit salva semper prælatione illorum, qui ad easdem Familias pertinent: imo cum ex littera Testamenti duorum tantummodo Capellanorum nominatio concessa Communitati videatur, primos enim quatuor Capellanos Testator ipse designavit, affirmare Capellani non dubitant, pro geminis tantum Capellanis, salva memorata prælatione, nominationem ad Communitatem pertinere. De cæterorum Capellanorum consensu aperte verba facit Testator, et ideo hoc quoque Capellani in solutione Dubii exprimi petunt.

Agitur demum sub quarto Dubio de jure Communitatis quoad Æconomi deputationem, et Bonorum administrationem; utrumque autem eidem negant Capellani.

Ad-

Administratorem, seu Æconomum constituit Testator ipse primum Capellanum ex familia Vici, qua linea extincta, subrogavit familiam Bianchini. Capellani igitur ex utraque familia descendentes jure proprio administrationem, seu Æconomiam hæreditatis gerere debent, quin a Communitatis placito eorum deputatio pendeat. Quod si minus idonei reperiantur, ex ipsa Julii Antonii Silvagni voluntate ad alios pertinet Capellanos Coadiutorem constituere; atque inaudita etiam Communitate hoc facere possunt, et debent. Quo vero ad administrationem ajunt, hoc primi Capellani ius esse, cum onere tantum rationem quotannis reddendi Capellanorum Collegio juxta Testatoris voluntatem, et Episcopo juxta indicatum hujus Sac.Congregationis rescriptum, nunquam vero Communitati, cui Testator facultatem solummodo impertitus est deputandi Consiliarium, qui rationum redditioni intersit, cum id tantum significare valeant ea verba = *coll' assistenza di una persona dabbene, e Consigliere di questa Comunità da eleggersi dalla medesima.* Ex quibus concludunt Capellani, nullum jus esse Communitati pro Æconomi deputatione, ac pro Bonorum administratione.

Quamvis post Dubia, contradicente parte, concordata, nihil a Communitate S. Joannis in Marignano exhibitum fuerit, neque ejus nomine Allegatio circumferatur; nonulli tamen illius Oppidi Patresfamilias, quorum maxime interest, ut Familiis Vici, et Bianchini prælatio tum ad omnes Capellanias, tum ad institutionem in Seminario denegetur, quædam nuper dederunt animadversionum folia, quæ ob inopiam, qua premuntur, imprimenda curare nequiverunt. Asserunt autem, adesse Codicillum, quo Testator Silvagni voluntatem suam mutavit; complura narrant de Capitulis *anno* 1757. paulo post ejusdem Testatoris mortem a Capellanis, et Oppidi Decurionibus firmatis: denique aliquid ad controversiam apprime pertinens gestum fuisse indicant coram Emo, ac Rmo Card. Forolivii Legato. De his omnibus ne vestigium quidem adest in Allegatione, vel in Summario a Capellanis di-

distributo: inde vero inferunt memorati Patresfamilias, denegandam prorsus esse prælationem a Familiis Vici, et Bianchini petitam, ac ita supremas Testatoris tabulas esse intelligendas, ut prima tantum Capellania Familiæ Vici, secunda tantum familiæ Bianchini tributa fuerit.

Cognoscenda hæc ad rectam causæ definitionem videntur; præsertim cum iidem Patresfamilias exemplum protulerint supplicis libelli, quo Sacerdos Sanctes Vici Capellanus, et Administrator *anno* 1805. a Communitate, tamquam hærede Julii Antonii Silvagni, honorarii augmentum propter nimios, assiduosque administratoris labores petiit. Abstinui a proroganda causæ propositione, quia hæc dies per Decretum, contradicente Communitate, fuit præfinita. At Vestrum erit EE. PP. resolutionem differre, si indicata monumenta exquirenda, et perpendenda censeatis. Si vero judicium hodie reddendum vobis videatur, habetis in Capellanorum Summario testamentum Julii Antonii Silvagni, ex cujus interpretatione respondere poteritis, quæ proponuntur.

Dubiis

I. *An, et cujus favore constet de qualitate hæreditaria in casu etc.*

II. *An sit locus prælationi familiarum Vici, et Bianchini tum pro passiva vocatione ad omnes Capellanias, tum pro institutione in Diaecesano Seminario in casu etc.*

III. *An, et ad quot Capellanias, et quibus legibus, et conditionibus competat Communitati nominatio in casu etc.*

IV. *An, et quomodo Communitati jus competat in deputatione Æconomi, et Administratione Bonorum in casu etc.*

Dilata, et scribatur Vicario Apostolico juxta mentem. Mens est, ut prævia distincta informatione, et voto super novis precibus exhibeantur Codicillus, Capitula an. 1757., nec non exemplar omnium actorum gestorum coram Emo D. Cardinali Forolivii Legato, et audiantur in scriptis Patresfamilias interesse habentes, præfixo ab eodem Vicario Apostolico partibus termino ad deducenda jura: quo elapso causa reproponatur ex officio.

RO-

ROMANA, SEU MACERATEN. JURISPATRONATUS. In comitiis diei 22. *Martii hujus anni* Dubio tunc proposito = *An Litteræ Apostolicæ sint exequendæ in casu etc.* rescriptum fuit *Affirmative* favore Clerici Josephi Ciccolini, contra Modestinum Ciccolini, qui frustra dilationem petiit. Beneficium novæ Audientiæ obtinuit Modestinus, et redintegrando certamini hodierna dies per Decretum fuit statuta. Iterum ergo Vobis EE. PP. Causa proponitur; Joseph resumere precatur præteritas Allegationes, Modestinus autem vadimonium deserit. Reassumpto igitur folio *diei* 22. *Martii* 1823. dignentur EE. VV. respondere. *Sess.* 22. *Cap.* 12. *de Reform.*

Dubio

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

In decisis, et amplius.

REATINA ODEI. Proposita fuit hæc controversia die 21. Septembris elapsi anni 1822. duobus compræhensa dubiis, I. *An Aloysio Blasetti, uti emptori Palatii olim Amati, competat jus retinendi apertam fenestram in Ecclesia S. Juvenalis in casu etc.* II. *An fenestra retineri debeat aperta usque dum vixerit Clementina Amati in casu etc.* Scissis tunc EE. PP. suffragiis quoad primum Dubium responsum prodiit *Iterum proponatur*: quoad secundum vero rescriptum fuit *Affirmative*. *Sess.* 25. *Cap.* 20. *de Reform.*

Parochus Ecclesiæ S. Juvenalis, quibusdam exhibitis foliis, iterum proponi causam instanter petiit. Blasettus nihil novi protulit, sed EE. PP. enixe orat, ut in folio prædictæ diei 21. Septembris fuse propositas rationes præ oculis habeant. Quæ vero Parochus narrat in indicatis suis scriptis, vel factum, vel jus respiciunt; sed tum quæ facti, tum quæ juris adducit, omnia fuere præoccupata in prædicto folio, quod

reassumere precor PP. EE., quo valeant respondere

Dubio

An Aloysio Blasetti, uti emptori Palatii olim Amati, competat jus retinendi apertam fenestram in Ecclesia S. Juvenalis in casu etc.

Affirmative.

Sess. 25. *Cap.* . *de Reform.*

NULLIUS MONTIS VIRGINIS REDUCTIONIS SERVITII CHORI, ET MISSARUM. Capellanorum Collegium ad majorem Dei cultum in Ecclesia SSmi Rosarii Oppidi *Ospedaletto*, Nullius Diœcesis Montis Virginis, *anno* 1710. fundavit Josephus Presbyter de Masellis, et Juspatronatus tribus familiis de Masellis, de Petris, et de Colangelis perpetuo reliquit. Collegium ab initio quatuordecim constitit Capellanis, ad decem deinde ex Fundatoris voluntate reductis, quibus quotidiani servitii Chori, Missarumque celebrationis onus imposuit: Missas lectas 250. quotannis celebrari voluit, nempe 25. a singulis Capellanis, itemque Missas cum cantu 365., quas per hebdomadas dividi jussit, excepto Directore, quem Collegii caput constituit. Annuus ejusdem Collegii reditus juxta fundationem *Ducata* 800. attigit (unicuique proinde Capellano *Ducata* 80. obvenerunt), sed præteritorum temporum perturbationibus adeo decrevit, ut hodie vix ad *Ducata* 426., *et grana* 35. pertingat.

Itaque Capellani in tanta redituum imminutione suppliciter implorant exemptionem a quotidiano Chori servitio, quod tamen se præstituros pollicentur = *in tutte le Domeniche, Feste di Rito di prima, e seconda classe, ne' giorni di S. Teresa, e di S. Pietro d' Alcantara specialmente nominati dal Fondatore, non che nei giorni delle tenebre della Settimana Santa* =; pariterque se liberari petunt = *dal peso delle* 250. *Messe*

pia-

piane, restando però il peso dell'Ebdomada, ossia Conventuale, e le Messe dirle lette in tutti i giorni, che non vi sia Officiatura, e cantarle in tutti i giorni, che vi sia detta Officiatura.

Requisitus de more Ordinarius hæc refert = *Avendo passato alla conoscenza de' principali interessati, vale a dire de'rappresentanti delle tre Famiglie, che hanno il Patronato del Collegio, il contenuto della dimanda de' Cappellani; gli stessi interessati hanno trovato ragionevole in tutte le sue parti la dimanda medesima, ed hanno aderito formalmente a quanto dai Cappellani succennati si è esposto, come risulta da un publico Istromento, rogato dal Notaro D. Filippo de Petris nel dì 18. Agosto del corrente anno 1822. Siccome però questo loro consenso deriva dalla riconosciuta deficienza delle rendite; così si hanno riserbato, che se dette rendite venissero per qualsivoglia lato ad aumentare sullo stesso piede, che furono destinate, e lasciate dal Fondatore, allora debbano riprendere le soddisfazioni di tutti gli obblighi contenuti nell'Istromento di Fondazione* =.

Addit quoque, se Libros Introitus, Exitusque diligenter scrutari curasse, atque ex iis compertum esse, *che la rendita attuale ammonta a Ducati 426., e grani 35., che ridotti a Moneta Romana formano scudi 319. 57. ½, e l'esito di pesi intrinseci, ed estrinseci ammonta annualmente a Ducati 309. e grani 5., che formano scudi 232. 20 Questa somma detratta dalla prima, rimangono scudi 77. 62. ½ da dividersi fra dieci Cappellani, vale a dire, che annualmente ciascuno di essi percepisce poco più di scudi sette.*

Prosequitur inde Ordinarius = *Per accerto del vero feci ordine al Procuratore del detto Collegio, acciò mi avesse informato, per colpa di chi sono minorate le rendite, e se vi siano quelli, che fossero tenuti al rimpiazzo. Lo stesso con suo Documento mi ha fatto costare. Primieramente, che un Capitale di Duc. 3702. ipotecato sulle partite di Arrendamenti, per le vicissitudini dello Stato nel decennio dell'occupazione Militare, si perdè la rendita, perchè furono dismessi detti Arrendamenti, nè mai in detto decennio se ne potè ottenere il rimpiazzo, a cui lo Stato era tenuto. Secondo, che altra parte di rendita consisteva in molti Censi*

Enfiteutici, de' quali molti ne furono affrancati colla Corte nello stesso decennio, e dalla medesima neppure se ne potè ottenere il rimborso. Terzo, altra rendita proveniva da molti Censi Bollari, l'annualità de' quali si è resa inesigibile per tante divisioni, e suddivisioni fatte trà possessori, che al presente si trovano ridotti alla mendicità, e da questi se ne dovrebbe fare il rimpiazzo. E finalmente, che il peso del quinto fondiario su tutti i fondi rustici, ed urbani, anche fu causa della decrescenza delle rendite.

Monet autem, inspectis Missarum Libris constare, Missas 2040. elapsis annis non fuisse celebratas, idque nec oscitanter, nec malitiose, sed ob redituum defectum: eleemosynam vero Granorum viginti pro Missa celebranda tum in Oppido *Ospedaletto*, tum in finitimis locis esse necessariam. Demum concludit, sibi videri adesse = *una legitima causa per la riduzione di tutte le Messe piane alla ragione di Grana venti per ciascuna. E per le 250. Messe, stabilite dal Fondatore, durarne la riduzione fintantochè le circostanze non siano migliori a bene del detto Collegio.*

Hisce in facto præmissis, pauca in Jure addenda videntur. Postremæ Defunctorum voluntates accurate, religioseque servandæ sunt, nec commutandæ, nisi adsit justa, ac necessaria causa, ut ex *Can. ultima voluntas caus. 13. quæst. 2. Con. Trid. Sess. 21. Cap. 18. de Reform.*

Imminutis reditibus absque Possessorum culpa, onera quoque reducenda esse, tradunt *Fagnan. in cap. Ex parte de Constit. n. 2., Monacelli formul. leg. 19. tit. 10. part. 1. num. 25., ac S. Congregatio in Viterbien. Reductionis onerum 10. Maji 1783., et in Romana Reductionis 21. Junii 1803.*

Collegii reditus revera esse imminutos, procul a quavis Capellanorum culpa, testatur Ordinarius, et per se patet, cum imminutionis causæ fuerint Censuum, ac Fundorum amissio, militaris occupatio, tributorum augmentum. Hinc reductioni onerum favet Ordinarius, et plene, ac solemniter assensum Patroni jam præstiterunt.

Obstare tamen eidem reductioni videtur, quod de oneribus agatur solemni stipulatione jamdiu acceptatis, quæ suam sortita est executionem: quo in themate concedi

non

non solet reductio, nisi probetur post acceptationem, et executionem adeo imminutos fuisse reditus, ut onerum implementum in maximam vergeret acceptantis perniciem, ut semper tenuit S. Congregatio, et præcipue in *Novarien. Reductionis onerum* 17. *Septembris* 1791., *et in Mathelicen.* 16. *Aprilis* 1792.

Animadvertendum vero, tum Servitii Chori, tum Missarum reductionem peti. Compertum est in jure, omnia alia potius quam Missarum onera, esse reducenda *Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib.* 13. *cap.ult. n.* 23., *Fagnan. loco mox cit. num.* 34., *et S. Congreg. in Romana Reductionis servitii Chori, et Missarum* 16. *Aprilis* 1722.

Reducendum igitur se vitium Chorale potius, quam Missarum onus videtur: si tam ob rerum adjuncta recedendum a juris rigore EE. VV. censerent, Missarum quoque reductio indulgenda foret.

Ad Missæ eleemosynam quod attinet, augeri eadem potest, quando ita tenuis sit, ut difficile presbyter inveniatur, qui Missas velit celebrare *Conc. Trid. Sess.* 25. *cap.* 4. *de Refor.*, *Amostaz de causis piis lib.* 2. *cap.* 12. *num.* 32., *et* 33., *Passerin. de homin. stat. qu.* 187. *art.* 4. *num.* 1091.

Postremo quoad absolutionem a præteritis omissionibus, S. Congregatio eam indulgere solet iis, qui ad inopiam redacti, bona fide Legatorum implementum omiserunt *Spoletana Absolutionis, et Reductionis* 29. *Nov.* 1793. Videant proinde EE. PP., utrum absolutionem mereantur Oratores, qui veram, justam, ac necessariam causam reductionis onerum adesse sustinent, et inde dignentur dirimere, quæ proponuntur.

Dubia

I. *An, et quomodo locus sit reductioni in casu etc.*

II. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu etc.*

Dilata, et ad mentem. Mens est, ut exquiratur ab Ordinario distincta notula per extensum exitus ad annua ducata 209. ascendentis.

CIN-

Sess. 24. cap. 13. de Reform.

CINGULANA JURIUM PAROCHIALIUM. Nullis circumscripta limitibus Paræcia SS. Nicolai, et Exuperantii sita extra mænia Civitatis Cinguli, *gentilitia* est, ac perpaucas Familias in Civitate degentes sibi subditas habet, una cum familiaribus actu eisdem inservientibus: quod si prædictæ Familiæ domos suas, vel earum partem locent, Inquilini illarum loco non succedunt, sed Parochiæ Cathedralis Ecclesiæ subjiciuntur. Nobilium Familiarum Silvestri Bovio, et Colloredo, ad Paræciam SS. Nicolai, et Exuperantii spectantium, servitio addictus Angelus Giovannini earum domum inhabitavit, ac negotia gessit per *annos* 37., donec ob vendita omnia prædictarum Familiarum bona, ad aliam domum transire debuit, subjectam Paræciæ Cathedralis; preces autem huic Sac. Congregationi obtulit, ut sibi in nova domo degenti, ad antiquam suam Paræciam pertinere liceat.

Vicarius Capitularis in sua Informatione hæc habet = *In primis audivi Priorem insignis Collegiatæ S. Exuperantii, qui Parochus est perpetuus Ecclesiæ SS. Nicolai, et Exuperantii, cui subjacere Orator Giovannini exoptat: Iste nil contrarium habet huic petitioni, et libenter se recepturum declarat hanc familiam, si sibi committatur. E contra Capitulum Cathedralis Ecclesiæ, cui adnexa est Cura habitualis hujus Paræciæ, et cui est jus decimandi, et percipiendi lucra, quæ ex funeribus procedunt, et cujus vices gerit alter ex Canonicis, cui perpetuo est injuncta cura actualis ejusdem, totis viribus contendit, se nullo modo consensum suum præbere* =.

Tridentina Synodus *Sess. 24. Cap. 13. de Reform.* ita de Parochiis expresse statuit = *In iis Civitatibus, ac locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus Sacramenta administrant, mandat Sac. Synodus Episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas, propriasque Parochias, unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite Sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit provideant*,

deant. *Idemque in iis Civitatibus, ac locis, ubi nullæ sunt Parochiales, quamprimum fieri curent, non obstantibus quibuscumque privilegiis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus* =. Indultum itaque ab Oratore petitum Tridentinæ Sanctioni aperte repugnans, ideoque minime concedendum videtur.
ccedit neminem locupletari debere cum aliena jactura *Cap. Locupletari* 48. *de Reg. juris in* 6. Locupletaretur autem Parochus SS. Nicolai, et Exuperantii cum jactura Capituli Cathedralis, quod ob indulti concessionem jus amitteret decimandi, et percipiendi lucra, ut inquit Vicarius Capitularis, quæ ex funeribus procedunt, quæque juxta Tridentinum soli Parocho addicta sunt. Omnia hæc sibi quæreret Parochus SS. Nicolai, et Exuperantii, ac præterea eam utilitatem sentiret, ut exemplum Angeli Giovannini aliæ Familiæ sequi possent cum maximo Capituli Cathedralis detrimento.
aque nil mirum si aperte dissentiant Partes interesse habentes: Parochus enim Ecclesiæ SS. Nicolai, et Exuperantii libenter Familiam Giovannini recipit, si eidem committatur; Capitulum vero Cathedralis de eadem non amittenda totis viribus certat. Dissensus autem Partium plurimum semper valuit apud hanc Sac. Congregationem, ne privilegia indulgeret, ut videre est in *Firmana Erectionis* 18. *Augusti* 1787., *et in Tudertina* 27. *Augusti* 1822.
erum Oratori favet, primis Ecclesiæ sæculis distinctas finibus non fuisse Paræcias, et Episcopos curam Animarum habentes totius Diœceseos, per deputatos presbyteros ad nutum amovibiles eam exercuisse: hinc Paræciæ appellatione universa Diœcesis designabatur. Paræciarum divisionem primus invexit S. Dionysius, qui Pontificiam Sedem tenuit a die 21. Julii anni 259. ad diem 26. Decembris 269., quique singulis proprium territorium constituit *Cap. Pastoralis De his quæ fiunt a Præiat.*, *Card. Baron. Annal. Eccles. tom.* 3. *ad ann.* 325. *vers. unde*, *Sac. Congregat. in S. Severini* 5. *Januarii* 1817.
licubi etiam nunc adsunt Paræciæ, quæ non distinguuntur per domos materiales, et per determinatos locorum fines, vocanturque Gentilitiæ, et familias complectuntur, quæ intra limites aliarum Paræciarum de-
gunt

gunt; idque non obstante Tridentini sanctione servari posse tradit *Ursaya Tom. 8. par. 1. dis. 24. per tot.*

Quamobrem annuendum videtur Oratoris precibus, præsertim cum aliæ in Cingulana Civitate adsint Familiæ, quæ ad gentilitiam Paræciam SS. Nicolai, et Exuperantii pertineant. Eoque pronius cum idem Orator alienigena sit, qui ad præfatam Civitatem se contulit, ut operam gerendis negotiis Familiarum Silvestri Bovio, et Colloredo navaret, atque hac tantum de causa lares ibidem fixerit, et S. Exuperantium, quem sibi Protectorem elegit, peculiari devotione semper coluerit, et colat.

Levissimum autem damnum Capitulo Ecclesiæ Cathedralis irrogabitur, cum dives non sit Angelus Giovannini, qui nobilibus Familiis inserviendo sibi, suæque Familiæ victum perpetuo quæsivit.

His igitur perpensis, vestrum erit EE. PP. dirimere, quod proponitur.

Dubium

An sit annuendum Oratoris precibus in casu etc.

Non proposita cum sequenti

Sess. 24. cap. 2. De Reform. Matrimonii.

FESULANA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS. Invaluit usus in Diœcesi Fesulana Hetruscæ Ditionis, ut in administratione Sacramenti Confirmationis unus dumtaxat pro omnibus masculis a Parocho, vel ab Episcopo deputetur Patrinus, et una mulier quoad omnes fæminas Matrinæ munere fungatur. Inde vero fit, ut qui Confirmationem acceperunt, suos uti plurimum ignorent Patrinos, Patrini Confirmatos. Quare plures illius Diœcesis incolæ hanc S. Congregationem exorant, ut de hujusmodi usu quid sentiendum sit, pro sua sapientia decernat.

Requisitus Episcopus, ut referret præsertim de legitimitate assertæ consuetudinis; quomodo provisum sit pro co-

cognatione spirituali, et ut Patrini spiritualium filiorum curam agant; ita rogatis etiam nonnullis aliis Hetruriæ Episcopis, distincte respondit.

Consuetudo in Confirmationis administratione unum Patrinum, atque unam Matrinam eligendi usque a sæculi transacti initio repetenda videtur. Cum anno 1781. *in Templo maximo Florentino ego hoc sacramento sum auctus, illo administrante primo anno Pontificatus sui, et fortasse prima vice, Antonio Martinio, viro non minus doctrina, quam veteris disciplinæ studio clarissimo, eam consuetudinem nactus sum, ut unus e Sacricolis, qui illi aderant, quæ consuetudo etiam nunc viget, Patrini munere fungeretur. Cum vero omnes de hac re silentium fecerint, plane colligitur, hunc servasse morem et Antecessorem suum Cajetanum Incontrium, cujus mors tunc temporis ceu viri sancti habita est, et funus, quo elatus, lacrymæ omnium sunt prosecutæ.*

Testatus est quoque, idem ab hominum memoria servari in Aretina Diœcesi, et addit; *certior quoque factus sum, ita Antistitem Pisanum, Pistoriensem, aliosque quamplures se gerere.*

Quod vero hanc Diœcesim attinet Fesulanam, video Franciscum Mariam Ginorium, Præsulem tot nominibus clarum, et qui dignus habitus est, ut honori ejus cuderetur numisma hoc titulo veteris disciplinæ assertori, *in Epistola Pastorali data* 8. *Kal. Aprilis* 1751. *inter alia hæc habet* ,, quelli, che si vorranno cresimare devono avere un compare, o una comare, e questi devono essere cresimati, e maggiori di anni 14., e per più convenienza gli uomini terranno i maschi, e le donne le femine. Anzi affinchè non nascano inconvenienti, saranno da noi deputate persone per l'uffizio di compare, o comare. ,,

Occasionem vero antedictæ consuetudini opinatur Præsul Fesulanus dedisse locorum alpestrium asperitatem in longe, lateque patente Diœcesi, quæ cum certo tantum intervallo temporis lustrari queat; dum Episcopus Confirmationis Sacramentum administrat, *Sacræ Ædes omnibus in locis celebrantur magna mortalium multitudine . . . . Ecclesias Confirmandi, magna comitante eos caterva, adeunt;* singuli *habent comites parentes eorum. Si vero una cum his singulorum Patrini,*

 et Ma-

et Matrinæ excipiendi essent in Ecclesiis plerumque angustissimis, clamor, tumultusque oriretur . . . . . Et quod etiam magis interest, haud facile esset, omnium nomina accurate in tabulis describere.

Sed quonam pacto inter spirituali cognatione devinctos, ne matrimonium contrahatur, cavetur? Non ausim dicere, hanc consuetudinem fuisse receptam, ut huic occurratur periculo; nam cum spiritualis cognatio in duobus solis hominibus sit, hoc periculum facilius vitatur numero spirituali cognatione vinctorum pauciore. Plerumque provectioris ætatis homines, atque in viduitate, si adsint, eliguntur: antequam hoc Sacramentum peragere incipiamus, Pontificalis Romani monita de hac re lingua vernacula vulgantur, et maxime quæ numero quarto leguntur nempe „ che in questo Sacramento „ si contrae dal Patrino, e Matrina la cognazione spi- „ rituale, che oltre il dirimere il contratto Matrimo- „ nio, impedisce ancora il contrarlo „ *Parochi præter Confirmati nomen, illud etiam Patrini, et Matrinæ in Tabulis describere jubentur, adeo ut Parochus statim, et manifeste, cum nuptiæ illi denuntiandæ sint, utrum inter conjuges futuros spiritualis cognationis impedimentum extet, cognoscere possit. Et si, ut periculo ne quis matrimonium ineat cum muliere, quæ ei spirituali cognatione vincta sit, occurratur, Parochus incertis familiæ vocibus stare non debet, sed ipsi tabulæ consulendæ; idem erit, ut mihi videtur, id cognoscere unum Patrinum in his legens, aut centum. Quod si tot adhibitis curis, bis mihi evenit, ut Parentes suos natos tenerent, et quod duo soli Patrini statuti essent id facilius patuit, ut opportuno remedio uti possemus; quæ mala accidere possent in tanta Patrinorum copia, magna ex parte Episcopo, et fortasse etiam Parocho haud nota?*

Fatebor autem, ut ego quoque quid sentiam dicam, me hanc consuetudinem, dummodo, quæ dixi superius, præcaveantur, anteponere. Nam septem ab hinc annis, ex quo pro meis viribus hanc Fesulanam rego Ecclesiam, et Deo opitulante plusquam decem millibus hominum hoc contuli Sacramentum, semel, aut iterum id aliqua perturbatione actum est, quamvis tercenti, aut quadringenti pueri in unum convenerint. Sed contra

tra nunquam accidit, quin turba fieret, dum bis hoc Sacramentum in Ecclesia S. Mariæ, quæ sita est in Pago, cui nomen inditum Panzano *administravi. Hac in Ecclesia plurimos Patrinos, ac Matrinas passus sum, dissensionis declinandæ causa, atque ut Parocho illi morem gererem . . . . . . Ipse unus consuetudini, tot ab hinc annis ab omnibus hujus Diæcesis Parochis acceptæ, adversatur.*

imis Ecclesiæ temporibus baptizati, mox accepto baptismo, confirmabantur, ut hoc Sacramento fortes redderentur ad fidem, quam in baptismo profess erant, generose, ac libere verbo, et opere profiteni dum. Testatur hoc *Canon* 48. *Laodicenus*, *Canon* 33. *Concilii* 6 *Parisiensis*, *Tertullianus de Baptismo cap.* 7. *et Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii Magni* plura veterum, et recentiorum. colligit testimonia hanc disciplinam comprobantia, de qua meminit etiam Bened. XIV. *in sua notif.* 6. *n.* 2. et quam in Græca Ecclesia hodie quoque servari patet ex illius Rituali, et monet in ejusdem notis *Jacobus Soar.* Cum autem in Ecclesia Latina receptum fuerit, ut infantes baptizarentur, satius visum est Confirmationis Sacramentum differre in eam ætatem in qua baptizati rationis usu pollentes majori cum fructu illud accipere possent; præsertim vero quia parvulis rationis usum non habentibus, nondum cum hoste pugnandum est, neque si morte præveniantur, salutis dispendium incurrunt, cum jam per baptismum regenerati, a peccato originali sint liberati. aque nil mirum si per plura sæcula apud antiquos Scriptores nulla Patrinorum fit mentio in ministratione Sacramenti Confirmationis, nam admodum verisimile est, disciplinam adhibendi speciales Patrinos, seu sponsores, vel susceptores Confirmationis incæpisse postquam Confirmatio desiit una cum Baptismo ministrari. Dum enim conjunctim conferebantur confirmatio, et baptismus, non immerito censebantur iidem Patrini, sive sponsores pro utroque intervenire; hinc facta separatione, etiam separatim adhiberi cæperunt Patrini Confirmationis, eorumque mentio occurrit in Libris Sacramentar. *S. Greg. in Ordine Romano*, et plures Canones affert Gratianus

Distinct. 4. *de Consecr*, quibus concinit *Cap. ult. de Cognatione spirituali in* 6., et Concil. Trid. *Sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. Matrimonii*, et rationem reddit Angelicus 3. *p. quæst.* 72. *art.* 10. hisce verbis. *Hoc Sacramentum exhibetur homini ad robur pugnæ spiritualis. Sicut autem aliquis de novo natus indiget instructore in his, quæ pertinent ad conservationem vitæ, ita illi, qui sumuntur ad pugnam, indigent conditoribus, a quibus instruantur de his, quæ pertinent ad modum certaminis.* Denique sub culpa desiderari Patrinum in Confirmatione, colligitur tum ex *cap. ult. de cogn. spirit. in* 6., *et ex can.* 101. *Non plures dist.* 4. *de consecr.* tum ex communi Doctorum, uti tradit Navarrus *in Manuali c.* 22., et denique ex consuetudine Romanæ Ecclesiæ, de qua testatur Barbosa *de off. et potest. Episcopi part.* 2. *alleg.* 30. *n.* 51.

Quamvis autem Trid. Synodus *Sess.* 24. *cap.* 2. *de reform. Matrimonii* hæc habeat, *ut unus tantum sive vir, sive mulier juxta Sacrorum Canonum instituta, vel ad summum unus et una baptizatum de baptismo suscipiant*, in confirmatione tamen receptum est, ut unus tantum huic muneri deputetur sive vir, sive mulier, ut patet ex laudato Canone *Non plures*, cujus correctio facta a Tridentino in Baptismi Sacramento, non debet extendi ad Confirmationem, uti communiter docent DD., et probat Ecclesiæ praxis. Patrini vero in Jure *sponsores*, *et fidejussores* dicuntur eorum, quorum causa munus hoc suscipiunt, ut ex Canone *Vos ante* 105 *distin.* 4. *de consecr.*, et confirmant superius enunciata Angelici verba, consentitque Synodus Audomarensis *an.* 1583. *tit.*4. *cap.*5., quæ mandavit ad id munus non quoslibet absque discrimine adsumi, sed *ejusmodi omnino, qui, ut spirituales parentes, et possint, et velint eorum, quos ad confirmationem obtulerint, paternam curam gerere, eosque instruere quomodo adversus visibiles, et invisibiles salutis hostes sit dimicandum, certandumque viriliter. Habeatur itaque delectus, et ratio talis, qualem Patrinorum in baptismo habendam esse præscripsimus.*

Profecto si una eademque die vir unus Patrini munere fungatur ergo omnes masculos confirmandos, post-

postquam fuerit a Parocho, vel ab Episcopo deputatus, quin agnoscat eos, quorum causa munus illud suscipit, agnoscaturque ab eis; quonam pacto quæso pro confirmatis dici poterit *sponsor*, vel *fidejussor*? Quomodo paternam eorum curam gerere, quomodo eos instruere adversus visibiles, et invisibiles salutis hostes; quomodo eos declinantes ad semitam errorum ad rectum callem revocare curabit, si et eorum nomina ignorat, et quamvis nosset, numero obrueretur? Idem dicendum de unica muliere, quæ omnium fæminarum Matrina fuerit electa. Verendum proinde, ne hac methodo penitus evertatur Ecclesiæ mens, et finis, quem sibi in dandis Patrinis proposuit; eoque certius quia Pontificale Romanum præcipit, ne eodem die alicui fas sit Patrini fungi officio ultra duos; et cohæret consuetudo Romanæ Ecclesiæ Orbis universi Matris, et Magistræ; et probat Edictum Emi Urbis Vicarii, quod evulgatur quolibet anno, et quo mandatur, *che nessuno tenghi a cresima se non uno, o due, senza espressa nostra licenza*.

Verum Fesulanæ Diæcesi favet longeva, et fortasse centenaria consuetudo; quæ in aliis quoque Hetruriæ Diæcesibus obtinet, ac præsertim Florentina, Aretina, Pistoriensi, Pisana, in quibus omnibus ad suscipiendos confirmandos pro masculis vir unus, et una mulier pro fæminis a Parocho, vel ab Episcopo designatur. Quamobrem non sine difficultate res in pristinum restitui posse videtur: quomodo vero consultum sit cognationi spirituali, accurate tradidit Præsul Fesulanus. Quando autem facile nequeunt plures haberi Patrini, receptissima est sententia, unum eadem die erga plures hoc fungi munere posse, uti cum cæteris monent *Barbosa part. 2. de off. et potest. Episcopi alleg. 30. n. 52., La Croix part. 1. lib. 6. n. 393.*

Quo vero ad paternam curam gerendam Confirmatorum, quam in tanto eorum numero negligi necesse est, animadverti poterit, suppleri hanc per Patrinos Baptismi, quibus primario hujusmodi onus imponitur, et qui primi in defectum parentum vocantur ad christiane educandos pueros e sacro fonte susceptos.

ptos. Reque vera admodum raro contingit, ut Patrini Confirmationis negligentiam, et ignaviam Parentum, ac Baptismi Patrinorum supplere cogantur.

Dirimendum itaque proponitur

Dubium

An, et quomodo probandus sit usus Fesulanæ Diœcesis in casu etc.

Die Sabathi 12. Julii 1823. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SINGULANA JURIUM PAROCHIALIUM.

Sess. 24. cap. 13 de Reform.

Dubium

An sit annuendum Oratoris precibus in casu etc.
Negative

FESULANA SACRAMENTI CONFIRMATIONIS.

Sess. 24. cap. 2. de Refor. Matrim.

Dubium

An, et quomodo probandus sit usus Fesulanæ Dioecesis in casu etc.

Non esse probandum, sed tolerandum in casu necessitatis ab Episcopo judicandæ ad formam Pontificalis Romani.

OSTU-

Sess. 22. cap. 7. de Reform.

OSTUNEN. APPELLATIONIS. Quæsitum est per *Summaria Precum* in Comitiis diei 25. *Januarii labentis anni*, quinam sit Judex, ad quem appellatio, a Sententia Ostunensis Vicarii Generalis interposita a Canonico Ecclesiæ Cathedralis Ostuni, sit deferenda, ut controversiam in secundo jurisdictionis gradu definiat. Rescriptum tunc prodiit *Ponatur in Folio, cum Voto D. Secretarii*: meritissime autem ad Sac. Purpuram evecto clarissimo Viro, qui summo omnium plausu Secretarii munus obibat; mandatis Sac. Congregationis obsequens, Votum exaravi, quod in calce hujus Folii habent EE PP., quorum sapientiæ erit dirimere.

Dubium

An, et ad quem deferenda sit appellatio in casu etc.

Affirmative, ad Archiepiscopum in casu, de quo agitur, attenta appellatione jam interposita juxta votum D. Secretarii.

Sess. 25. cap. 9. de Reform.

MONTIS ALTI CAPELLANIAE. Achilleus Tassi de Monte Elparo *anno* 1668. Officialibus Societatis *Cinguli Matris Dei* in Civitate Prati erectæ scuta bismille tradidit *ad effectum reinvestiendi, et cum illorum fructibus constituendi, et erigendi Capellaniam perpetuam, exercendam a Sacerdote sæculari, qui teneretur quotidie celebrare, seu celebrare facere Missam pro ipsius Achillei anima*. Pactum autem resolutivum addidit, ut nisi trium mensium spatio ejus voluntatem exequerentur prædicti Officiales, omnia conventa nullius roboris essent, et ipsi *Achilleo liceret Capellaniam erigere ubicumque ei visum esset.*

Capellaniæ erectionem neglexerunt Sodales, et ideo ab Agnete Tassi, Francisci Agostini uxore, et Achillei interim defuncti Nepte, tanquam Avi hærede in jus vocati fuerunt; obtinuitque Agnes, ut Judex, ad quem con-

controversia fuit delata, definiret eosdem Sodales a jure erigendi Capellaniam cecidisse, illosque ad restituenda scuta bismille condemnaret. Piam Achillei voluntatem, recuperatis pecuniis, Agnes exequi cupiens, in Ecclesia *S. Mariæ Novellæ Terræ Montis Elpari, Dioecesis Montis Alti, et præcise in illius Altari majore erexit, et constituit, et fundavit de jure Patronatus ejusdem Agnetis et suorum hæredum, et successorum, unam Officiaturam, seu perpetuam Capellaniam mere laicalem pro uno Capellano Clerico, seu Presbytero, semper eligendo, et nominando ab ipsa Fundatrice, quousque vixerit, et post ejus obitum a suis hæredibus, et successoribus quibuscumque in infinitum, cui, et quibus libere spectat, et pertinet jus nominandi, et eligendi prædictum Capellanum Clericum, seu Presbyterum, amovibilem ad nutum ipsius Agnetis, et suorum hæredum, et successorum quorumcumque, ut supra, etiam sine causa.* Filium vero suum Clericum Thomam Achilleum Agostini, eodem fundationis actu, Agnes primum Capellanum nominavit, simulque clarioribus etiam verbis declaravit, Capellaniam esse mere laicalem, ac simplicem Officiaturam, ita ut nunquam censeri posset collativa, seu Beneficium Ecclesiasticum, vel alicui reservationi, aut affectioni obnoxia.

Juspatronatus hæredibus, et successoribus quibuscumque reservatum, Agnete defuncta, ad ejus Filios Victorium, et Drusillam æquo jure transiit. Victorii sex fuere filiæ; Anna Maria, et Birgitta innuptæ decesserunt, cæteras Pater nuptui tradidit, *Anastasiam* nempe Antonio Santori, *Antoniam* Josepho Sciamanna, *Agnetem juniorem* Philippo Santori, *Mariam Justinam* denique Dominico Santori. Infæcundum Antonia tantum experta est connubium: ex Anastasia ortus est Nicolaus; Agnes junior Luciam genuit, quæ Josepho Melloni nupsit: Maria Justina filias habuit Olimpiam, quæ cum Philippo Dorinzi Matrimonium contraxit, et Mariam Nicolaam, quæ Antonium Citaroli virum sibi adjunxit. Nicolaus Santori complures genuit filios, masculos Alexium, Josephum, et Athanasium, fœminas vero Eugeniam, vel Euphemiam, Theresiam, Celestinam, quam Carolus Pellei uxorem duxit, et

Petronillam, quæ *anno* 1817. intestata decessit. Lucia Josepho Melloni filios peperit Franciscum, Pacificum, Agnetem, et Carminam. Olimpia denique Familiam Dorinzi sex filiis auxit, tribus nempe masculis Josepho, Michaele, et Joanne, qui relicta filia Bernarda obiit, et tribus fœminis Maria, Lucia, et Rosa.

Itaque Juspatronatus, Victorio, ac Drusillæ Agostini æquo jure, unicuique scilicet pro semisse quæsitum, temporis lapsu inter Victorii descendentes multifariam est divisum. Drusilla siquidem *anno* 1742. hæredem ex asse scripsit Nicolaum Santori, Anastasiæ filium, suumque ex fratre Pronepotem, cui proinde semissem Jurispatronatus reliquit: Anastasia vero, Avia Fratrum Alexii, Josephi, et Athanasii Santori; nec non Antonia ejus Soror, et eorumdem fratrum Proamita, jus nominandi ad ipsas pertinens, solemni Instrumento prædictis Fratribus *anno* 1772. inter vivos donarunt. Athanasius quoque *anno* 1780. in minori adhuc ætate constitutus = *vedendo quasi tutto questo diritto di nominare compilato, ed unito nella famiglia degli Esponenti, e desiderando in avvenire per le solite diramazioni, che sogliono succedere nelle famiglie composte di più fratelli, non venga questo diritto a disperdersi in una moltitudine di soggetti, che rende difficile col tratto del tempo di riunire le voci, nascendone per lo più dispendiosi litigj, come successe, allorchè fu nominato Cappellano il defonto Padre di esso Esponente Niccola Santori; ha risoluto però, affine di ovviare a simili disordini, e perpetuare alla meglio in uno della propria sua famiglia tal diritto di nominare, con donazione irrevocabile* jus suum Alexio germano Fratri donavit. Pollicitus præterea est Athanasius, donationem hanc *sempre attendere, ed osservare, nè mai far contro, dire, opporsi, e venire sotto qualsivoglia pretesto, capo, causa, o ricercato colore, altrimenti a tutti, e singoli danni.*

Athanasii exemplum *anno* 1804. secuta est Maria Nicolaa Santori, Antonio Citaroli nupta, et solemnibus donationis tabulis jus suum nominandi præfato Alexio inter vivos cessit. Alexius vero, qui tot donationibus maximam Jurispatronatus partem acquisierat, et Capellaniam possidebat, *anno* 1819. ultimum condidit elogium, quo hæredem universalem instituit Protha-

Prothasium Trojani, et die 11. *Julii* 1820. decessit. Novum Capellanum illico nominarunt Patroni, sed non eadem omnium fuit voluntas: nam Prothasius Trojani Alexii hæres die 4. *Novembris* 1820. fratrem suum Sacerdotem Gervasium elegit, in quem nominationem quoque suam contulerunt Maria Nicolaa Santori, quæ jus suum Alexio jam donaverat, Maria Lucia, et Bernarda Dorinzi, nec non Pacificus Melloni Luciæ Santori filius.

Verum Athanasius Santori, qui minorem ætatem agens jus nominandi Alexio cesserat, post ejus obitum donationem irritam dicens, tum quia Alexius in extraneum juspatronatus contra ipsius donantis votum transtulerat, tum quia ipsemet Donans matrimonium deinde inierat, et filiam susceperat, favore Clerici Achillis Pellei, ex Sorore Celestina Nepotis, suam nominationem emisit. Coaluerunt in Clericum Pellei suffragia quoque Theresiæ, Eugeniæ, vel Euphemiæ, ac Celestinæ Athanasii Sororum, nec non Francisci, Carminæ, Agnetis, et Pacifici, filiorum Luciæ Santori Josepho Melloni nuptæ: Pacificus enim, uti laicus Patronus, nominationem, prius Sacerdoti Gervasio Trojani concessam revocavit. Maria quoque Nicolaa, Mariæ Justinæ filia, post donationem in Alexium collatam, jus nominandi donavit Josepho Pellei, cujus filius Julius Clericum Pellei nominavit, ac deinde Sacerdotem Gervasium Trojani præsentavit. Denique Michael, et Rosa Dorinzi, Olimpiæ Filii, nominationem favore Clerici Pellei ediderunt. Joseph Dorinzi Olimpiæ filius neminem nominavit: Joseph vero Santori, Nicolaì filius, ad triremes ad vitam damnatus, nullam tunc nominationem emisit.

Lis igitur inter præsentatos exarsit, quæ in Episcopali Curia Montis Alti est acta: prodiitque die 24. *Aprilis* 1822. Sententia, qua Clericum Pellei majoritate vocum gaudere, ideoque Capellaniam ad ipsum spectare fuit definitum. Sed provocationem interposuit Sacerdos Gervasius Trojani, et Litigatoribus consentientibus ab R. P. D. Auditore SSmi controversiæ notio Sacro huic ordini fuit ablegata. Interea Joseph ad tri-

remes damnatus nominavit Sacerdotem Trojani *die primo Aprilis* 1823. et separata syngrapha *eodem die* exarata jus suum Prothasio Trojani cessit hac inita pactione. *In correspettività di tal cessione detto Sig. Protasio qui presente per se, e suoi dovrà corrispondermi mia vita naturale durante l'intera metà dei prodotti, che annualmente renderanno i Fondi, formanti la dote di detta Cappellania . . . togliendosi del comune le sole imposte prediali, e non altro, e molto meno il peso delle Messe.* Concordato dein Dubio, allegationibus utrinque distributis, et genealogico schemate exhibito, Causa hodie definienda proponitur.

Sacerdos Gervasius Trojani quæstionem in facto potius quam in Jure versari dicit, ac omnino a majoritate vocum pendere, quam pro se stare asserit. Prothasius enim (ita ipse disserit) ex Testamento Alexii obtinuit Jurispatronatus trientem: uncia enim gaudebat Alexius tamquam filius, et hæres Nicolai Drusillæ donatarii, alteram vero unciam assecutus erat, uti unus e donatariis Anastasiæ, et Antoniæ Sororum Agostini; sextantem denique habebat, veluti donatarius Athanasii. Donatio autem in suo robore manet, quia minorem quidem ætatem agebat Athanasius, sed omnibus adhibitis solemnitatibus a Jure præscriptis Instrumentum fuit stipulatum; præterea quadraginta et amplius anni elapsi sunt, quin de ejusdem Instrumenti nullitate conquestus sit donans, idque exceptionem omissæ insinuationis prorsus excludit. Spernendam quoque dicit exceptionem alteram, quam Clericus Pellei de donationis rescissione ob filios Athanasio superventos proponit: Hoc enim casu donationes non ex Legis dispositione, sed ex Jurisconsultorum opinione rescindi asserit; idque ad donationes tantum pertinere, quæ universales sint. Quidquid vero de Athanasii donatione sentire placeat, serotinam esse contendit rescissionis exceptionem, cum ultra quinquennium fuerit proposita *Novel. 92. cap. 1. in med. Leg. ult. C. de inof. donat, Leg. si quis filium. 34. in fin. C. de inoff. Testam*: minimeque in hoc judicio audiendum Clericum Pellei, qui ad rescissionem donationis obtinendam in separato congruo judicio agere tenetur.

Trien-

Trienti vocum patronalium, quem sibi ex indicatis rationibus asserit Sacerdos Trojani addendas ostendit voces Mariæ Nicolaæ, ad quam uti filiam Mariæ Justinæ novem ex duodecimis unciæ partibus pervenerunt; itemque voces Bernardæ, Mariæ, et Luciæ, Dorinzi, quæ omnes simul quatuor ex duodecimis unciæ partibus cum dimidio obtinent. Inde vero concludit, sibi favere quinque Jurispatronatus uncias, ut unam ex duodecimis unciæ partibus, cum dimidio: Clericum autem Pellei quatuor tantum uncias, et novem duodecimas unciæ partes pro se numerare posse, cum et Josephus Dorinzi, et Josephus Santori nullam nominationem emiserint, hic autem sero quidem, sed ipsum Sacerdotem Trojani nominaverit, adeo, ut ad calculum revocata ejus nominatione, septem uncias, et unam duodecimam unciæ partem cum dimidia idem Sacerdos sibi adscribere valeat.

Longe tamen aliter patronales voces enumerat Clericus Pellei, quarum medietatem, et ultra, sibi uni tributam propugnat. Primo enim omnino excludit Athanasii donationem, tum quia ejus insinuatio desideretur, quæ necessaria erat ex Ægidianæ Constitutionis sanctione, tum quia filiam suscepit Athanasius, et filiorum superveniential, donatio ipso jure, et absque ullo hominis facto, ac ministerio rescinditur *Leg. si unquam C. de revoc. Donat.*, *Vivian. de Jurepatron. Lib.* 4. *n.* 31. *et seq.* Athanasii donatione eliminata, suis stare viribus censenda erit nominatio ab eodem Athanasio favore prædicti Clerici emissa; cui si nominationes addantur in eum ab Eugenia, vel Euphemia, Theresia, et Celestina Sororibus Santori collatæ, ex his tantum pro ipso stare quinque Jurispatronatus uncias facili calculo deprehendetur.

Addendas monet Clericus Pellei tum voces filiorum, et hæredum Luciæ Santori, uxoris Josephi Melloni ad quos uncia, et medietas alterius unciæ Jurispatronatus spectat; tum nominationes Rosæ, et Michaelis Dorinzi, qui tribus duodecimis unciæ partibus potiuntur. Quorum omnium ea est collectio, ut idem Clericus sex uncias, et novem duodecimas alterius unciæ partes, uti sibi faventes proferat. Denique si me-

medietatem tantum vocum obtinuisset, confirmandam nihilominus esse Sententiam Curiæ Episcopalis Montis Aiti contendit, quæ Capellaniam ipsi addixit, quandoquidem a Fundatrice descendit, et ad Patronorum genus pertinet, ideoque Sacerdoti Trojani prorsus extraneo est præferendus *Rota cor. Ansald. decis.* 400. *n.* 60., *et cor. Oliv. dec.* 425. *n.* 3.

Silentium Josephi Dorinzi non nominantis sibi prodesse animadvertit Clericus Pellei, cum jamdiu statutum sit, voces non præsentantium Patronorum præsentatibus accrescere *Rota cor. Coccin. Dec.* 2318. *n.* 2., *cor Merlin. dec.* 448. *n.* 2. *in Spoletana Beneficii* 10. *Martii* 1794. §. 7. *cor. Acciajuoli*. Despiciendam quoque, imo reprobandam sustinet nominationem sero, et simoniace a Josepho Santori emissam, cujus pravitas ex conventione cum Prothasio Trojani inita erumpit, ex qua fit, ut idem Joseph nominandi jus, si quod ei, licet ad vitam ad triremes damnato, remanserit, in pœnam tanti criminis amiserit, eademque de causa Sacerdoti Gervasio Capellania sit prorsus deneganda. Quamvis enim prædicti Sacerdotis nomen in Syngrapha Simoniacæ conventionis minime legatur, ex verbis tamen superius relatis agnosci asserit Clericus Pellei, Gervasium quoque iniquæ pactioni consensisse; aliter siquidem Prothasius ejus frater dimidiam Capellaniæ fructuum partem Josepho promittere nequivisset. Si igitur ultra dimidium patronalium vocum pro se habet Clericus Pellei; si etiam ob simoniam rejiciendus est Sacerdos Trojani; concludit idem Clericus, Capellaniam sibi omnino esse adscribendam.

Minime tamen prætereundum, hic agi de Capellania mere laicali, relate ad quam negant magni nominis Doctores intervenire posse simoniacam labem, inter quos *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 5. *n.* 25., *Reiffenst. Lib.* 3. *tit.* 5. *n.* 72. *Fargn. De jurepatron. part. II. can. XII.*, *et XIII. cas.* 7. *n.* 5. *et sequent.* Attamen has conventiones in Capellaniis mere Laicalibus semper reprobavit S. hæc Congregatio, præsertim in *Viterbien.* 15. *Januarii* 1661. in *Vercellen. Beneplaciti* 27. *Aprilis* 1709. *et in Spoletana Capellaniæ* 15. *Novembris* 1710.

Cæ-

Cætera EE. PP. habent in allegationibus ex utraque parte distributis, quas assumere precor, ut respondere possint.

Dubio.

An, et cujus favore constet de legitima nominatione, ita ut, et cui sit danda manutentio, seu potius reintegratio in casu. etc.

Affirmative favore Sacerdotis Gervasii Trojani.

NARNIEN SUBSIDII DOTALIS = Prole carens Comes Dominicus Alberti Patritius Narniensis, ultimo, quo decessit elogio, Prælaturam ex omnibus suis bonis institui jussit, ad quam assequendam ex universo Narniensium Patriciorum cætu eos invitavit, qui certis ab ipso designatis qualitatibus pollerent. Complures a Testatoris obitu effluxerunt anni, quin ullus ex Patriciis Narniensibus Prælaturam assequi curaret: quam ob rem cl. me. Cardinalis Borgia, Civitatis Narniensis Visitator Apostolicus mandavit, ex reditibus Bonorum a Com. Dominico relictorum quotannis detrahi *scuta* 500., atque in Sac. Æde Pietatis deponi, publici Consilii auctoritate eroganda in collationem *sex* subsidiorum dotalium, *previa l'elezione per sorte due de' quali in Scudi* 190. *alle Figlie de' Confalonieri, e Consiglieri, e gli altri quattro in scudi* 30. *alle Zitelle oneste d' inferior grado, nate, e domiciliate in Narni*: reliquos autem reditus cumulari, et investimento collocari, donec Patricius Prælaturæ dignus adesset. *Sess.* 24. *Cap.* 6. *de Refor.*

Juvenalis Brunelli, ex Patricia ortus Narniensi familia, cujus Majores præcipuis publicis muneribus Narniæ functos esse constat, cum Romæ degat, et Causarum Sac. Palatii Apostolici Patronus Romanam Curiam sequatur; *anno* 1802. Summum Pontificem exora-

ravit = *ad abilitare le di lui figlie a poter consegui-re i sudetti sussidj dotali, non ostante non abbia il domicilio fisso in Narni* = Audito Narniensi Ordinario, voti compos factus est Brunellius, curavitque Pontificium Rescriptum executoriali ejusdem Ordinarii Decreto muniri, illudque in Municipale Narniense Tabularium referri.

Jussa Cardinalis Borgia neglecta primum, deinde pessumdata a Narniensibus Proceribus fuere, qui nullo præeunte de qualitatibus puellarum examine, pro lubitu tam nupturis, quam nuptis, tam legitimam, quam infantilem, imo et senilem ætatem agentibus tam Narniensibus, quam advenis, tam unicum, quam plura simul vel identidem dotalia subsidia contulerunt. Inde vero enormis clades hæreditati Com. Dominici est illata; ad quam reparandam *die* 3. *Maji* 1820. Narnienses Municipes a' Sacratissimo Principe obtinuerunt 1.° Intermitti redituum cumulum quousque dotes jam promissæ, omnes ad unam fuerint persolutæ 2.° Minui dotium quotannis conferendarum numerum, earumque, nec non et jam collatarum quantitatem, *ad Scuta* 150 pro puellis patriciis, et ad *Scuta* 25 pro cæteris puellis, donec omnia in pristinum restituerentur.

Brunellius tamen fretus Pontificio Rescripto *anni* 1802. Sacratissimum Principem supplex adiit petens, ut Narnienses Municipes adigerentur ad præstandum dotale subsidium *scut.* 190. Aloysiæ filiæ suæ, quæ *die* 17. *Septembris* 1820. matrimonium contraxit. Precibus ad hanc Sac. Congregationem ablegatis, rogatus de more fuit Narniensis Episcopus pro informatione, et voto, auditis præsertim PP. RR. et dotium Collatoribus, eisque præfixo termino ad deducenda jura sua; responditque, innumeros in collatione Dotium revera irrepsisse abusus, quos ope Rescripti Pontificii *diei* 3. *Maji* 1820. e medio tollere Narnienses Municipes curarunt. *Brunelli Oratoris filiam nunquam Operæ piæ Dotem obtinuisse, sed tantum ad ipsum assequendam vigore Pontificii Rescripti diei* 9. *Septembris* 1802 *habilitatam fuisse meumque Antecessorem in suo executoriali Decreto apposuisse* ,, quoad ,, imbussulationem, et extractionem serventur, quæ ,, præ-

„ præscripta sunt in Decreto Emi, et Rmi D. Card.
„ Borgia.„

Siluit Orator (pergit idem Episcopus) *nec unquam locum habuit extractio, eo quod per plures continentes annos Dotes jure fuerant collatæ. Rescriptum itaque ab Oratore obtentum nullimode fuit absolutum, sed arbitrio Episcopi remissum, qui censuit, ut ejus filiæ, sicut et cæteris darentur sortes, et hoc prorsus est, quod adhuc desideratur. Nunc autem conjugalis status opponitur, cum nuptæ ab ipso Testatore excludantur, nec ullimode putarem in tam providæ reformationis exordio ab ipsa statim declinare. Et hoc Publicum repræsentantes senserunt. Intactum tamen aliis Oratoris filiabus jus remanet ad extractionem, cum nubendi erit occasio.*

Habent EE. PP. in Memoriali distributo a Brunellio, quæ ipse adducit ad jura sua tuenda pro assecutione subsidii dotalis favore Aloysiæ filiæ suæ jam nuptæ. Narnienses vero Municipes quædam Folia exhibuerunt, et contenta in eisdem rationum momenta ex officio proponi exorarunt.

Multos irrepsisse abusus in collatione Dotium non negant Municipes; imo ingenue fatentur Collatores nullo delectu, ac temere prorsus, omni abjecta norma præfinita a cl. me. Cardinali Borgia, dotalia subsidia distribuisse. Verum contendunt, non ideo quæsitum jus esse Brunellio, ut Dotem pro filia sua Aloysia jam nupta consequatur; ipsisque assentitur Narniensis Episcopus. Indulto enim Sacratissimi Pontificis cujus executio eidem Episcopo commissa fuit, Brunellius obtinuit, ut ejus filiæ cum cæteris puellis Narniensibus sorti committi possent juxta præscripta a Cardinali Borgia; si vero sors illis arrideret, dotale subsidium assequerentur. Incuria, et imprudentia Collatorum quævis prætermissa fuit sortitio; nunquam autem Brunellius apud Narnienses Municipes instetit, *ut imbussulationem, et extractionem*, in executoriali quoque præfati Episcopi Decreto reservatam explerent.

Inde vero inferunt Municipes, nullum jus Aloysiæ acquiri potuisse ad obtinendum dotale subsidium: et nunc ipsam jam nuptam, juris etiam quærendi

 spem

spem omnem amisisse, cum Testator puellis consulere voluerit, ut honeste nubere possent. Fæminas autem viro jam conjunctas penitus excluserit. Addunt præterea, Pontificio Rescripto *diei* 3. *Maji* 1820. statutum fuisse, ut præstentur Dotes jam promissæ, ac superextantium redituum cumulo, et investimento in pristinum omnia restituantur: implendam vero esse Rescripti legem, quæ conferendarum Dotium numerum, et quantitatem imminuit.

Si dotale subsidium Aloysiæ præstandum EE. PP. censeant, quia Juvenalis ejus Pater, ut ex distributa Allegatione cognoscent, illud ab Episcopo Narniensi petiit per aliquot Menses antequam Filiam matrimonio collocaret: decernant oportet, an *scuta* 150. juxta recens Pontificium Rescriptum, ante indicatam Brunelli petitionem editum, an potius *scuta* 190. sint solvenda, quæ assecuta fuisset Aloysia, si Collatorum negligentia sortitio prætermissa non fuisset diuturno *octodecim* annorum lapsu, quibus ipsa sortem experiri, et aliquando sibi faventem sperare poterat; et quibus dotalia subsidia immerentibus temere fuere tributa. Illud quoque pro sua sapientia perpendant, an Collatorum culpæ adscribendum sit, Aloysiam dotali subsidio carere, adeo ut ipsi damnum eidem illatum emendare teneantur juxta notissimos Juris canones, quibus statutum est, non debere alteri per alterum iniquam conditionem inferri; damnum dedisse censeri, qui damni causam dedit, et damnorum auctores ad ea sarcienda teneri:

Proponitur idcirco dirimendum

Dubium

An, quando, in qua summa, a quibus, et quomodo præstandum sit dotale subsidium Aloysiæ Brunelli in casu etc.

Aloysiam Brunelli esse imbussulandam, donec sorte extrahatur pro subsidio scut. 150. ad formam rescripti diei 3. Maji 1820., et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.

TU-

TUDERTINA, SEU INTERAMNEN. SACRÆ ORDINATIONIS. In Oppido Montis Castrillorum Tudertinæ Diæcesis ortum habuit Franciscus Maria Patrizj, ibique primis litterarum rudimentis imbutus, iisque disciplinis est excultus, quibus adolescentium ætas ad graviora studia capessenda informari solet. Clericali Tonsura a Tudertino Episcopo accepta, Interamnam petiit, ubi studiorum causa in Collegio Societatis Jesu fere a quinquennio degit: cumque secutus est Pater, qui deinde per actum publicum in eadem Civitate domicilium elegit, ac jurisjurandi interposita religione, se ibidem perpetuo moraturum declaravit. *Sess.* 14. *Cap.* 2., *et* 3. *de Reform. Sess.* 23. *cap.* 8. *de Reform.*

Clericus Patrizj minores Ordines suscipere, ac deinde ad Sacros Ordines promoveri vehementer exoptans, testimoniales Litteras a Tudertino Episcopo ratione originis petiit, qui eas negavit, ut illum ad suam Diæcesim revocaret: supplex itaque hanc Sac. Congregationem exorat, ut facultates Interamnensi Episcopo tribuat, quibus ipsi et minores, et Sacros Ordines impertiri valeat.

Rogavi de more Tudertinum Episcopum, ut referret *de Oratoris ætate, vita, moribus, tempore absentiæ, et legitima causa denegatarum testimonialium*, qui ita sensus animi sui aperuit. = *Referre debeo, me ætatem Oratoris præcisam latere, ast dubio procul constitutum esse in ea ætate, quæ ad Sacros etiam Ordines suscipienda necessaria est. Circa mores, et vitam ejus quoad tempus, quo in Patria moratus est, nihil ad me, quod reprehendendum esset, delatum est. De subsequenti vero tempore nullum ferre possum testimonium, sed alterius Episcopi, sub cujus jurisdictione mansit, attestationem exhibere debebit. Orator ortum habuit in Castro Montis Castrillorum a parentibus ibi degentibus, et omnia bona ibi possidentibus. Quatuor ab hinc annis, studiorum causa Interamnam secessit, cum jam prima Grammaticæ elementa in prædicto Castro suæ nativitatis fuerit edoctus. Pater ejus paulo post Interamnam et ipse se contulit, ut ibi fabri artem exerceret; et videns renuentiam meam in tradendis litteris dimissorialibus,*

ut filius suus Franciscus Maria Orator promoveri posset ad Ordines ab Antistite Interamnensi, domicilium fixit in eadem Civitate, mediante actu Cancellariæ Episcopalis, edito coram Vicario Capitulari elapso anno, sibi male suadens, haud sibi amplius necesse esse a me Litteras dimissoriales impetrare. Sed eum spes fefellit; admonitus namque a peritis Ecclesiasticis de necessitate obtinendi eas a proprio Episcopo; Orator accessit ad me instans, et rogans, ut sibi tales Litteræ traderentur. Eas denegavi, et iterum denegabo sequentibus justis de causis. Singula bona Oratoris extant in Castro Montis Castrillorum; domum habet intra Castrum inhabitatam a suis Conjunctis, præter Patrem, qui sæpe sæpius recipit victualia ab ipsis conjunctis Interamnam deportanda, ut vitam servare possit. Duos Orator habet Patruos Sacerdotes, unus est Innocentius nomine, qui ipsum penes se habere peroptant, et excipient, et hic præsertim Innocentius, ut mihi pluries edixit. Orator Clericus renuit, eo quia societate perfrui in magna Civitate concupiscit; ex quo aliqua ex parte deduci posset, ipsi deesse spiritum veræ vocationis. Alia causa, et hæc est præstantissima, est sequens. In hac Civitate, et Diœcesi viginti Parœciæ suo sunt viduatæ Pastore, et in quinque præsertim, ubi non pauci incolæ sunt, nullus omnino reperitur Sacerdos, adeo ut diebus festis, nec Sacrum ibi habeatur, neque Cathechesis, nec qui auxilium spirituali præbeat morituris. Quod quidem meum maximopere angit animum. Insuper in diversis aliis Parœciis plures Parochi extant senio confecti, cæcitate laborantes, debiles, infirmi, et ad subeunda Parochialia munera prorsus inhabiles. His in angustiis æquum ne est, me concedere veniam Clericis meis Parœcianis, ut ad excolendas alias Domini vineas se conferant? Essem ne tutus in conscientia, et coram Deo, et coram hominibus? Omnes me egere Ecclesiæ Ministris et sciunt, et intuentur. Si ergo Clericis licentiam alio abeundi concederem, numquid hac super re boni præsertim Diœcesani scandalum non paterentur? Ad Patriam pergat Orator, ad Patruos divertat, qui illum brachiis amplectentur extensis, et præsertim adire posset

set

sel Patruum Ignatium Patrizi, Parochum Castri Farnetæ, cui et jam senescenti, et adversa valetudine exagitato suppetias ferat Ego paratus sum Oratori Sacros Ordines conferre, et sic ipse dolori meo paulisper medebitur, et propriæ Diœcesis animarum saluti auxilium præstabit. Hæc profero tamquam Episcopus mœrore confectus super desolatione Ecclesiæ populi mei, quærens requiem; et mihi lasso iste requies non datur, et facta est amaritudo mea amarissima, cum perpauci sint juvenes, qui veniant ad Sanctuarium, ut Deo inserviant, et proximorum curandæ saluti se exhibeant. Spero, et firmiter spero, EE. VV. omnem daturas operam, ut hæc mea justa vota executioni demandentur.

Interamnensem quoque Episcopum requisivi, qui hæc retulit. *Familia Oratoris Patrizj, e terra Montis Castrilli Tudertinæ Diœcesis, quinque ab hinc annis circiter deseruit Patriam suam, et Interamnam petiit, in qua moram duxit, et ducit animo ibidem semper manendi, et in qua Pater Clerici Oratoris exercet se in opere fabrili. Hinc animum intentum adjunxit dictus Clericus ad scientias acquirendas in hoc Collegio Soc. Jesu, in quo tum in studiis, tum in pietate multum profecit ac ejus vita et mores plane concordant cum iis, quæ pro Clericis a Tridentina Synodo sancita fuere.*

Firme autem Oratoris voluntati Deo inserviendi in statu Ecclesiastico penes Parentes suos obstet Episcopus Tuderti, qui denegat suum assensum, ut possit in hac Civitate ad alios Ordines ascendere, et omnino vult, ut ad suam redeat Diœcesim.

Examinatis circumstantiis ipsius Oratoris, nec non Parentum, quibus datum non est ob illorum inopiam longe ab ipsis proprium filium sustentare; ac perspecta bonitate, et animi dimissione ipsius Oratoris una cum constanti dispositione manendi inter suos in hac Civitate, in qua modo inservit Capitulo hujus Ecclesiæ Cathedralis in officio Magistri Cæremoniarum, et opus suum omni cum studio exercet, et diligentia pari: mihi videtur consequi posse ab EE. VV. quantum efflagitat.

Statuit Tridentina Synodus, ut unusquisque a proprio Episcopo ordinetur; si quis autem ab alio promoveri

ri petat, nullatenus id ei permittatur, nisi ejus probitas, ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur: *si secus fiat, Ordinans a collatione Ordinum per annum, et Ordinatus a susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, sit suspensus Sess. 23 Cap. 8. De Reform.* cui consentiunt sancita in *Sess.* 14 *cap* 2. *et* 3. *de Reform.* Episcopi autem subditus quoad Ordines licite suscipiendos potest quis esse ratione originis, aut fieri ratione domicilii, uti communiter tradunt Doctores ad textum in cap. *cum nullus* 3. *de temporibus ordin. in* 6, *Trid. Sess.* 23 *Cap* 8. *de Reform. Benedictus XIV. Notifi.* 33. §. 6, et patet ex Constitutione Innocentii XII. incipien. *Speculatores* edita die 4. *Novemb.* 1694., juxta quam, ut vere domicilium acquisitum dicatur, omnino oportet, ut quis *satis superque suum animum ibidem perpetuo manendi demonstraverit*. Id autem demonuit Pontifex, vel *per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando*: voluitque præterea ad eliminandas fraudes, ut domicilium acquirere cupiens, præter juris præsumptionem ex utraque causa manantem, *vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet.*

Hæc autem statuit Pontifex quoad eos, qui novum domicilium acquirere velint, atque Ecclesiasticam militiam profiteri: at in themate omnia servavit Clerici Oratoris Pater, qui non modo *per aliquod considerabile tempus* Interamnæ jam est moratus; verum se animum habere ibi perpetuo permanendi jure-jurando affirmavit. Inde vero consequens esse videtur, familiam ejusdem Oratoris in prædicta Civitate domicilium vere acquisivisse, præsertim vero Oratorem, qui cum Patre habitat, et cui paternum domicilium communicari ad *Text. in L. Filius Cod. De municip.* monuit S. C. Congregatio in *Bononien. seu Ferrarien. Ordinationis* 14. *Novem* 1733. Neque mutandi domicilii defuit ratio, utilitas nempe, quam Oratoris Pater sibi tuto polliceri poterat, cum fabrilem artem exerceat, ideoque et plures, et facilius in Civitate Interamnæ, quam in parvo Montis Castrillorum Oppido, invenire possit, quibus operam suam locet.

Ve-

Verum nec deest in præsenti casu Tudertini Episcopi testimonium de probitate, ac moribus Clerici Patrizi, cum Episcopus in sua Informatione sit fassus: *circa moris, et vitam ejus, quoad tempus, quo in Patria moratus est, nihil ad me, quod reprehendendum esset, delatum est*. Omnia proinde concurrere videntur, ut ab Interamnensi Episcopo idem Clericus possit ad Ordines etiam Sacros promoveri.

Obstare tamen poterit, nequaquam apparere Oratoris Patrem *majorem rerum, ac Bonorum suorum partem cum instructis ædibus* Interamnam transtulisse, uti cumulative ad moram *per aliquod considerabile tempus* Innocentiana Constitutio requirit: ideoque negari posse, quod ibi *larem, rerumque, ac fortunarum suarum summam constituerit, unde rursus non sit discessurus, si nihil avocet, unde cum profectus est peregrinari dicitur, quo si rediit peregrinari jam destitit* =, uti habet Textus in *Leg. Cum quidem 7. Cod. de municip. Lib.* 10. Testatur enim Episcopus Tudertinus, quod = *singula bona Oratoris extant in Castro Montis Castrillorum; domum habet intra Castrum inhabitatam a suis conjunctis præter Patrem, qui sæpe sæpius recipit victualia ab ipsis conjunctis Interamnam deportanda, ut vitam servare possit* = Videant itaque EE. VV., an hæc, et alia, quæ in superius relata Episcopi Tudertini Informatione fuse narrantur, suspicionem inducere valeant fraudis; quæ cæteroquin minime præsumenda est, at, ubi intercedat, nemini patrocinari debet. Perpendant quoque, num difficultas ex non translatione majoris partis rerum, et bonorum erumpens evanescat, quia Oppidum Montis Castrillorum non longe ab Interamnæ Civitate distet.

Cum autem retulerit Episcopus Tudertinus, quod Clericus Patrizj *duos habet Patruos Sacerdotes, unus est Innocentius nomine, qui ipsum penes se habere peroptant, et excipient, et hic præsertim Innocentius*, nosse oportet, datis ad eumdem Clericum Litteris; Sacerdotem Innocentium aperte testatum esse = *Le mie finanze non mi permetterebbero di mantenervi in Casa mia un mese solo. Voi lo sapete benissimo.* Quamobrem

rem si Clericus Patrizj ad Tudertinam Diæcesim rediret, seorsim a Patre, et a Patruis, ac fortasse in extraneorum domo, vel solus, vel cum ipsis extraneis habitare cogeretur.

Dignentur itaque EE. VV. dirimere.

Dubia

I. An Episcopus Interamnen. possit ordinare in casu etc

Et quatenus negative

II. An Episcopo Interamnen. impertiendæ sint facultates, ut licite ordinare valeat in casu etc.

Ad I. Affirmative.

Ad II. Provisum in primo.

Sess. 25. Cap. 3. de Reform.

ROMANA, SEU URBEVETANA QUARTÆ FUNERALIS. Denegata a Capitulo Urbis Veteris Quarta Funerali, quam Parochus S. Andreæ de Fractis Urbis postulavit ob exequias cl. me. Cardinalis Scotti in Ecclesia Cathedrali Urbevetana celebratas, die 16. *Septembris* 1820. propositum fuit Dubium = *An portio canonica debeatur ab Ecclesia Urbevetana Parocho S. Andreæ de Fractis in casu ec.* = et prodiit responsum = *Affirmative ad formam statuti Cleri Romani* = Instaurandi certaminis veniam obtinuit Urbevetanum Capitulum, ac denuo sua jura protulit; hinc eadem quæstio ab EE. VV. est hodie iterum dirimenda.

Nihil profecto novi affert Capitulum, dum a præstatione Quartæ sese immune asserit, quia Officium in Urbevetana Ecclesia Cathedrali celebratum, non funus, sed suffragium tantummodo appellari debeat. Cadaver enim ad Ecclesiam loco dumtaxat depositi, non vero ut sepulturæ traderetur, delatum fuit: funus autem absque sepultura haberi non posse autumat Capitulum; quoniam SS. Canones præcipiunt, et Docto-

ctores communiter tradunt, Quartam funerum ab Ecclesia tumulante esse solvendam.

mmunitatem a funeralis Quartæ solutione ex distantia locorum eruere, Capitulum denuo nititur. Quamquam enim Parocho domicilii portionem canonicam deberi fateatur, si defunctus in alia Ecclesia sibi sepulturam elegerit, aut in sepulchro majorum tumuletur: attamen si mors eo contingat in loco, ex quo ad propriam Paræciam cadaver deferri nequeat, vel propter distantiam, vel propter aliquod periculum; nihil omnino Parocho domicilii persolvendum arbitratur, ita monente *Bened. XIV. Instit.* 105. *n.* 41. Latet vero neminem adeo Urbevetanam Civitatem ab Urbe distare, ut Cadaver cl.me.Cardinalis Scotti ad Paræciam S.Andreæ de Fractis deferri non posset.

arochum vero S. Andreæ, ex Statuto Cleri Romani nullum sibi præsidium adsciscere posse Capitulum contendit, quia nempe statutum lex est particularis, cujus vis, atque auctoritas limites loci, in quo latum fuit, prætergredi non valet, ne ex confirmatione quidem Romanorum Pontificum; nisi expresse statuerint, legem illam esse ubivis locorum servandam Nullimode autem constat, Summos Pontifices ita Statuta Cleri Romani confirmasse, ut ad eorum observantiam Clerum omnium Ecclesiarum, omnium Diæcesum Parochos teneri voluerint.

'ræterea si Statuta Cleri Romani vim haberent alias quoque Diæceses obstringendi; eam tamen exserere nequirent in Urbevetana Diæcesi, in qua, uti testantur Canonici, et confirmat Urbevetanus Episcopus, nunquam servata fuere; et in qua imo antiquissima viget consuetudo nulli Paræciæ, extra Diæcesim existenti, solvendi portionem canonicam; quam Ecclesia Cathedralis ne ipsis quidem Civitatis Paræciis nunquam pendere solet.

'uribus tamen Parochi S. Andreæ de Fractis haud officere videtur defunctum in Cathedrali Ecclesia Urbevetana non fuisse humatum. Parocho enim Quarta debetur etiam ab Ecclesia exponente; quandoquidem Benedictus XIII. in Constitutione incipien. *Romanus Pontifex*, postquam decrevit ab Ecclesiis Ro-

A a gu-

gularibus canonicam portionem Parocho solvi oportere, inquit = *Hæc porro locum habeant, et exacte in posterum observentur, quotiescumque defunctus extra suam Parochialem Ecclesiam tumuletur, vel* EXPONATUR = Canones autem, et Doctores ideo tradunt, ab Ecclesia tumulante Quartam deberi, quia ut plurimum, in quibus Ecclesiis tumulantur, in eisdem justa defunctis persolvuntur.

Distantiæ vero locorum nimium tribueretur, si ob eamdem Parochus portione canonica privaretur. Leges enim statuunt, Parochis solvendam quartam funeralem = *ut juxta Apostolum sint consolationum socii, ut fuerunt passionum = Cap. 1. de Sepult.* Parochi autem socii sunt passionum, sive quis intra limites Paræciæ, sive in eo loco, ex quo ad Parochialem Ecclesiam deferri nequeat, diem supremam obierit.

Itaque ex Jure communi vim suam mutuantur Statuta Cleri Romani; quæ et Apostolica confirmatione fuere munita ab Urbano VIII. et consuetudine recepta sunt etiam extra Romanam Diæcesim, saltem quoad portionem canonicam, uti plura evincunt exempla in superiori hujus Causæ propositione allata. Consuetudo autem nemini solvendi Quartam funerum, a Capitulo Urbevetano laudato, nullis monumentis, imo ne unico quidem exemplo comprobatur.

Cæterum hæc uberius, ac fusius habent EE. PP. in lucubratissimo Folio diei 16. *Septembris* 1820. exarato ab Emo, ac Rmo D. Cardinali Falzacappa, dum Secretarii munere summo omnium plausu fungebatur, quod resumere precor, ut dirimere possint

Dubium

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

In decisis.

RA-

RAVENNATEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Clericus Paulus Passi Ferrariensis, Rector Beneficii de jurepatronatus suæ Familiæ, sub titulo S. Antonii de Padua erecti in Ecclesia Parochiali Villæ *di Coccanile* Diœcesis Ravennaten. in Districtu Ferrariensi, *Anno* 1817. cum rei familiaris angustiis conflictaretur, obtinuit a Summo Pontifice, ut onus a Fundatore Alphunso Passi Rectori impositum solvendi eleemosynam pro Missis in indicata Ecclesia celebrandis singulis ferialibus diebus, ad duas dumtaxat Missas singulis hebdomadis pro quinquennio tantum reduceretur. Graviori nunc pressus inopia ab EE. VV. implorat, ut reductionem, quæ jam exitum habuit, iterum, et in perpetuum, ei concedere velitis, illamque ita ampliare, ut unica Missa loco duarum singulis hebdomadis sit celebranda.

Sess. 25 Cap. 4. De Reform.

Rogatus de more Archiepiscopus Ravennaten. hæc in sua Informatione retulit = *Alfonso del Passo fece il suo testamento il dì* 14. *Decembre* 1654 . . . . . *nel quale istituì Erede universale Giovanni del Passo, e nominò di lui Esecutore Testamentario l'Arciprete di Coccanile pro tempore. Tra le altre disposizioni da lui fatte trovasi la seguente. Item per amor di Dio, per suffragio dell Anima sua, e per ragione di di Legato, ed in ogni altro miglior modo . . . vuole, che il suo Erede sia tenuto, ed obbligato a fondare un' Altare nella suddetta Chiesa, e che sia dato, e consegnato ad un Sacerdote da eleggersi dal suo Erede, qual Sacerdote, che sarà pro tempore eletto, sia obligato a celebrare Messa ogni giorno da lavoro perl'Anima di detto Testatore, al quale per provisione comanda, che siano dati Scudi* 60. *moneta di Ferrara ogni anno, ovvero l'assegnazione di tanti stabili, dichiarando però esso Sig. Testatore, che se vi fosse uno, o più Sacerdoti della Casata dal Passo, debbano essi essere sempre preferitti a qualsivoglia altro Sacerdote, e questo dopo seguìta la sua morte. Nel di* 16. *Giugno* 1750. *il Vicario Arcivescovile di Ravenna decretò, che si separassero tanti stabili di ragione del Sig. Paolo Passi, Erede mediato del detto Al-*

fondo, posti nella Villa di Coccanile, quanti fossero sufficienti a formare l'annua rendita di scudi 60. moneta Ferrarese. Siccome però scudi 60. di tal moneta all' epoca del sudetto Testamento corrispondevano a scudi 43. 63. 7. moneta romana, così il Perito deputato credette, che si dovessero separare tanti Beni, quanti ce ne volevano per formare un capitale della rendita di scudi Romani 43. 63. 7.

Pare verisimile, che subito dopo seguita la separazione di tali Beni . . . . fosse formalmente eretto un Beneficio sotto il titolo di S. Antonio di Padova, ma l' originale Documento di tale erezione canonica non si trova nell' Archivio di questa Cancelleria Arcivescovile. Si trova però, o per dir meglio è stato prodotto dall' Oratore il Documento comprovante, che essendo rimasto vacante tal Benefizio nel dì 19. Marzo 1774. per la morte di D: Lorenzo Ragazzi, il Dottor Ippolito Passi nominò al medesimo Benefizio l' Abbate Paolo Passi Chierico Ferrarese, che fù canonicamente istituito nel dì 22. Settembre 1774. da Monsignor Rossi Vicario Generale di Ravenna; come apparisce dalla Bolla originale.

L' Abbate Paolo Passi, e Giuseppe di lui Fratello nel dì 24. Luglio 1777. a rogiti di Pier Piccini Notaro di Ferrara si obbligarono solidalmente a favore del Monastero delle Grazie di Ferrara a pagare scudi 18. 98. 6. per titolo di frutti di un Censo dovuto al medesimo Monastero, e creato sopra gli effetti del detto Benefizio, ed anche sopra i beni Ereditarj del Passi, il che mi fa sospettare, che i beni della Famiglia Passi, come sopra separati, fossero stati prima del dì 16: Giugno 1750. ipotecati unitamente a favore del sudetto Monastero per sicurezza del loro Censo, perchè altrimenti non saprei spiegare, come si fossero ipotecati i beni addetti al beneficio di S. Antonio di Padova.

I Fondi spettanti al Benefizio di S. Antonio di Padova s' affittavano una volta per annui scudi 100., ma attualmente sono affittati mediante privato Istrumento de' 13. Maggio 1822. per 6. anni cominciati nel dì 29. Giugno . . . . a Francesco Ruggieri per l' annua somma di scudi 90. con patto, che il Conduttore paghi le tasse in scadenza per conto del Locatore, ed in diminu-

nuzione della stabilita annua corrisposta. I pesi, da' quali attualmente sono gravati i sudetti corpi di Terrena, sono

Per Censo alla Mortara, ossia Demanio ——————— ₰	7	„
Per Prediale, Lavorieri ec. —— ₰	20	„
Per Tassa, acque, ed altri Lavorieri ₰	11	„
Alla Mensa di Ravenna per Canone, e Laudemio annuo ——— ₰	2	„
Per Cera, Biancheria, ed altro per manutenzione dell' Altare —— ₰	6	„
Somma ——— ₰	46	„

Aggiungasi i casi di tempeste, di danni nelle Fabbriche, ed altro, e se ne potrà conchiudere esser vero l' asserzione del Passi, che quasi tutte l' Entrate del Beneficio restano assorbite dalle spese.

Il primo, a cui si deve imputare la diminuzione dell' annua rendita del Benefizio, è secondo me quegli, che fece la separazione di beni della Famiglia Passi dagli altri destinati per dote del Beneficio, giacchè dalla Relazione di tal separazione si rileva, che furono scorporati forse i peggiori Beni, che avesse tal Famiglia, e che non si ebbe neppure cura di scieglìere quelli, che fossero netti da ogni Ipoteca. Gli altri, a' quali può imputarsi la diminuzione sudetta sono gli Affittuarj, i quali non providero ai danni cagionati dalla rotta del Pò. E' da notarsi però anche, che prima del 1796. i beni spettanti a tal Beneficio non soggiacevano alle Tasse prediali.

Avendo richiesto il parere de' Compadroni . . . . che conoscendo, che a cagione delle gravezze, e spese di manutenzione di cera, dell' Altare, ed altro, non è possibile sostenere il peso d' una Messa, e non essendo dall' altra parte tenuti a supplire del proprio per coprire il deficit, conclusero, ch' erano disposti a prestare il loro assenso, perchè tal riduzione avesse luogo.

Quegli, che più degli altri ha interesse di opporsi alla grazia richiesta, è certamente l' Arciprete della Chiesa Parrochiale di Coccanile . . . . Ciò non ostante essendo l' attuale Beneficiato aggravato moltissimo dalle Pre-

Prediali, ed altro, non osa di opporsi assolutamente ad un' altra riduzione, purchè si faccia sempre ad tempus, e non mai in perpetuo.

Ciò, che mi pare non sostenibile, si è la perpetuità della Grazia domandata dall' odierno Beneficiato, si perchè non è presumibile, che saranno egualmente perpetue le Tasse, le quali hanno minorato, e minorano tutt' ora il frutto de' Fondi, si perchè il Beneficiato non sarà sempre dell' agnazione, e perciò non sarà sempre egualmente meritevole del riguardo dovuto all' attuale Beneficiato.

Quanto all' adempimento delle Messe quoad præteritum mi rimetto alle seguenti parole, che leggonsi nel Certificato di Antonio Nulli Cappellano di Coccanile, in cui egli asserisce, che incominciando dal dì. 15. Agosto 1817. a tutto il dì 2. Maggio 1822. sono state celebrate all' Altare di S. Antonio ad istanza dell' Ab. Paolo Passi di Ferrara Messe due per ciascuna settimana colla limosina per la metà di dette Messe di ba. 15. e per l'altra metà di baj. 20.

Ne' Villaggj del Distretto di Ferrara non ci sono che due o tre Preti, e quindi non si trova in oggi chi voglia celebrare la S. Messa colà nei giorni Feriali con una limosina minore di baj. 20. . . . . Ho accennato di sopra i motivi, pei quali mi sembra, che non debbasi concedere in perpetuo la richiesta riduzione . . . . ma considerando la miserabilità dell' Oratore, e la di lui senile età, giacchè essendo stato proveduto l'Oratore, di tal Beneficio nel dì 22. Settembre 1774. deve presumersi, che l'ottenesse almeno quando era costituito in età di anni 16., e che abbia attualmente 64. anni circa; inclinerei ad accordargli tal riduzione ad Vitam Oratoris.

Profecto nihil est in Jure exploratius, quam Defunctorum voluntates exacte custodiendas, et executioni quam religiosissime demandandas esse. *Can. Ultima voluntas, quæst.* 15., *Sac. Congreg. in Mazzarien. reductionis, et absolutionis* 14. *Decembris* 1822., idcirco commutationes voluntatum nonnisi ex justa, et necessaria causa fieri debent, quemadmodum monet *Conc. Trid. Sess.* 22. *Cap.* 4. *de Reformat.* Justa vero causa deesse videtur, quia Fundator Beneficii neque certos fundos de-

designavit, neque supremis in tabulis scripsit, imminutis reditibus, reducendum esse Missarum onus, quod integræ hæreditati suæ imposuit; potestate quidem tributa hæredi assignandi Fundos, qui tamen si perperam, et oscitanter *anno* 1750. fuere. assignati, non ideo voluntas memorati Fundatoris suo destitui effectu debebit.

Pro assignatione vero Fundorum longæva militat observantia, quæ illam recte peractam, ideoque probandam suadet, uti reapse probata implicite fuit præcedenti indulto, et reductione Missarum a Summo Pontifice concessa. Decrevisse autem Fundorum reditus denegari nequit; idcirco Missæ reducendæ erunt juxta notissimam regulam, ut ex inculpata redituum deficientia reducantur onera, *Monacell. formul. legal.* 59. *Tit.* 20. *part.* 1. *n.* 25., *Bened. XIV. quæst. Canon.* 264. §. *Inter cætera.*

Præterea paupertas obligati pro justa causa reductionis sæpe sæpius habita fuit ab hac Sac. Congr., et præsertim in *Isernien.* 26. *Novemb.* 1723. *in S. Severinæ* 13. *Julii* 1725. *in Fanen* 22. *Novemb.* 1738. *et Alben.* 24. *Martii* 1792.

Accedit etiam, quod Orator Agnatus est Defuncti Testatoris, et ad genus patronorum pertinet, cui favendum esse non raro duxit, et quorum postulationes pro reductione Missarum in pretio constanter habuit eadem Sac. Congregatio in *Januen. Capellaniarum* 31. *Augusti* 1819., *et in Ripana Commutationis voluntatis, et reductionis Missarum* 27. *Julii* 1722. Pauperi enim Patrono ex æquitate canonica succurrendum est fructibus Capellaniarum ad *Text. in Canon. Decernimus.* 16. *quæst.* 7. *et in Cap. Nobis de Jurepatron.*, atque id etiam fieri solet per Missarum reductionem, nec non earum suspensionem, ut consanguineo Fundatoris gravi inopia laboranti subsidium afferatur *Sac. Congr. in Firmana* 8. *Augusti* 1770. Præsumpta enim concurrit voluntas Testatoris, ut Consanguineorum, quos ad Capellanias, vel Beneficia prælative vocavit, succurrere necessitatibus voluerit *Januen. Capellaniar.* 31. *Julii* 1819. *Nucerina Paganorum Reductionis Missar.* 15. *Sept.* 1788., *et Ravennaten. Capellaniæ* 1820.

Pla-

Placeat itaque Vobis EE. PP. dirimere.

Dubium.

An, et quomodo reductioni Missarum annuendum sit in casu etc.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 25. Cap. 5. de Refor.

VITERBIEN. CAPELLANIÆ. Reciprocam omnium suorum Bonorum Donationem, quam *inter vivos*, dicimus, reservata *vigesima* ad testandum, ac necessariis intercedentibus solemnitatibus *anno* 1763. obsignarunt Olimpia Tenerini, Petri Flavii Sclavi de Sanctis Vidua, ejusque Filius Sacerdos Joannes Franciscus, lege adjecta = *che il superstite debba erigere si in vita, che in morte una Cappellania mera laicale ad nutum amovibile da conferirsi ad un Sacerdote nativo della Terra dell' Oriolo coll' obbligo al Cappellano della Messa quotidiana* = Primi Capellani nominationem sibi expresse reservatam voluerunt Fundatores, ac deinde statuerunt = *gli altri Cappellani successori debbano nominarsi sempre li più prossimi parenti di detti Donanti, di linea mascolina, e mancando la linea mascolina, li più prossimi parenti di linea feminina, Sacerdoti, ed in mancanza di detta linea un Sacerdote nativo di detta Terra . . . . quale Cappellano, e Cappellani debbano essere tenuti di celebrare per seipsum in detto Altare, ed in caso di malattia debba fare adempire detto obbligo di Messe perpetue quotidianamente da altro Sacerdote.*

Sexennio elapso, nempe *anno* 1769. iidem Fundatores Capellanum nominarunt = *il Chierico tonsurato Signor Giorgio Fortini nostro pronepote, e consanguineo, non essendovi altri più prossimi consanguinei, che siano istradati nei medesimi gradi del suddetto di consanguinità, esistenti nella Terra dell' Orio-*

Oriolo . . . e questi come Cappellano da noi nominato, ed eletto, vogliamo, che sia Cappellano perpetuo sua vita naturale durante, ed inamovibile etc.= Declararunt præterea, quod Capellanus ab ipsis nominatus= *e però non soggetto alle leggi prescritte agli altri futuri chiamati Cappellani, potrà ottenere la Cappellania, benche non sia Sacerdote actu, e dovrà far celebrare da altro Sacerdote sole Messe 52. cioè una la Settimana, e questo per particolare affetto*

ec autem plenum sortiri effectum adeo enixe voluerunt, ut si forte Georgius Fortini molestias pateretur *sulla vana pretensione, che non fosse qualificato a forma dell' istrumento di Donazione, oltre il ripetere la dichiarazione che non abbiamo mai inteso di soggettare noi, e la prima nomina del Cappellano a noi riservata alle leggi apposte nell' Istromento di Donazione, prescritte solamente per regolare le successive nomine; a maggior cautela, e per liberare il suddetto nostro primo nominato da ogni dispendio di Lite, gli diamo facoltà di ricorrere alla S. Sede, e domandare qualunque più opportuna dispensa, per la quale anche noi umiliamo le nostre suppliche.*

asu vero quo idem Georgius *premorisse, o professasse in qualche Ordine regolare, o prendesse stato incompatibile col Sacerdozio*, Hyacinthum Fortini, Georgii fratrem ad Capellaniam vocarunt, *e questo come Cappellano eletto vogliamo, che sia Cappellano perpetuo, ed inamovibile, colle stesse leggi, prerogative, e condizioni apposte, come sopra, al primo nominato, e non altrimenti.*

'undatoribus defunctis, Capellaniam obtinuit *anno* 1780. Georgius Fortini, quam nunc etiam retinet, etsi ad Sacerdotium nunquam promoveri curaverit, imo Centumcellis civili munere fungatur, quod vocant *Cancelliere del Censo.* Itaque Gregorius, aliique Fratres Menghini Oriolenses, qui se a Theresia Sacerdotis Joannis Francisci Capellaniæ Fundatoris Sorore descendere asserunt, ab Emo Episcopo Viterbien. sacram peragente Visitationem petierunt, ut Georgio a Capellania remoto, quia S. Presbyteratus Ordinem nunquam sit adeptus, ac nonnulla Capellaniæ Bona alienaverit, Capellaniam ad eorum Familiam Menghini spectare de-

 cla-

clararet: repulsam vero passi, easdem preces huic S. Congregationi obtulerunt.

Rogatus de more Eñus Episcopus, Fundationem Capellaniæ, aliaque monumenta transmisit, e quibus ea collegi, quæ superius retuli; ac deinde addidit. *Ad Capellaniam, cujus fructus modo ad Scuta 39. circiter ascendunt, Clericum Georgium Fortini cum facultate eamdem retinendi, quamvis Sacerdos non esset, nominatum fuisse, eidemque fratrem suum Hyacinthum substitutum fuisse. Fundatores dictæ Capellaniæ summam scutorum 100. pro quolibet, loco vigesimæ, ad effectum testandi, sibi reservasse; Filium Sacerdotem decessisse ante matrem Olympiam, quæ hæredem instituit suam Neptem Clementinam Tenerini, et pro hoc solvendo debito, Vineam in Braccianensi territorio sitam, venditam fuisse opportunis cum facultatibus. At hujus alienationis acta in hac Cancellaria desiderantur. Fratres Fortini proximiores esse Fundatorum, qui ad eamdem Capellaniam nutu amovibilem preferri voluerunt sibi conjunctos per lineam masculinam aliis, qui per foemineam lineam conjuncti forent, uti sunt Oratores Menghini, qui propterea jus nullum expellendi supradictum Clericum Georgium Fortini a dicta Capellania, cujus Missas celebrare facit, habent. Quare Oratorum Menghini preces rejiciendas esse censeo.*

Quæstio est de Capellania, quam Fundatores esse voluerunt = *mera laicale ad nutum amovibile* = proindeque in titulum non conferendam, quæ idcirco non est verum Beneficium Ecclesiasticum, uti monent *Fagnan. Cap. Ad audient. n.* 120. *De Reser., Reiffenst. Lib.* 3. *tit.* 3. *de præbend. et dignit.* §. 5. *n.* 71. Exploratum est autem, pios Fundatores apponere posse quascumque conditiones sibi benevisas, possibiles ceteroquin et honestas, nec juri Divino, vel naturali aversantes *Cap. significatum* 11. *De Præbend., Sac. Con. in Montis Politiani Patrimonii Sacri* 21. *Julii* 1821. *et in Pisana Celebrationis Missarum* 14. *Decembris* 1822. Impleri hujusmodi conditiones oportet, quia secus a tributo jure cadit quisquis earum implementum neglexerit *Glossa in L.2.ff.De in diem adject.Rot.in Romana Caducitatis* 8 *Maii.* 1771. §. 1. *cor. Mannelli, et hæc S. Congreg. in Romana* 13. *Februarii* 1819.

Pro-

Profecto statuerunt Fundatores, *che il superstite debba erigere . . . . una Cappellania . . . . . da conferirsi ad un Sacerdote . . . . quale Cappellano*, o *Cappellani debbano essere tenuti di celebrare per se ipsum . . . . ed in caso di malattia debba far adempire . . . . da altro Sacerdote*: interprete idcirco non eget eorum dispositio, qua Capellaniam, etsi ad nutum amovibilem, Sacerdoti tantum per se ipsum celebranti concedi voluerunt. Primum quidem Capellanum elegerunt Georgium Fortini *Chierico tonsurato*, ipsumque esse jusserunt *Cappellano perpetuo sua vita naturale durante, ed inamovibile*, solutum legibus quoad alios Capellanos indictis, adeout *potrà ottenere la Cappellania, benchè non sia Sacerdote actu*: hæc tamen ad obtinendam Capellaniam, non vero ad illam retinendam pertinere videntur, juxta nativam significationem verborum *ottenere . . . . non sia Sacerdote actu*. Quæ cum tempus præsens obtinendæ scilicet Capellaniæ respiciant, et excipiant, non excludere, imo supponere videntur, Capellanum quamprimum ad Sacerdotium esse promovendum potissime juxta principium juris, quod exceptio contrariam regulam firmat. Capellaniam reapse assecutus est Georgius, quamvis tantummodo esset *Chierico tonsurato*; retinuit quoque, ac retinet; quamvis de sacris Ordinibus suscipiendis nunquam cogitaverit.

Accedit animadversio, Clericum Fortini ad Capellaniam vocatum fuisse, *non essendovi altri più prossimi consanguinei, che sieno insignati*: si vero contigerit ipsum amplecti *uno stato incompatibile col Sacerdozio*, Fundatores Hyacinthum ejus Fratrem ad eamdem Capellaniam nominasse. Inde vero consequi videtur, præfatum Clericum teneri ad Sacerdotium suscipiendum, quod cum nunquam præstiterit, imo nunc munus civile ac omnino laicale, nec statui Sacerdotali ulla ratione conveniens exerceat, ipsum a Capellania excidisse.

Culpæ demum Capellanum Fortini insimulant Fratres Menghini, quia nonnulla Capellaniæ Bona distraxerit; ideoque ipsum privatione plectendum esse contendunt, cum in alienationibus Bonorum Ecclesiæ, vel Beneficii potissima hæc sit alienantium pœna juxta *Extravagan. Ambitiosæ de reb. Eccl. non alien.*, *Lotter. de*

Re benef.lib. 3. q. 25. num. 2., et *S. Congreg. in Fanen. 19.Januar.1791.*

Verum cujusvis culpæ expertem eumdem Capellanum ostendit relatio Emi Viterbien. Episcopi, in qua narratur, Capellaniæ Fundatores sibi reservasse summam *scutorum* 100. pro quolibet loco vigesimæ ad effectum testandi, ideoque *scuta* 200. solvi debuisse Clementinæ Tenerini, atque hac de causa Vineam in Braccianensi territorio sitam, opportunis impetratis facultatibus fuisse alienatam.

Perpendendum autem est pro Capellano Fortini, Capellaniæ Fundatores ipsum peculiari benevolentia esse prosecutos; eorum proinde voluntatem relate ad eumdem esse benigne interpretandam. Cum itaque Fundatores postquam affirmaverant, non adesse = *altri più prossimi consanguinei* =, Georgium Fortini ad Capellaniam nominaverint, ac esse voluerint *Cappellano perpetuo.... ed inamovibile*, cum declaraverint eum esse = *non soggetto alle leggi prescritte agli altri futuri chiamati Cappellani*, atque pro his primaria lex dicta foret, ut per se ipsos celebrarent: ab hac omnino solutus Georgius erit dicendus, et verba = *potrà ottenere la Cappellania, benchè non sia Sacerdote actu*, tum ad Capellaniæ assecutionem, tum ad illius retentionem erunt referenda.

Neque obstat civile, et laicale officium Cancellarii *del Censo*, quod Georgius Centumcellis exercet: verba enim *o prendesse stato incompatibile col Sacerdozio* intelligenda sunt non de civili, ac precario officio,sed de statu stabili, ac perpetuo, eodem ferme modo ac religiosa professio cujus paulo ante mentionem habuerunt Fundatores, nempe de statu matrimoniali *Glossa c. 1. ver. relinquenda de Cleric. conjug.*, *Reiffenst. lib. 3. tit. 3. §. 1. num. 9.* vel de militiæ cingulo cum clericatu prorsus incompatibili *c. si quis post remissionem dist. 50. Reiffenst. lib. 3. tit. 1. §. 5. num. 124.*

Reque vera = *per particolare affetto* = procul a quavis temporis præfinitione Georgio indulserunt Fundatores, ut loco Missæ quotidianæ celebrandas curaret = *sole Messe 52. cioè una la settimana* = ac præterea ad majorem cautelam, et ne molestias, litiumque dispendium pateretur, eidem facultatem tribuerunt implorandi = *qualunque più opportuna dispensa, per la quale*

le anche noi umiliamo le nostre suppliche = . Hæc autem, quæ futurum tempus indefinite respiciunt, ad casum, et tempus tantum obtinendæ Capellaniæ coerceri nequaquam posse videntur.

Si Georgium Fortini Capellania privandum EE. VV. decernant; statuendum erit, cuinam eadem Capellania sit conferenda. Nihil exploratius, quam in collatione Beneficiorum, et Capellaniarum religiose servandum esse fundatorum voluntatem *Can. ultima voluntas*, 13. *qu. 2.*, *Sac. Congreg. in Nullius, seu Sublacen. 3. Augusti* 1806.

Jusserunt Fundatores, post primum Capellanum ab ipsis vocatum, proximiores consanguineos semper nominandos esse, et lineam masculinam fœmininæ constanter esse anteferendam. Fratres Menghini asserunt, se proximiores esse tamquam pronepotes Sororis Joannis Francisci Sacerdotis, qui cum Olympia Matre Capellaniam fundavit. Veniunt ergo ad lineam fœmininam, cum per fœminam in Fundatorum familia descendunt *Rota in Ascula a Immissionis 23. Martii* 1781. §. 5. *cor. Card. Sentmanat*, *in Firmana*, *seu Recineten. Fideicommissi Eugeniæ de Picuccis* 26. *Junii* 1782. §.3. *cor. Soderino*. Observandum præterea, num excluso Georgio admittendus sit Hyacinthus ejus Frater, quem Fundatores vocarunt, si Georgius *premorisse*, *o professasse in qualche Ordine regolare*, *o prendesse stato incompatibile col Sacerdozio*.

Dignentur ergo EE. VV. dirimere.

Dubia

I. *An constet de caducitate Georgii Fortini a Capellania in casu etc.*

Et quatenus affirmative.

II. *An, et cui competat jus ad dictam Capellaniam in casu etc.*

VO-

VOTUM SECRETARII

IN CAUSA

OSTUNEN. APPELLATIONIS

Super competentia Curiæ Archiepiscopalis Brundusinæ pro cognoscenda in gradu appellationis Causa per Curiam Ostunen. definita.

Brundusinæ Metropolitanæ Ecclesiæ suffraganea est Ostunensis Ecclesia Episcopalis: nuperis autem temporibus Archiepiscopus Brundusinus Pontificia Auctoritate Administrator perpetuus Ostunensis Ecclesiæ est constitutus. Contigit elapso *anno* 1822, ut Canonicus Cathedralis Ostunensis, quia per septennium nullo munitus Apostolico indulto abfuit, sua Præbenda privatus fuerit Sententia Vicarii Generalis Ostuni, a qua ipse illico ad Brundusinum Archiepiscopum provocavit. Silente Canonico, hanc Sac.Congregationem adiit præfatus Vicarius Generalis nomine Archiepiscopi tamquam Administratoris Ostunen., exposuitque, se non modo unam esse in jure eamdemque personam cum Archiepiscopo Administratore, sed etiam = *coll' autorizzazione, e piena intelligenza* = Brundusini Archiepiscopi pronuntiasse; appellationem proinde ab eodem ad eumdem interpositam fuisse, cum reapse idem sit Judex, *a quo* cum Judice *ad quem*: hinc petiit, ut eadem Sac. Congregatio declarare dignetur, num Archiepiscopalis Curia Brundusina cognoscere in gradu appellationis valeat Causas ab Ostunensi Curia definitas, num potius omisso medio ad superiorem Judicem sit provocandum.

Consulto mentionem habui de silentio Canonici appellantis: duplex enim in themate occurrit quæstio, an scilicet Canonicus Archiepiscopum appellationis Judicem uti suspectum recusare possit; et an, seclusa recusatione, Archiepiscopus in gradu appellationis Causas, sententia Ostunensis Curiæ diremptas, cognoscere, ac definire valeat; hæc ad jus tantummodo, il-

la

la vero ad jus et ad factum pertinet. Cum enim temere Judex recusari nequeat, imo justam recusationis causam allegare, et ad Sac. Canonum præscripta firmis evincere probationibus oporteat, ceu monent *Marches. de Commiss. suspic. Judic. part.* 2. *cap.* 8. §. 1. *num.* 33. *fol.* 379., *Ridolphin. in praxi part.* 1. *cap.* 7. *num.* 126. ex facto petendæ sunt causæ suspicionis pro Judicum recusatione, quarum plurimas recensent *Duran. reg.*20. *part.* 2., *Murant. de ordin. Judic. in* 3. *part. sextæ partis princip. art.* 2. *de Appell. num.* 68. *et seq.*, *Papien. in form declin. jurisdict.* §. *Judicem suspectum*, *et ibi Adden.* §. *Nec fuisse litt. P.*

Adesse in themate videtur justa recusationis causa, qua forsan uti poterit, nondum tamen usus est Canonicus; cum ultro fateatur Ostunensis Vicarius Generalis, se = *coll'autorizzazione*, *e piena intelligenza* = Archiepiscopi Brundusini judicium edidisse, quo Canonicum sua Præbenda privavit. Animi ergo sui sensum aperuit Archiepiscopus; quisque autem propriæ jam panditæ opinioni favere; nec facile ab eadem recessurus præsumitur: estque adeo urgens hujusmodi præsumptio, ut ad recusandum Judicem sufficiens habeatur, ceu late disserunt *Menoch. de Arbitr. lib.* 2. *cas.* 458., *Rebuff. tit. de recusat art.* 6. *num.* 32., *Card. Petra ad Constit.* 14. *Joan. XXII. Sect. I. num.*59. *et seq.*, *Giurba decis.* 99. *n.*12., *Sanfelic. decis.*78. *n.* 4. *lib.*1., *Mastrill. decis.*151. *n.* 59.

Quidquid autem sit de Jure civili, quilibet Judex *de Jure Canonico* potest suspectus allegari, ut in re notissima tradunt *Adden. ad Bonaccurs. in Prax. tit. de recusat. n.* 2. *ver. Non assignatur*, *Marchesan. de Commiss. suspic. Judic. part.*2. *cap.*8. §.2. *n.*37. *et seq. fol* 395., *Ridolphin. in Prax. part.* 1. *cap.* 7. *n.* 121. *et seq.* Quando tamen oritur suspicio, quæ vitandum suadeat Episcopi, vel Archiepiscopi judicium, constanti receptum est praxi, ut iidem alium delegent, qui eorum vice judicium ferat: ita post *Gloss. et Bart. in Cap.* 6. *De Appell. Franch. col. ultim. quæst.*5. *n.*7., *Scacc. de Appell. qu.* 2. *n.*15., *quæst.* 7. *n.* 42. *ibi* = Exemplifica in „ Ordinario, qui cum esset suspectus delegavit . . . . „ si Episcopus recusatur uti suspectus, et ipse ideo „ delegat causam=*quæst.*8. *n.*19. *ibi* = Ordinarius delegavit

gavit, eo quia ipse erat suspectus = *et n. 27. et 86.*; *Marant. in Specul. part 6. act. 2. verb. et quandoque appellatur n. 387.*, *Breder. de Appell. part. 1. tit. 18. col. 204. Litt C.*

Verum Canonicus Ostunensis neque Archiepiscopi judicium recusavit, neque ullam proposuit suspicionis causam: imo ipsemet ad Archiepiscopum provocavit, quod jure gestum fuerit, nec ne, modo est inquirendum. Profecto appellatio regulariter fit gradatim ad proximum, et immediatum Judicem Superiorem ejus, a quo appellatur *Cap. Dilecti filii 66. de Appell. Cap. Romana §. Ab Archidiaconis de Appell. in 6. et Doctores communiter*: hinc ab Episcopi, seu ejusdem Vicarii Generalis, judicio ad Archiepiscopum illius Metropolitanum est appellandum *citat. Cap. Romana, per tot. et præsertim §. Debet autem, et §. fin. De Appell. in 6.*, *Greg. Tolos. De Appell. Lib. 4. cap. 2. n. 1. vers. Ab Episcopis*; *Scaccia de Appell. qu. 8. n. 86.*

Quin obsit, Brundusinum Archiepiscopum nunc esse Ostunensis Ecclesiæ Episcopalis Administratorem perpetuum: nihil enim exploratius, quam unam eamdemque personam juxta diversas ejus qualitates diverso jure censeri *Heinecc. instit. Jur. Civil. Lib. 1. §. 75. et seq.*, *Scacc. de Appell. qu. 8. n. 60.*, *et qu. 17. limit. n. 66. §. Confirmatur*: Inde vero fit, ut Juris regulis inspectis, una eademque persona iterum in eadem Causa judicare non prohibeatur, sive diversis qualitatibus uno eodemque tempore polleat, sive illas successive adipiscatur. Si enim Episcopus interveniat Capitulo, non ut præsit tamquam Prælatus, sed ut suffragium ferat tamquam Canonicus; a gestis per Capitulum rite ad eumdem Episcopum appellatur; atque ad hanc facti speciem pertinet responsum Clementis IV., quod refertur in *Cap. A collatione 11. de Appell. in 6.* ibi = *Non ad eumdem Episcopum, si in ea ut Prælatus interfuit*, sed ad *Superiorem te oportuit appellare: alias si ut Canonicus interfuisset in ea, potuisti appellare licite ad eumdem* = Quam Juris Canonici dispositionem exornant, illiusque rationem a diversis, et distinctis unius, ejusdemque personæ qualitatibus petunt *Abbas in Cap. Dilecti. 66. n. 17. de Appell.*, *verb. in loco de tanquam n. 9. vers. Sexto facit.*, *Scacc. de Appell. qu. 8. n. 60. et n. 120.*

Idem

idem prorsus tam Civili, quam Canonico Jure obtinet, si ille qui sententiam dixit, Judex Appellationis fiat: nam quoad Jus Civile ita docet *Glossa in L. Filius 22. ff. De inoff. Testam. verb. Cum in proprio* ibi = *Quod facit, ut si ille, qui tulit sententiam, succedit Judici Appellationis, possit judicare* =: quo vero ad Jus Canonicum id ipsum tradit, et concordantes Textus refert *Glossa in Cap. Querelam 24. De elect. verb. Commisit*, ibi = *Si ille, a quo appellatur, efficitur ejusdem jurisdictionis, cujus est ille, ad quem appellatur, nihilominus potest de Causa cognoscere* = Consentiunt Doctores, ac præsertim *Bart. Bald.*, *et Salicet in L. Eos qui Cod. De appell.*, *Gregor. Tholos. de Appell. Lib.4. cap.17. num.1. et seq.*, *Card. Petra ad cit. Constit. 14. Joannis XXII. sect.1. num.62.*, *Scaccia de Appell. quæst.8. n. 86.* ibi = *Extende primo, ut ab Episcopo in tantum appelletur ad Archiepisopum, ut ipsemet Episcopus, si post interpositam appellationem promoveatur in Archiepiscopum, sit Judex appellationis a sententia, quam ipse protulit, dum erat Episcopus, Glossa etc. dicens, quod si is, qui tulit sententiam, successit Judici appellationis, potest judicare* = et rationem eleganter affert *Pileus Modicen. quæst. jur. 124.* „ Quia quasi alius homo esse videtur, licet idem sit „ in veritate; quia potius sunt dignitatis cognitiones „ hujusmodi, quam personarum =

Quæ cum ita sint, rite interposita ab Ostunensi Canonico dicenda est provocatio ad Archiepiscopum Brundusinum, quamvis ipse nunc sit Ostunensis Ecclesiæ Episcopalis perpetuus Administrator: jurisdictione siquidem pollet Causas judicio Vicarii Generalis Ostunensis diremptas in gradu appellationis cognoscendi, ac definiendi. Silente proinde, et consentiente Canonico, nihil impedit, quominus idem Archiepiscopus judicare valeat: neque sinunt elementares Juris Canones, ut omisso Archiepiscopo ad Superiorem provocetur nisi agatur de casibus in Jure exceptis. Quod si Canonicus quum noverit, Sententiam = *coll' autorizzazione, e piena intelligenza* = Archiepiscopi latam fuisse, suspicionis causam interserat, et ejusdem Archiepiscopi judicium recuset; alius Judex erit ab eodem Archiepiscopo deputandus, uti opportune monet *Card. Petra loc. mox citat. n.61.* ibi = Fir-

 mant

„ mant Doctores, quod nonnisi Partibus consentien-
„ tibus Judex in ulteriori instantia suum judicatum
„ iterum cognoscere non debet, etiamsi adeptus fue-
„ rit locum Judicis ad quem, sed Causam alteri co-
„ gnoscendam delegare debet . . . . . . uti exempli
„ ficando de Episcopo, qui post latam sententiam, et
„ interpositam appellationem translatus fuit ad Eccle-
„ siam Metropolitanam, firmant Moranta, Gra-
„ tian. etc. = et concordat post alios *Scaccia de Appel.*
lat. qu. 2. *n.* 15. *et quæst.*8. *n.*80. *vers. Concludas igitur.*
Atque ita in sensu veritatis sum in voto, salvo etc.

A. D. Gamberini Secret. Sac. Cong. Concilii.

Die Sabathi 2. Augusti 1823. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

RAVENNATEN. REDUCTIONIS MISSARUM *Sess.25.Cap.4. de Reform.*

Dubium

An, et quomodo reductioni Missarum annuendum sit in casu etc.

Affirmative ad unicam Missam hebdomadalem durante vita Oratoris, et scribatur Archiepiscopo, ut curet canonicam erectionem Beneficii, et inscriptionem fundorum ejusdem, et eorum liberationum ab aliis hypothecis, si quæ sunt impositæ, facto verbo cum SSmo.

VITERBIEN. CAPELLANIÆ *Sess.25. Cap.5. de Reform.*

Dubia

I. *An constet de caducitate Georgii Fortini a Capellania in casu etc.*

Et quatenus affirmative

II. *An, et cui competat jus ad dictam Capellaniam in casu etc.*

Ad I. Dub. Negative.
Ad II. Dub. Provisum in primo.

Ses.24.Cap.18. de Reform.

CÆSENATEN. BENEFICII. Pluries de hac Causa actum fuit. In Comitiis diei 23. *Junii anni* 1821. quatuor proposita fuerunt Dubia I. *An intret arbitrium pro aperitione Oris in casu etc.* II *An Litteræ Apostolicæ sint exequendæ in casu etc.* III. *An, et cui sit danda institutio in casu etc.* IV. *An sit locus provisioni in casu etc.*, et informante Laurentio Valducci tantum EE. PP. definitionem prorogarunt respondendo *Dilata in omnibus, et interim scribatur Emo Episcopo, qui sine mora, et non attenta quacumque inhibitione, nisi signata manu Sanctissimi, deputet Ecclesiasticum Administratorem, qui, satisfactis omnibus oneribus, residuales Beneficii fructus retineat in forma depositi ad effectum consignandi, cui de jure in exitu litis*. Controversia deinde fuit ad examen revocata in Congregatione diei 18. *Augusti ejusdem anni* 1821., et juxta vota Petri Drudi rescripserunt EE. VV. *ad I. Negative, ad II. Affirmative, ad III. Affirmative favore Petri Drudi*, Dubium IV. de provisione non fuit disputatum, cum provisio in prima propositione fuerit capta. Tertio rediit Causa die 30. *Martii* 1822., et tribus propositis Dubiis assueta formula. *An sit standum, vel recedendum a decisis*, rescriptum prodiit *Dilata, et scribatur Episcopo juxta mentem*, quæ fuit, ut *Episcopus mandet formiter examinari testes super prætensa Simonia*.

Quartum hodierna die instituitur certamen, distributis utrinque Allegationibus, una cum Summario ex parte Laurentii Valducci, in quo extat Processus examinis Testium. Facti seriem in superioribus foliis, quæ reassumere precor, enarratam, ne tædio EE VV. afficiam, consulto omitto.

Ad jus quod pertinet, Valduccius quoad *primum*, et *tertium* Dubium nihil novi affert, sed argumenta alias proposita, et in præteritis foliis præoccupata, nova methodo disponit. De secundo vero Dubio disserens, ea profert, quæ ad Simoniam spectant: nam contendit, ex testibus formiter examinatis clare, evidenterque agnosci, Simoniacam labem intercessisse, dum nominationes ad Beneficium Drudius obtinuit. Tres nam-

namque sunt Testes, qui de facto proprio asserunt, Drudium pecunias, aliaque Patronis vel dedisse, vel promisisse; imo ex attestatione quoque alicujus ex Patronis hoc probari Valduccius affirmat. Profecto si nominationes, quæ Drudio favent, Simoniacæ dicendæ sint, nullius roboris esse possunt: imo ab omni jure Beneficium obtinendi cecidisse Drudium, erit concludendum ad *Textum in cap. 6. de Simonia*.

Drudius e contra Simoniacam labem, quantum in se est, excludere nititur. Quamvis enim (sic argumentatur) nemo dubitet, quin a Beneficio eliminandus sit Simoniacus: quum tamen Simonia odiosissimum crimen sit, in quovis dubio non solum est excludendum, sed omnis benigna interpretatio pro illius exclusione est capienda, *Rota in Ferentina Transactionis 26. Junii 1801. §. 10. cor Resta*. Deinde negat omnino Simoniam intervenisse: Cristophoro enim Galbucci, ejusque uxori post nominationem tantummodo potum, cibumque se præbuisse dicit, ea præcise de causa, quia longum iter conficere ad nominationem emittendam debuerant. Nihili autem faciendas asserit attestationes fratrum Ricci, quia sint cum Valduccio actores in præsenti causa, ideoque fides eis non sit præstanda, quum ad proprium commodum deponant. Denique perpendi rogat, quod si qua forte inde cesserit conventio, a Sebastiano Patruo suo inita fuit, quapropter ipsi objici nequit. Simoniæ namque pœnas non incurrit quis, si eo penitus inscio, simoniaca pactio intervenerit *Rota cor. Lancett. Decis. 179, num. 3.* Exclusa igitur Simonia, Drudius confirmandam esse resolutionem *diei 18. Augusti 1821.* concludit.

Plura habent EE. PP. in Allegationibus utrinque distributis, ut dirimere valeant

Dubia

I. *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad primum Dubium in casu etc.*

II. *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum Dubium in casu etc.*

III. *An*

III. *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad tertium Dubium in casu etc.*

Ad I., II., et III. recedendum a decisis, et institutionem dandam esse Laurentio Valducci

Ses.24.Cap.12. de Reform.

CASERTANA. Vicarius Generalis Episcopi Casertani *die 13. Octobris 1821.* Vicarium Foraneum Magdaluni monuit, Episcopum postridie Sacram Visitationem esse aperiturum in Collegiata Ecclesia Magdalunensi, nec non *ha stabilito, che si presti l'obedienza da tutto il Clero secondo gli Statuti, e la consuetudine* = Magdalunum se contulit Casertanus Episcopus, et circa meridiem *diei 14. prædicti Mensis* ad Collegiatam accessit una cum tribus suæ Cathedralis Canonicis, et Vicario Generali. Canonici Collegiatæ, cum jus assistendi Episcopo Sacras functiones peragenti prælative etiam ad Canonicos Cathedralis habere contendant, ægre tulerunt, Canonicos prædictos ad assistentiam Episcopo præstandam venisse. Hinc jurgia, et scandala, quorum narrationem consulto omitto: agnoscent enim EE. PP. omnia, quæ contigerant ex Memoriali, ac Summario ab utraque parte distribuendo. Magdalunenses Canonici, ne jus assistendi Episcopo, quod sibi competere affirmant, in posterum dissidii causa sit, postulant, ut EE VV. de eodem jure decernant.

Præterea in Casertana Diœcesi consuetudo viget, ut obedientia quotannis Episcopo præstetur ab universo Clero. Antiquitus hanc obedientiam Magdalunenses, universi Cleri Diœcesis morem secuti, per suos Deputatos præstabant *die 8. Maji*, in qua memoria Apparitionis S. Michaelis Arcangeli festive recolitur: verum asserunt, mutatam quoad Clerum Magdaluni fuisse methodum ab Episcopo Vincentio Rogadei, qui statuit, præstandam esse a Magdalunensibus obedientiam *die 29. Junii* SS. Apostolorum Petri, et Pauli Martirio dicata,

data, qua die idem Episcopus quotannis Magdalunum se conferebat: hanc itaque Episcopi Rogadei dispositionem servari petunt.

Remissæ preces fuerunt Casertano Episcopo pro informatione, et voto, qui sententiam suam quoad utrumque caput contra Collegiatæ Capitulum aperuit, prout noscent EE. PP. ex Summario ejusdem Episcopi nomine typis impresso. Duo igitur Dubia, alterum de *assistentia*, alterum de *obedientia*, in hodiernis Comitiis proponuntur.

Quoad primum declarant Canonici Collegiatæ, se quæstionem non instituere de jure Capituli Cathedralis Episcopo assistendi, si capitulariter cum Episcopo interveniat: hoc enim jure idem Capitulum pollere ultro concedunt, atque ad hunc casum omnes, quotquot afferri possunt, resolutiones a Sac. Congregatione Rituum editas pertinere contendunt. Id unum negant, hujusmodi jus Canonicis Cathedralis competere, si uti singuli, vel ab Episcopo invitati intersint. Defensor Capituli Collegiatæ probare conatur, Canonicos Magdaluni immemorabili pacifica possessione usque ad hoc tempus gavisos fuisse, assistendi Episcopo sacras peragenti functiones in Collegiata Ecclesia, et intra prædictæ Civitatis ambitum, non obstante Canonicorum Cathedralis interventu: ex qua immemorabili pacifica possessione jus oriri ad manutentionem obtinendam concludit *Instit. lib. 4. tit. de Interdictis §. Retinendæ*, *Posthius de Manutentione observat.* 15. *n.* 14. *et* 18.: etsi de juribus incorporalibus agatur, prout sunt præeminentiæ, aliaque hujusmodi *Rota in Gerunden. juris præsidendi super manutentione* 15. *Aprilis* 1768. *num.* 3. *cor. Veri*, *et in Terracinen. Manutentionis* 7. *Junii* 1779. §. 2. *cor. Herzan.*

Possessione omnem sublatam esse controversiam dicunt Magdalunenses Canonici, quum ipsis denegari nequeat manutentio: possessioni vero justum accedere titulum propugnant. Pluries enim S. Rituum Congregatio, et Rota Romana præcedentiam concessit Canonicis Collegiatæ, etiam prælative ad Canonicos Cathedralis, qui uti singuli cum Episcopo accedant, namque hoc casu Capitulum Cathedralis minime repræsentant *Card. de Luca de Præeminent. disc.* 17. *per tot.*, *Pignat. Consult.*

sult. Canon. 25. *n.* 5. *Tom.* 10., *Piton Discept. Eccles.* 149. *n.* 1. *et seq.* Præterea in præeminentiarum quæstionibus attendenda est consuetudo, cujus tanta est vis, ut ad jus tribuendum sufficiat *Piton. citat. discept.* 149. *n.* 9., *Rota in Recent. decis.* 214. *n.* 4. *part.* 4. *T.* 2. Inde vero inferunt Canonici Magdalunenses, vel ex jure, vel ex consuetudine ad ipsos pertinere, ut Episcopo assistentiam prælative ad Canonicos Cathedralis, cum Episcopo uti singulos intervenientes, licet invitatos, præstent.

Qui vero jura Episcopi, et Capituli Casertanæ Cathedralis tuentur, ajunt Concilium Tridentinum statuisse, ut Canonici Cathedralis compellantur Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere, et inservire: quæ sanctio non jus tribuit, sed onus Canonicis imponit, et cum generalis sit, generaliter est accipienda de Episcopo in quolibet Diœcesis loco solemniter celebrante; ubi enim Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus *ad tex. in Cap. Quia circa* 21. *de Privileg.* Plures autem afferunt S. Rituum Congregationis resolutiones, quæ assistentiam Episcopo præstandam esse a Canonicis Cathedralis decernunt, ac præsertim in *Florentina* 20. *Novembris* 1628., in qua definitum fuit, *Canonicos Cathedralis non solum teneri, sed etiam cogi posse, ut Episcopo inserviant, quando accedit ad alias Ecclesias extra Cathedralem ad sacras functiones exercendas*: quod clarius quoque fuit, contradicente parte, statutum in *Melevitana* 21. *Januarii* 1741.; in responso enim ad *Dubium V.* decretum fuit, Canonicos Cathedralis ab Episcopo invitatos præcedere debere Canonicos Collegiatæ. Tandem excludere conantur assertam consuetudinem, uti ex eorum Memoriali colligent EE. PP., et concludunt a Canonicis Cathedralis, ab Episcopo invitatis, assistentiam eidem Episcopo esse præstandam; Canonicos vero Collegiatæ compellendos esse, ut functionibus interveniant, ne scandalum renovetur, quod die 14. *Octobris* 1821. contigit, qua universi Magdalunenses Canonici Episcopum deserere non dubitarunt.

Quoad obedientiam, Capitulum Magdalunense non negat, illam quotannis Episcopo esse præstandam; sed novam servandam esse methodum ab Episcopo Rogadei

dei inductam contendit duplici ex capite: tum quia lex a legitima potestate lata nunquam fuit abrogata, tum quia successiva observantia *ab anno* 1812. *ad annum* 1820. vim, ac robur accepit. De Episcopi auctoritate dubitari nequit, præsertim cum sanctio illa ob justam, et rationabilem causam lata fuerit, nempe ut Episcopus non duos tantum deputatos, sed universum Clerum Magdalunensem ob oculos haberet. Accedit, in Synodo habita *anno* 1815. fuisse confirmatam: idque pluribus argumentis, ac præsertim testimonio decem Sacerdotum probare nituntur Canonici Magdalunenses. Consuetudinem vero testium assertione evincunt.

At negant Episcopi Defensores, legem immemorabili consuetudine firmatam, S Rituum Congregationis decreto roboratam, et ab universa Diœcesi servatam, ita abrogari ab Episcopo posse, ut abrogatio Successores obligare valeat. Præterea sine causa abrogationem (si qua extat) accidisse contendunt. Poterat enim, et potest Episcopus semper, et quandocumque Diœcesim visitare; inutilis igitur, imo irrationabilis causa fuit de visitando nempe Clero Magdalunensi, quam ad abrogandam Legem Episcopus Rogadei attulit.

Quod vero attinet ad Synodum Diœcesanam, negant illam fuisse perfectam; namque responsum fuit ab omnibus, qui interfuerunt, *Non placet*: neque in vulgus prodiit ulla illius prætensæ Synodi constitutio, et omnino desideratur Episcopi approbatio, seu confirmatio, a qua obligandi vim accipiunt, quæ in Synodo decreta fuerunt. Deest itaque illius Synodi promulgatio, a qua obligatio servandi ejus decreta incipit *Benedictus XIV. de Synodo Dioecesana lib.* 13. *c.* 4. *n.* 2. *et* 3. Si igitur abrogari nequaquam potuit antiqua lex, immemorabili consuetudine nixa, si revera minime fuit abrogata: concludit Episcopus obedientiam præstandam esse a Clero Magdalunensi *die* 8. *Maji*, prout illam omnes alii Diœcesani præstant.

Cætera EE. PP. habent in Memoriali utrinque distribuendo, ut dirimere possint, quæ proponuntur

Dubia

I. An Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ Magdaluni competat jus assistendi Episcopo in sacris functioni-

 bus

bus intra ambitum prædictæ Civitatis, etiam prælative ad Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, non capitulariter, sed uti singulos cum Episcopo intervenientes, vel ab eodem invitatos in casu ec.

II. An, qua die, et quomodo quotannis obedientia præstanda sit Episcopo in casu ec.

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative, die octava Maji per Deputatos.

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

FLORENTINA REDUCTIONIS ONERUM = Tyrocinii Scholarum Piarum, quod Florentiæ extat, Moderator R. P. Aloysius Baroni quatuor Legatorum, quibus gravatur Domus illa religiosa, et Ecclesia, cui ipse præest, reductionem humillime ab EE. VV. postulat. Concedendæ reductionis causam affert detrimentum, quod Tyrocinii Domus ex Legatorum adimplemento quotannis pati debet ob diminutos Legatorum reditus, ob aucta in dies rerum omnium pretia, et ob Missarum eleemosynam a Florentino Archiepiscopo ad duos julios diebus ferialibus, ac tres diebus festis evectam; quo fit, ut reditus evaserint oneribus ferendis impares, et religiosa Domus, quidquid deest, ære proprio supplere cogeretur.

Procuratorem Generalem Scholarum Piarum requisivi ut referret *de annuo reditu; et oneribus cujuslibet Legati pii, summa vere necessaria pro uniuscujusque adimplemento, ac præsertim de eleemosyna necessaria pro qualibet Missa tum lecta, tum cum cantu, cur potius reduci nequeant alia Legata, quam Missæ; an et celebratione Missarum cum cantu absque assistentia Diaconi, et Subdiaconi Ecclesiæ cultus diminuatur, et de tempore necessario.*

Redituum ipse, ac onerum cujuslibet Legati specimen exhibuit: quo vero ad summam necessariam pro uniuscujusque Legati adimplemento rescripsit 1. Pro unaquaque SSmi Sacramenti expositione expensas summam

mam duorum scutorum attingere; 2. Pro Missis lectis eleemosynam duorum juliorum diebus ferialibus, ac trium diebus festis ab Archiepiscopo statutam esse confirmavit: pro Missis vero cum cantu, si cum assistentia Ministrorum celebrentur quindecim Julios, si aliter Julios decem requiri: 3. Cur autem potius reduci nequeant alia Legata, quam Missæ; respondit, *sic Testatores statuisse, et voluisse*: 4. Denique ex celebratione Missarum cum cantu sine assistentia, nullum afferri detrimentum cultui divino, asseruit.

Hisce prænotatis, pauca in Jure perpendenda videntur. Supremæ Defunctorum voluntates religiose sunt implendæ, ac minime commutandæ, nisi justa, ac necessaria concurrat causa. *Can. ult. voluntas Caus.* 13. *qu.* 2. *Sac. Congr. in Nullius Montis Virginis Reductionis servitii Chori, et Missarum* 14 *Junii prox. præt* §. *Hisce* Imminutis tamen reditibus, onera quoque reducenda esse tradunt *Fagnan. in Cap. Ex part. n.* 2. *De Constit.*, *Monacell. Formul. legal.* 19. *tit.* 10. *part.* 1. *n.* 25., et docuit Sac. Congr. *in mox citat. Nullius Montis Virginis*, §. *Imminutis*, *in Lunen. Castelli Reductionis* 20. *Maji* 1807.: verum imminutionem redituum absque possessoris culpa evenisse oportet, secus enim reductio nunquam conceditur, uti pluries definivit Sac. Congr. ac præsertim in *Ecclesien.* 26. *Augusti* 1794.

Quoties autem de Legatis agitur, ac fundationibus jam accepto habitis, jamque executioni commissis, non facile concedenda est reductio, ut antiquioribus omissis resolutionibus, Sac. Congregatio respondit in *Novarien. Reductionis Missarum, et Absolut.* 12. *Maji*, *et in Camerinen. Reductionis Missarum* 16. *Junii* 1792. præsertim vero si acceptatio sequuta sit cum iisdem reditibus, qui adhuc percipiuntur, nec sunt diminuti, uti decrevit eadem Sac. Congregatio in *Civitatis Castelli Reductionis onerum* 23. *Januarii* 1790.

Cæterum si pateat post Legatorum acceptationem, et Fundationum executionem, reditus adeo tenues evasisse, ut onerum implementum in maximam vergeret acceptantis perniciem, reductio denegari non solet *Sac. Congr. in Bononien. Reductionis servitii Chori* 16. *Junii* 1787., *et in Novarien. Reductionis onerum* 17. *Septembris* 1791., *et in Romana Reductionis* 20. *Junii*

1818. Idemque obtinet, quando reditus quidem imminuti non sunt, auctum tamen est rerum pretium, et major eleemosyna pro celebratione Missarum requiritur *Sac. Congr. in Bracaren. 11. Septembris 1717. Lib. Decret. 67. pag. 378., et in Mediolanen. Reductionis Missarum 9. Aprilis 1718.* Quavis autem justa de causa onerum reductio concedatur, compertum est in jure, omnia potius alia, quam Missarum onera esse reducenda *Bened. XIV. de Synod. Diœces. lib. 13. cap. ult. n. 23., Sac. Congr. in citat. Nullius Montis Virginis Reductionis Servitii Chori, et Missarum 14. Junii 1823. §. Animadvertendum.*

Primum e quatuor Legatis, quorum reductio petitur, a *Constantia Bardi* provenit, quæ *scuta* 250. reliquit, hæc autem, in Locis Montium Hetruriæ investimento collocata, olim annua scuta quatuor in singula centum ferebant, nunc Hetruscis Legibus tria tantum scuta, ideoque in totum *scuta* 7. 50. quotannis reddunt. Voluit Constantia, ut perpetuo in unaquaque ex septem majoribus solemnitatibus B. M. Virg. tres Missæ legerentur, et expositio SSm̃i Sacramenti per duas horas haberetur: facultatem tamen tribuit, hæc omnia in unica tantum ex dictis solemnitatibus omittendi. Ducto calculo, sumptus pro sex tantum solemnibus diebus necessarii, summam conflant *scutorum* 17. 40, ideoque indicatos fructus longe superant. Cum itaque reditus absque culpa possessorum imminuti sint, et reductio concedenda videatur; perpendant EE. PP., an Missæ tantum, nulla e memoratis festivitatibus excepta, sint celebrandæ, quodque reliquum erit, demptis utensilibus, pariter sit in Missarum celebrationem erogandum, cum ne pro unica quidem SS. Sacramenti expositione sufficiat.

Secundum Legatum reliquit *Joseph Campolini* in quantitate *scutorum* 110., sed pecuniarum Debitor ære alieno obrutus foro cessit, ac tantummodo *scuta* 100. exigi potuerunt, quorum annuus fructus est scutorum trium. Jussit autem Testator, ut die festo S. Josephi solemnis Missa cum assistentia Ministrorum celebraretur, vespere panegyrica oratio recitaretur, Completorium caneretur, et expositio SSm̃i Sacramenti cum triginta cereis haberetur. Cum reditus oneribus ferendis sint longe impares, videant EE. PP., an cæteris omis-

sis canenda sit Missa sine assistentia Ministrorum, et habenda vespere expositio SSmi Sacramenti cum necessaria tantum cereorum quantitate; an potius aliqua alia congrua ratione indulgenda sit reductio, ut reditibus onera respondeant.

Tertium Legatum scripsit *Laura Coppoli*, quæ vespere secundæ cujuslibet mensis diei Dominicæ exercitium *Bonæ Mortis*, et expositionem SSmi Sacramenti per duas horas fieri mandavit; bis tamen in anno præfatum exercitium omitti permisit. Reliquit autem *scuta* 200., quæ tunc annuum fructum scutorum trium in singula centum reddebant, et nunc quoque reddunt. Cum ab oneribus longe distet hujusmodi reditus; et nihilominus onera accepto habita, ac ut plurimum impleta fuerint; pro sua sapientia decernant EE. PP. an, et quomodo concedenda sit reductio. Moderator piæ Domus petit, ut mane circa meridiem, pro majori Christifidelium commoditate exercitium Bonæ Mortis, et expositio SSmi Sacramenti haberi possint omnia vero omittere liceat ter in anno, mensibus nempe Septembris, Octobris, et Novembris, nec non quoties secunda dies Dominica aliorum mensium ob alias Ecclesiasticas functiones impedita fuerit.

Quartum Legatum *Philippus Tosoldi* in piam Domum contulit, relicto nomine *scutorum* 100. sed a Debitorsi postea decocti patrimonio *scuta* 50. tantum recuperari potuerunt. Onus Legato adjectum est Missarum octodecim; unam scilicet Missam singulis mensibus, et Missas sex anniversaria sui obitus die Philippus celebrari jussit. Cum annuus Legati reditus julios quindecim non excedat, et absque possessorum culpa Fundi medietas perierit, reductio minime deneganda videtur; sed reductionis modum præfinientes, illudquoque statuere EE. PP. dignentur, an Missæ in posterum singulis mensibus, an præcipue memorata anniversaria die sint celebrandæ.

Quia vero ob capitum, et redituum imminutionem, et ob auctum rerum pretium, ac majorem Missarum eleemosynam, onera a Testatoribus imposita integre non impleri quandoque contigit, idque fide bona per-

actum

actum videtur: statuendum erit quoque, num præteritæ omissiones benigna sint absolutione sanandæ; hinc definienda proponuntur,

Dubia

I. An, et quomodo concedenda sit reductio quoad Legatum Bardi in casu etc.

II. An, et quomodo concedenda sit reductio quoad Legatum Campolini in casu etc.

III. An, et quomodo concedenda sit reductio quoad Legatum Coppoli in casu etc.

IV. An, et quomodo concedenda sit reductio quoad Legatum Tosoldi in casu etc.

V. An, et quomodo sit consulendum SS̃mo pro absolutione quoad præteritas omissiones in casu etc.

Ad I., et II. Exhibeantur particulæ fundationum.

Ad III. Affirmative, omisso per tres menses tantum quolibet anno mensili legato adimplendo ad formam fundationis.

Ad IV. Affirmative, ad tot missas ad manualem in die obitus.

Ad V. Affirmative, celebrata una Missa solemni cum cantu, et interventu Religiosæ Familiæ.

Sess. 25. Cap. 4. De Reform.

URBANIEN. REDUCTIONIS, ET SANATIONIS = Bernardinus Ubaldini, Comes Montis Vicini, Ecclesiæ Monialium S. Claræ Urbaniensis Civitatis, inter quas duæ ejus Filiæ solemnia vota nuncupaverant, duo pia Legata Missarum reliquit, quorum alteri assignavit Fundum *Cagostino*, onere imposito duarum Missarum in qualibet hebdomada; et alteri Prædium *di Cameschio* cum onere trium Missarum pariter pro qualibet hebdomada. Voluit præterea *che chi sarà destinato alla celebrazione delle cinque Messe la Settimana dopo la morte del Sig. Conte sia tenuto, ed obligato a fare nella predetta Chiesa di S. Chiara due Uffici l'anno di quindici Messe l'uno con la Cantata, cioè nel giorno di S. Bernardino . . . . e nel giorno 23. Luglio* = Legatorum implemento consuluit Bernardinus, prohibendo = *di ricorrere a chi ha l'autorità per la riduzione, e perciò in caso di sterilità di qual-*

qualsisia sorte esso Sig. Conte assegna per elemosina di ciascuna Messa un paolo, benchè sappia, che computato l' anno fertile con lo sterile, può avere assai maggior somma = Facultatem nominandi Capellanum ad nutum amovibilem pro celebratione Missarum tribuit Filiabus suis donec viverent, ac deinde Monialibus S. Claræ; his tamen legem dixit, servandam sub pæna caducitatis a jure nominandi *ora per allora, et ipso facto* incurrendæ, ut Legatum *non possa, nè deva mai per alcun tempo, ed in perpetuo farsi adempire dal Cappellano ordinario di S. Chiara, altrimenti sarà pervertita la mente di esso Istituente.*

Impleta est Bernardini voluntas usque ad *annum* 1774. quo Moniales a Pontifice Clemente XIV. veniam obtinuerunt Confessarium Ordinarium perpetuo nominandi. Imploraruut deinde *anno* 1800. ab Urbaniensi Antisite, ut administratio Fundorum, a Bernardino relictorum, penes Monasterium esset: Antistes autem earum votis annuens, auctoritate *ordinaria, et delegata* sequens edidit Decretum. *Assignatis Confessario scutis 40. pro eleemosyna Missarum 260. juxta formam, et regulam a Fundatore præscriptam celebrandarum, quas ad rationem obolorum quindecim cum dimidio pro qualibet Missa taxamus, præfixoque ipsi tum pro Monialium confessionibus audiendis, tum pro cæteris quibusque spectantibus ad Confessarium scutorum 20. emolumento, quidquid ultra supererit favore Monasterii, cui perpetuam Prædiorum Officiaturæ administrationem concedimus, cedere debere decernimus: ita tamen ut Moniales Oratrices ad duo celebranda quindecim Missarum Officia, alterum scilicet in die festo S. Bernardini, alterum die 23. Julii singulis annis teneantur, nec non collectas, taxasque omnes super Officiaturæ Prædia tum impositas, tum imponendas solvant, atque domorum colonicarum restaurationem, manutentionemque, et quamcumque terrarum bonificationem curent.*

Contigit, ut ex Fundis ad memorata pia Legata spectantibus, colligerentur fructus oneribus ferendis impares: hinc Moniales *anno* 1816. a R. Fabrica S. Petri obtinere curarunt, ut Ordinario facultates tribuerentur, quibus congruam eorumdem onerum reductionem

nem ad quinquennium indulgere posset. Nullum extat reductionis Decretum; ex Monasterii tamen codicibus eruitur, Vicarium Capitularem illius temporis reduxisse Legata ad tres Missas singulis hebdomadis celebrandas cum eleemosyna obolorum 15. et Officia ad Missas 7. pro quolibet, comprehensa Missa cum Cantu, atque onera juxta hunc reductionis modum hucusque adimpleta fuisse. Cum autem indulta reductio jamdiu expiraverit; ab hac Sac. Congregatione suppliciter petunt Moniales absolutionem, et sanationem Missarum omissarum; et quoniam reditus Bonorum a Bernardino relictorum sexennio mox elapso vix annua *scuta* 53. 53. attigerunt, implorant præterea, ut ex illis *scuta* 25. pro annuo emolumento Confessarii Ordinarii detrahere liceat, ut onerum reductio, a Vicario Capitulari concessa, etiam pro futuris temporibus probetur, ut denique Monasterio prædicta Bona omnino addicantur, ad vitandas separatæ administrationis impensas.

Requisitus de more Vicarius Capitularis, postquam ea narravit, et monumentis factorum confirmavit, quæ superius exposui, hæc addidit. *Ter quaterque dignam exauditionis Monialium petitionem censeo, attentis potissimum circumstantiis, attento perexiguo reditu fundorum rusticorum, ut luculentius ex generali statu septennali activo, et passivo eruitur.*

Missæ inadimpletæ quæ et quantæ? Si supramemorata quinquennalis reductio, facta Decreto Fabricæ anno 18.6., attendenda est, licet manca sit decreto executoriali Ordinarii, nixa tamen æquitatis principiis, unius tantum anni desideratur satisfactio.

Facessit, fateor, aliquid negotii pro deneganda reductione lex Fundationis vetantis. Ast ista lex tempori serviat necesse est. Legem æternaliter servandam non est datum hominibus imperare. Pientissimus Ubaldini prævidit onera super fundis agrariis imponenda? Prævidit pari modo imminutionem Cleri tam prægrandem futuram, quæ quasi ad medietatem nunc redacta est? Addo, si stipendium Missæ substentationi, ut fert vulgatum adagium, unius diei mensurandum est, quis credat, pretio unius julii posse quemquam honeste substentari? Hinc fit, ut saltem perdurante præsenti dif-

fi-

fficultate temporum, reductiones temporarias concedendas esse, non dubitarem.

Percontantur insuper Sapientissimi Patres, an hic, et nunc intercedat causa uniendi Bona Legati Ubaldini, cum Bonis Monasterii, et an resultet evidens utilitas. Neminem latet, quod posita vera, et rationabili causa per modum incorporationis etiam Episcopus possit devenire ad unionem Bonorum Ecclesiastico Cultui addictorum cum aliis Bonis Ecclesiæ, assumpto semper in se onere implendi, ut in casu, infixas obligationes. Mirum in modum urget ratio hoc peragendi, quando imploratur auctoritas istius Sac. Congregationis, et sic Sedis Apostolicæmet. An nonne justa ratio angustia temporum, incommoda separatæ exiguæ Administrationis, an nonne anfractuum, et scrupulorum conscientiæ evasio, quibus facillime devotus fœmineus sexus exagitatur, præstant rationabile motivum ineundæ propositæ unionis? Mea quidem sententia, quam humillime corrigendam sapientiæ EE. PP. subjicio, benigne foret indulgendum, dummodo de cætero Missæ, a Fundatore demandatæ, juxta vires modernorum redituum, et tramites status activi, et passivi, religiose quotannis, modo, et forma præscripta impleantur.

Cum autem ex transmisso statu activo, et passivo patuerit, ad restaurandam domum colonicam Prædii *Cameschio* impositum fuisse Censum favore Sodalitii SSmi Sacramenti Castri Fabri, eamdemque domum deinde fuisse destructam; requisitus est idem Vicarius Capitularis, ut referret, *qua auctoritate impositus fuerit Census scut. 28. favore Sodalitii SSmi Sacramenti, de annua summa deposita, vel deponenda pro illius extinctione, nec non qua auctoritate eversa fuerit Domus Colonica, et de erogatione pretii cæmentorum, bona fide, et evidenti utilitate* =

Vicarius Apostolicus, Vicario Capitulari interea suffectus, hæc tradidit = *Census ab anno 1788. sub 28. Novembris a Lelio Cardellini tunc Monialium Confessario, et ex indulto Apostolico anni 1774. Officiaturæ, et Bonorum legatorum possessore, Decreto interposito Pauli Antonii Agostini Zamperoli Episcopi Urbaniensis, fuit impositus, ut Domus Colonica prædii Cagostini, a lacrymabili terræmotu 1781. quassata, resti-*

tueretur. Summa quotannis pro extinctione deponenda erat scutatorum duorum junctis obulis octoginta. Re quidem vera ad annum usque 1800. nulla in Confessarios Officiaturæ possessores pro omissione depositorum querimonia: atque ad annum illum, prout ex regestris Monasterii, reservata erant in ærario Monastico scutata 22. 40. pro Census extinctione: Idem Episcopus Zamperoli anno illo, utendo, ut legitur in Decreto, auctoritate tam ordinaria, quam delegata, patrimonium Ubaldinum a Monialibus administrandum, certa constituta summa Confessariis, decrevit: Ex tunc quid de depositis reservatis sit actum, quid de iis, quæ supererant, latet omnino: Illud certum, quod census et nunc viget.

Domus sic restituta, ut pecudum caulæ ampliores redderentur, villicis paulo post relicta, utpote qui opportuniorem casam protinus in eodem prædio incolerent, sensim ex non usu fatiscere, inde diruere visa est, et cæmenta ex arbitrio tunc Aeconomi Monasterii in illius alterius casæ vel restauratione, vel ampliatione cesserunt.

Cum ex nupera relatione Vicarii Capitularis sit expositum, qui nunc reditus Legati Pii, valde certe imminuti, cum ex vectigali, tum ex prædiis deterioribus factis pro conditione temporum, quæ Missæ hactenus non impletæ sub bona fide rescripti R. F. S. Petri 24. Martii 1816., et sunt fere octingentæ, quæ utilitas unionis Patrimonii Ubaldini patrimonio Monasterii, non modica profecto, tum pro commodiori rationum supputatione, tum quia si in precaria Confessariorum administratione Bona Ubaldini perseverassent, in pejus ruissent, supervacaneum ergo sermone eodem summa patientia vestra abuti.

An reductioni pro Monialium voto, quæ vitæ communi perfectæ student, an Missarum non adimpletarum absolutioni sit locus, sapientiæ Vestræ erit definire. Illud non præteream, Monasterium inculpabiliter ære alieno gravari, et adlaborandum, quod spero consequuturum, ut redintegretur. Ulterius ratio temporum 1686., quo Comes Ubaldinus est functus vita, et prædia taxative pro Missis legaverat, longe distat a nostra, et forsan si

piis-

piissimus vir Monasterii studiosissimus viveret, libenter Monialibus assentiretur.

Petunt Moniales perpetuam Missarum reductionem, postquam ad quinquennium a R. F. S. Petri illam impetrarunt, atque a Pontifice Clemente XIV. obtinuerunt, ut Missæ celebrari possent ab ordinario ipsarum Confessario, quem etiam earum Capellanum ordinarium esse inde eruitur, quia secus nulla opus fuisset Pontificis venia, ut indicatas Missas celebraret. Petunt quoque, ex reditibus Legatorum Ubaldini detrahi annuum stipendium Confessario præstandum in *scutis* 25. nempe in majori summa, quam Episcopus olim præfiniverit. Petunt denique Bona prædictorum Legatorum quorum administratio jam est penes ipsas Moniales, per modum perpetuæ incorporationis, omnino cæteris Monasterii Bonis uniri. Undique igitur commutari poscunt, ac fere penitus everti Com. Bernardini voluntatem, quam exacte custodiendam, executioni committendam, ac nonnisi ex justa, et necessaria causa commutandam esse statuit Conc. Trid. *Sess.* 22. *cap.* 4. *et Sess.* 23. *cap.* 10. *de Reform.* ac perpetuo respondit hæc Sac. Congregatio præsertim in *Ariminen. Capellaniæ* 22. *Julii* 1815., *et in Mazzarien. Reductionis*, *et Absolutionis* 14. *Decembris* 1822. Imo adeo gravem, adeo urgentem esse oportet causam commutandæ defunctorum voluntatis, ut nullo alio modo consuli publico bono possit *L.* 1. *Cod. de Sacros. Eccles.*, *L. Omnium Dig. De Testam.*, *Sac.Congr. in Asculana Commutationis voluntatis* 8. *Augusti* 1810., *et in citat. Ariminen.* 22. *Julii* 1815.

Justam, et apprime necessariam causam adesse dicunt Moniales, tum quia reditus oneribus ferendis sint impares, tum quia ipsæ Confessario carere non debeant. Horum alterum per se patet; atque hac de causa Episcopus Urbaniensis auctoritate *ordinaria*, *et delegata* indulsit, ut ex reditibus Legati Ubaldini stipendium Confessario solveretur in annuis *scutis* 20., quibus nunc modicum fieri augmentum *scutorum quinque* temporum ratio postulat. Alterum vero constat ex transmisso statu activo, et passivo Fundorum a Com. Ubaldi-

dino relictorum, qui nunc unum terrarum corpus efformant, et unico vocabulo *Cameschio* veniunt. Inito siquidem calculo ab *anno* 1815. *ad annum* 1821., ideoque per septennium, deductoque ex reditibus stipendio Confessarii in *scutis* 20., ad implenda onera juxta reductionem jam a R. Fabrica indultam defuerunt quotannis *scuta* 15. 66. 1., hinc si præfatum stipendium minime detrahatur, supererunt annua *scuta* 4. 33. 4. quæ longe absunt a quantitate necessaria pro celebratione duarum Missarum qualibet hebdomada, ac sexdecim Missarum in duobus Anniversariis, quarum celebratio juxta memoratam reductionem fuit omissa.

Profecto imminutis reditibus absque possessoris culpa, Missas esse reducendas monet Bened. XIV. *de Synod. Diœces. Lib.*13. *cap.ult.*, *et Sac. Congr. in Novarien. Reductionis onerum* 17. *Septembris* 1791., indeque concludunt Moniales, etiam pro præteritis omissionibus absolutionem esse concedendam, cum optima fide se gesserint, veluti testantur tam Vicarius Capitularis, quam Vicarius Apostolicus; et paupertatem obligati miserata, semper veniam quoad præteritum inadimplementum indulserit hæc Sac. Congregatio, ac præcipue in *S. Severinæ* 13. *Julii* 1725., *in Alben.* 24. *Martii* 1792., *in Romana Capellaniarum* 18. *Februarii* 1815., *et in Placentina Absolutionis, et Reductionis.* 18. *Martii ejusdem anni*, Denique Bonorum quoque unionem, et incorporationem necessariam, vel certe admodum utilem dicunt Moniales, quia cum penes ipsas jam sit administratio, si bona Legati cæteris Monasterii Bonis uniantur, expensæ, ac sollicitudines vitantur separatæ administrationis; quod abundare asserunt, ut petitioni sit indulgendum, cum Bonorum unio ex quavis rationabili causa, etiam in Jure non scripta, concedatur juxta theoricam Abbatis *in Cap. Sicut unire n. 2. De excess. Prælat.*

Verum perspicua repugnat, et enixa voluntas Com. Bernardini Ubaldini, qui Missas celebrari jubens, aperte vetuit *di ricorrere a chi ha l'autorità per la riduzione*. Obstare quoque videtur Urbaniensi S. Claræ Monasterio, utpote restituto post Sacratissimi Principis redi-

ditum ad Romanam Sedem, Bona fuisse assignata, quæ pro Monialium sustentatione sufficerent, ideoque etiam de stipendio Confessarii una cum cæteris expensis habitam fuisse rationem: nullimode vero constare, necessariam esse Missarum reductionem, ut indigentiæ ipsarum Monialium provideatur. Mutatis ergo temporum vicibus, ac redituum statu, cessasse dicenda est indulta ab Episcopo facultas solvendi stipendium Confessario ex reditibus Legatorum Ubaldini, qui si impares oneribus evaserint, erit quidem concedenda reductio eorum imminutioni respondens; ferendum tamen non erit, ut detractione stipendii, quod alio modo solvi debet, præfati reditus pene ad nihilum redigantur. Bona proinde Monialium fides in dubium revocari posse videtur, quia post obtentam Fundorum assignationem, oneri quoque stipendii Confessario præstandi respondentem; stipendium ipsum ex reditibus Legatorum Ubaldini detrahere voluerint, et hodie quoque deducere contendant: quandoquidem *bona fides non patitur, ut bis idem exigatur. Reg. Jur. 83. in 6.*, *L. 3. ff. De reg. Jur.*, *L. 51. §. 1. in fin. de Rejudic.*

Denique si penes Monasterium administratio Bonorum nunc quoque manere debeat; dubitandum non erit, quin eodem Villico, eodem Ratiocinatore, iisdemque negociorum gestoribus utendo, separata in Monasterii Libris haberi possit ratio redituum, et onerum Legatorum Ubaldini. Quamlibet ergo deesse rationabilem unionis, et incorporationis causam non immerito censeri poterit: adesse imo separationis necessitatem, ne secus eorumdem Legatorum, ac Bonorum ad illa spectantium omnis memoria pereat, atque ita eorum inadimplemento latissima futuris temporibus via sternatur.

Dignentur EE. PP. definire, quæ proponuntur

Dubia

I. *An, et in qua summa ex reditibus Legatorum Ubaldini sit præstandum annuum stipendium Confessario Monialium in casu etc.*

II. *An, et quomodo Missarum reductio sit concedenda in casu etc.*

III. *An,*

III. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritas omissiones in casu etc.*

IV. *An Bona Legatorum Ubaldini sint unienda Monasterio in casu etc.*

Non proposita cum sequenti

Sess. 25. cap. 9. De Reform.

ALBINGANEN. ERECTIONIS ABBATIÆ. Publicis tabulis *anno* 1606. complura Bona sua assignavit Vincentius Panizza pro præbenda Canonicatus, quem erigi cupiebat in Ecclesia Collegiata SS. Jacobi, et Philippi Terræ Tabiæ Diœcesis Albinganen., reservato jurepatronatus tum sibi, dum viveret, tum deinde Joanni Baptistæ Pastorelli, ejusque hæredibus, et successoribus: conditione addita, ut novus Canonicatus ejusdem dignitatis, honoris, et præeminentiæ haberetur ac cæteri Collegiatæ Canonicatus, nec non illius possessor, quem primo loco esse voluit Sacerdotem Vincentium Rolandi, quotidianas distributiones, perceptionesque una cum cæteris Canonicis lucraretur: si secus fieret, Bonorum assignationem, ac cætera omnia irrita prorsus, ac nullius momenti haberi voluit. Fundationem Canonicatus cum adjecta conditione probavit Albinganensis Episcopus, et collationis Litteras pro nominato Sacerdote Rolandi expediri mandavit; sed obsistente Capitulo, et honoris, ac distributionum participationem denegante, omnia illico in irritum cesserunt.

Tabiensis Capituli contradictionem ubi novit Vincentius Panizza, Bona omnia pro erectione Canonicatus assignata, irrevocabilis, quam inter vivos dicimus, Donationis titulo eodem *anno* 1606. transtulit in Joannem Baptistam Pastorelli = *aggravando tamen dictum Jo. Baptistam ad ea permutanda, seu ponenda in aliud opus pium, juxta voluntatem dicti Jo. Baptistæ, ita quod*

quod semper, et quocumque tempore ipse juxta propriam suam voluntatem permutaverit, fecerit, vel elegerit aliud pium opus, disputari nequeat de majori, vel minori pietate dicti operis, sed voluntas dicti Jo. Baptistæ sit, et intelligatur in totum, et per totum conformis voluntati dicti Vincentii, prout per hunc actum, et ad cautelam declarat futuram conformem voluntati suæ, illamque servari mandat = Voluit tamen, ut quocumque casu primus Bonorum possessor semper esset Sacerdos Rolandi, eorumque fructibus ad vitam frueretur: arbitrium vero Jo. Baptistæ tributum ad ejusdem quoque Hæredes, et Successores ampliavit, ad quos Bona donata *cum eadem facultate collata dicto Jo. Baptistæ* pervenire jussit.

Antiquitatis caligine obvolvitur quidquid postea duorum ferme sæculorum curriculo contigit: fertur autem, concordiam inter Capitulum, et Vincentium Panizza initam fuisse pro erectione Beneficii, loco Canonicatus, Beneficiatum vero Sacerdotem Rolandi receptum in Choro, eique distributiones quotidianas indultas fuisse. Fertur pariter, Litem deinde exarsisse inter Capitulum, et Beneficiatum Rolandi super executione Concordiæ, in qua vicit primo, ac postea succubuit Beneficiatus. Fertur denique, Jo. Baptistam Pastorelli ab Ordinario petiisse, ut numerum statueret Missarum a Beneficiato celebrandarum; ipsum vero sex sacra qualibet hebdomada, ac præsertim die festo offerri jussisse, et in Ecclesia Collegiata altare S. Margaritæ dicatum assignasse: Beneficiatum autem Rolandi parere, atque hujusmodi onus, a fundatione extraneum, in se assumere recusasse.

Omnium, quæ contigisse dicebantur, ignara prorsus Maria Antonia Pastorelli, abnepos, et hæres Jo. Baptistæ Pastorelli; perspicuis nixa verbis donationis *anni* 1606., Albinganensem Episcopum adiit, *anno* 1803. ejusque auctoritate erigi curavit Abbatiam, simplici etiam Clerico conferendam, in Oratorio Deiparæ Virgini Misericordiæ intra fines Tabiensis Paræciæ dicato, cum reservatione jurispatronatus pro se, suisque successoribus. Abbatem pro tempore gravari voluit onere celebrationis duarum Missarum qualibet hebdomada,

ac

ac præsertim diebus festis, nec non quotidianæ recitationis Psalmi *Miserere mei Deus*; primum vero Abbatem nominavit Canonicum Dominicum a Turre, qui ab Ordinario assecutus est institutionem, et Abbatiam usque ad diem 7. *Januarii* 1820. retinuit. Eo defuncto Maria Antonia nominationem contulit in Jo. Baptistam Spinola Filium suum, qui ab Ordinario institutus Abbatiam nunc possidet.

Postquam duas jam nominationes expleverat Maria Antonia, rumor ad ejus aures pervenit de iis, quæ antiquitus contigisse feruntur, ac præsertim de *sex* Missis celebrandis qualibet hebdomada ex Episcopi Albinganensis Decreto: quam ob rem tranquillitati propriæ conscientiæ, nec non firmitati, si fieri poterit, eorum quæ *anno* 1803. gesta sunt, consulere optans, preces huic S. Congregationi obtulit tum pro absolutione a censuris, si quas forte incurrerit, tum pro approbatione Abbatiæ bona fide, et Ordinarii auctoritate erectæ.

Rogatus de more Albinganensis Episcopus hæc tantum in maxima rerum omnium obscuritate, retulit. *Capitulum formaliter se non obstare datis ab Oratrice precibus protestatum est. Minus quoque adversatur Clericus Jo. Baptista Spinola Oratricis filius. Bona Beneficio, de quo agitur, affecta præseferunt annuum reditum scutorum quinque supra centum ex Censibus quinque, terris quatuor, et domo una conflatum. Porro Missarum numerus olim varius, aliquando incognitus. Nam usque ad annum 1724. constat ex Libris Parochialibus Legatorum, nonnisi duodecim annuales Missas fuisse per Capellanum celebratas, et inde ad annum 1793. Capellani alterius signatura invenitur, qui se Missas sex pro quaque hebdomada pro adimplemento celebrasse asserit, et postea nihil aliud. Causa vero mutationum hujusmodi nullibi apparet, ac nemo ex traditione didicit. Superest bona Oratricis fides, de qua summa, qua præstat et ipsa, et tota ejus familia religionis, et observantiæ laus dubitare non sinit. Ex quibus omnibus petitam gratiam, nedum ad sanandas Oratricis angustias, sed ad firmiorem Beneficii soliditatem congruentissimam fore, et ego judico, si EE.VV. videbitur.*

Manifesta sane voluntas est Vincentii Panizza; qui nisi

Ca-

Canonicatus erigi conditionibus ab ipso exoptatis posset, liberam, et adeo amplam Joanni Baptistæ Pastorelli, ejusque hæredibus, et successoribus facultatem contulit ad Bona *ponenda, seu permutanda in aliud opus pium . . . . semper, et quocumque tempore*, ut etiam de *majori vel minori, seu meliori pietate* novi pii operis disputari vetuerit. Canonicatum erigi nequivisse, et Mariam Antoniam abnepotem, ac hæredem esse Jo. Baptistæ Pastorelli, in facto minime ambigitur: hæredum vero, ac successorum appellatione fæminas quoque comprehendi, omnino exploratum est in Jure. Itaque si ex Bonis a Vincentio Panizza relictis Abbatiam auctoritate Episcopi erigi certis legibus curavit Maria Antonia; si nemo de qualitate hujus pii operis quæstionem excitare potest: ipsam jure suo usam dicere oportebit, ac proinde minime reprehendendam, quia *nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur Leg.* 55. *ff. de reg. Jur.*, *et Leg.* 124. *ff. eod.*

Neque obesse videntur, quæ de concordia a Vincentio Panizza cum Canonicis inita, deque secuta Beneficii erectione narrantur: de his enim ambiguus tantum rumor adest, neque ullam reperiri potuit Concordiæ monumentum, quæ cæteroquin solemniter stipulari, publicisque consignari tabulis debuisset. Onera quoque bonorum incerta, et variam fuisse Missarum celebrationem testatur Episcopus, adeout ad conjecturarum, et præsumptionum classem ableganda censeri possint omnia, quæ anteactis temporibus contigisse dicuntur. Verum tanti esse nequeunt præsumptiones, et conjecturæ, ut vim perimant publici Instrumenti Donationis, ex quo facultas manat a Vincentio Panizza tum Jo. Baptistæ Pastorelli, tum ejus hæredibus, et successoribus, ideoque et Mariæ Antoniæ tributa: cum imo adversus publicum Instrumentum luculentissimæ, et numeris omnibus absolutissimæ probationes sint afferendæ *L. Generaliter. Cod. De non numer. pæcunia*, *Rota Recent. part.* 17. *decis.* 178. *num.* 18., *et part.* 9. *decis.* 108. *num.* 7.

Accedit optima Oratricis fides, de qua dubitandum non esse monet Episcopus. Ipsa namque *anno* 1803, quando Abbatiam erigendam curavit, omnia ignorabat, quæ deinde vulgi sermonibus circumferri didicit; nihil au-

tem inconsulto Episcopo, nihil imo nisi ipso auctorante gessit: ac ubi cognovit, de legitima Abbatiæ erectione controversiam excitari posse, sibique metuendum, ne in censuras inciderit; illico ad hanc Sac.Congregationem confugit, ut gestorum approbationem, et a censuris absolutionem consequatur. Cum itaque Oratricis instantiæ Capitulum minime obstet, eidemque faveat Episcopus, oblatis ab ipsa precibus annuendum videtur.

Adversantur tamen omnia, quæ diuturno duorum ferme sæculorum spatio contigisse partim dicuntur, partim certo constat. Narrationis nullo suffultæ monumento limites non egrediuntur, quæ de Concordia a Vincentio Panizza cum Tabiensi Capitulo inita, de numero Missarum instante Jo.Baptista Pastorelli ab Albinganensi Episcopo præfinito, de recusato demum a Sacerdote Rolando earumdem Missarum onere asseruntur. Verum in facto exploratum est, Sacerdotes, qui Rolando successerunt, aliquando duodecim Missas quotannis, aliquando vero sex Missas qualibet hebdomada celebrasse: idque ex Parochialibus Legatorum Libris colligitur. Patet ergo, vel Capellaniam, vel Beneficium anteactis temporibus fuisse erectum, ac Beneficiato, vel Capellano Missarum onus fuisse impositum, cujus diversitas peculiaribus circumstantiis, ac Pontificio Indulto a Capellanis forsan obtento, non immerito tribui potest.

Amplam quidem facultatem Joanni Baptistæ Pastorelli, ejusque hæredibus, et successoribus tribuit Vincentius Panizza eligendi, ac statuendi pium opus *juxta propriam suam voluntatem*: nullam tamen potestatem fecit semel electum, ac statutum opus immutandi, ac perpetuo variandi; quod imo ab ejus mente omnino alienum fuisse censendum est, cum absurditatis plurimum præseferat. Erectio itaque Capellaniæ, vel Beneficii præclare pandit, Oratricis Majores indicata facultate esse usos; ipsi proinde minime licuisse aliud pium opus eligere; ideoque irritam Abbatiæ erectionem esse renuntiandam. Ignorantia siquidem, et bona Oratricis fides, cui Ordinarii approbatio accessit, eam vel a Censuris immunem, vel absolutione dignam reddent, cum cæteroquin de Bonis Ecclesiasti-

cis

nis pro lubitu disponere nequiret *Extravagan. Ambitiosæ de Reb. Eccles. non alienan.*; minime tamen prodesse poterunt, ut Abbatiæ prorsus illegitima erectio sustineatur.

Cum autem in sua Informatione retulerit Albinganensis Episcopus, ex Parochialibus Legatorum Libris constare, Missas *sex* usque ad *annum* 1793. qualibet hebdomada fuisse celebratas, *et postea nihil aliud*: videant EE. PP. an bona Oratricis fides ejusmodi sit, ut absolutionem quoque a præteritis omissionibus promereatur, ideoque dirimere dignentur.

Dubia

I. *An erectio Abbatiæ sit confirmanda in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione a censuris in casu etc.*

III. *An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritas omissiones in casu etc.*

SIGNINA CAPELLANIÆ. Joannes Baptista Cenciarelli *anno* 1717. Capellaniam sub Invocatione B. M. V. in Cœlum Assumptæ, ac S. Antonii Patavini fundavit in Archipresbyterali Ecclesia Oppidi Gabiniani Signinæ Diæcesis; suisque filiis Josepho Antonio, et Francisco Antonio, ac eorum descendentibus facultatem tribuit nominandi, ac deputandi Capellanum *in perpetuum, vel ad nutum*, addita declaratione = *che essendovi della discendenza de'medesimi alcuno abile, ed idoneo, si possa questi ordinare a titolo di detta Cappellania, e promoversi al Sacerdozio, affine di adempire l'annuo peso di Messe dodici, a ragione di una Messa al mese; quale diritto loro si accorda in infinito, ed in perpetuo.* *Sess. 25. Cap. 5. de Reform.*

Jure nominandi ad Capellaniam nunc pollent *Maximus* Cenciarelli, qui eam olim possedit, atque ad statum conjugalem transiens amisit; *Joseph* Cenciarelli, qui pariter Capellaniam obtinuit, illamque *anno* 1821.

 spon-

sponte dimisit; denique *Dominicus* Cenciarelli Romæ egens, ac filium habens Josephum ætatis *annorum decem*, Clericum, et Sacrario Lateranensis Basilicæ addictum. Vacante per indicatam Josephi dimissionem Capellania, Maximus nominavit Sacerdotem Josephum Marcelli: mutato dein consilio ab hac Sac. Congregatione veniam petiit, administrationis titulo eamdem Capellaniam in statu conjugali retinendi quousque vel ipsius filius, vel quivis alius de Familia *abile, ed idoneo* ad institutionem obtinendam adesset: eique morem gerens Sacerdos Marcelli declaravit = *di essere pienamente contento, che la Cappellania . . . . a cui era stato nominato, possa ritenerla Massimo Cenciarelli, ed a tale effetto rinunzio all'elezione fatta.*

Interea Dominicus apud Acta Signinæ Curiæ instetit, ut ejus Filius Joseph in Capellania institueretur: indeque lis inter Dominicum, et Maximum exarsit, quam *die* 30. *Octobris* 1822. diremit Vicarius Generalis Signinus decernendo = *Josephum Cenciarelli non esse immittendum in possessionem dictæ Capellaniæ, cum nondum pervenerit ad ætatem* 14. *ann. a jure requisitam, et cum ex dicta dispositione nullum jus habeat ad prædictam Capellaniam, requirens idem fundator Joan. B. Cenciarelli, quod Capellanus sit habilis, atque idoneus, qui ordinari possit titulo ejusdem Capellaniæ, cujus jus nominandi in præsentiarum spectat, et pertinet ad omnes descendentes ex linea dicti Joan. Baptistæ* = Hac edita Sententia Clericus Joseph a Summo Pontifice dispensationem ab ætatis defectu imploravit, ejusque supplex libellus fuit ad hanc S.Congregationem remissus; preces quoque suas instauravit Maximus, ut Capellaniam in statu conjugali retinere possit; denique Sacerdos Marcelli petiit, ut aut Maximo, cujus favore tantummodo juri suo cessit, Capellaniæ administratio concedatur, aut sibi Capellaniam vigore jamdiu obtentæ nominationis habere liceat.

Pluries opus fuit Episcopi informationem requirere: illius autem ex responsionibus ea deprompsi, quæ superius narravi: præterea hæc addidit = *Orator* (Maximus) *apposuit* nihil transeat contra quoscumque *putans ad se solum pertinere jus præsentandi. At aliud* nihil transeat *apposuit Dominicus Cenciarelli Romæ morans*,

tam-

tamquam unus de Familiis Cenciarelli, ut ipse ajebat. Infra hoc tempus Orator nominavit Sacerdotem Josephum Marcelli, qui usque nunc a mea Cancellaria nequivit habere possessionem, attento nihil transeat *prædicti Dominici Cenciarelli. Fructus Capellaniæ non excedit triginta scutata, summam depuratam ab omni onere. Onera vero sunt duodecim Missæ lectæ quolibet anno, una scilicet pro omni mense, et quindecim julii pro oneribus cameralibus, quæ onera adamussim in mea S. generali Visitatione Diœcesana adimpleta fuisse conspexi. Orator (* Maximus *) binos habet filios teneræ ætatis, fœminam, et masculum videlicet adhuc infantem. Orator est penitus orbatus fortunæ bonis, et præter binos filios jam enunciatos, habet etiam onus alendi duas Sorores nubiles.*

Auditis interesse habentibus, et patronis, meliori modo, quo potui, refero, quod Sacerdos Marcelli sub die 16. mensis currentis renunciationem, et omne jus ad eamdem Capellaniam remisit ad hanc meam Cancellariam. Joseph vero Cenciarelli, et Dominicus genitor Clerici Josephi Cenciarelli nullum consensum præstare intendunt, ut Orator Maximus eam retineat in statu conjugali, donec inveniatur aliquis de præfatis familiis habilis, et idoneus ad occupandam eamdem Capellaniam. Immo idem Dominicus optat, ut habilitetur Clericus suus filius, pro nunc inhabilis reputatus in Sententia, uti supra emanata, tum ratione ætatis a jure requisitæ, tum ratione voluntatis Institutoris, et usquenunc appellationem sententiæ emanatæ non apposuit. Concludit denique Signinus Episcopus = *Oratorem Maximum esse pauperem, ut exposuit in precibus; ex quo Sapientia Vestra potest agnoscere, si sit præferendus electioni Capellani, donec inveniatur unus de præfatis familiis Cenciarelli habilis, et idoneus ad eamdem Capellaniam suscipiendam, ut requirit Institutor; vel reddere habilem præfatum Clericum Josephum filium Dominici Cenciarelli, qui causam introduxit in hac mea Cancellaria.*

Multiplex igitur proponitur quæstio; an scilicet exaudiendus sit Maximus Cenciarelli, qui conjugatus Capellaniam administrare optat, donec ejus filius, vel quivis alius ex familia Cenciarelli ad possidendam Ca-

pel-

pellaniam sit idoneus: an potius dispensationem a defectu ætatis mereatur Clericus Josephus Cenciarelli: an denique Presbytero Marcelli a Maximo Cenciarelli præsentato danda sit Capellaniæ institutio.

Capellaniæ nominationem suspendere, vel inabiles ad eam obtinendam habilitare, piorum Fundatorum voluntati repugnat; ab utroque proinde abhorrent Ecclesiæ Canones jubentes, ut Testatorum placita tamquam leges serventur *Cap. Ultima voluntas.* 13. *q.* 2., *et Cap. Cum Marthæ §. cæterum infra de celebr. Missar.*, *Fagnan in Decretal. L.* 3. *C. Tua nobis. de Testam. num.* 14. et passim hæc Sac. Congregatio, et signanter in *Nullius*, *seu Sublacen.* 3. *Augusti* 1806. Nemine tamen extante in familia, ac inter passive vocatos, qui idoneus sit ad Capellaniam consequendam, præsumpta concurrit Fundatorum voluntas, ut illius reditus erogentur in sublevandam consanguineorum inopiam, quos verosimile est Fundatores magis dilexisse quam extraneos, ut *post text, in Cap. Pervenit de jurepatron.* tradit *Amostaz de causis piis L.* 1, *num.* 14. cui præsumptæ voluntati accedit juris dispositio, quæ opitulandos esse jubet patronos pauperes Beneficiorum reditibus *Cap. Decernimus* 8. *quæst.* 7., *et Cap. Nobis de jurepatron.* et hæc *S.* Congr. in *Montis Regalis Capell.* 7. *Septembris* 1793. idemque de Testatoris hæredibus, et consanguineis statuit, ut in *Can. Quicumque caus.* 16. *quæst.* 8. Rota apud Piton. *de controv. patron. alleg.* 36. *num.* 66., et ad opem iisdem ferendam hæc Sac. Congregatio sæpe Capellaniæ suspensionem indulsit, ut in *Asculana Capell.* 3. *Martii* 1792.

Maximum Cenciarelli Fundatoris esse descendentem, et Capellaniæ Patronum, nulla est ambiguitas: esse vero *pauperem ut exposuit in precibus*, testatur Episcopus; quæ quidem paupertas eo magis miseranda est, quia Maximus præter filium, et filiam infantes, duas quoque sorores suas alere tenetur. Exaudiendæ igitur ejusdem preces videntur: eoque magis, cum juri alterius nihil detrahatur, quandoquidem Sacerdos Marcelli suum præstat assensum, et in Familia n onadest = *alcuno abile, et idoneo* = ad Capellaniam obtinendam, sicuti facto proprio confirmat Cleri-

riens Joseph, qui dispensationem a defectu ætatis implorat.

Verum si EE. PP. censeant, Maximi inopiam sufficere, ut ab eo petita Capellaniæ suspensio indulgeatur; advertere dignentur hanc eamdem inopiæ causam concurrere favore Clerici Josephi Cenciarelli a proprio parente præsentati, atque indultum ob ætatis defectum implorantis = *per così potersi avanzare allo stato Ecclesiastico, ed aver mezzi da studiare, non potendo questi ottenere per parte del povero Padre Domenico Cenciarelli, che per procacciarsi il pane è obligato ogni giorno zappare la terra* = Clericalis autem status, ac finis ad Sacerdotium ascendendi, Fundatoris voluntati apprime respondet, uti clare apparet ex superius relata dispositione, qua Fundator statuit, ut pro familiæ suæ Clericis Capellania in Ordinationis titulum valeat adhiberi. Non raro autem ætatis veniam ad obtinenda Beneficia, et Capellanias indulgendam esse respondit hæc Sac. Congregatio ut in *Lucana Beneficii, seu Capellaniæ* 17. *Maji* 1749., *in Asculana Capellaniarum Super dispensatione* 22. *Augusti* 1750. et favore Pueri quinquennis contra duos Sacerdotes a Patronis præsentatos rescripsit in *Foroliv̈ien. Capellaniæ* 25. *Junii* 1791.

Clerico Josepho contradicit Sacerdos Marcelli, qui antequam Dominicus Cenciarelli pro eodem Clerico filio suo in Curia Episcopali Signina instaret, ad Capellaniam fuit a Maximo Cenciarelli præsentatus; et quamquam suæ præsentationi renuntiarit, id tamen se fecisse asserit favore Maximi tantum, cujus inopiæ levamen afferre voluit. Reque vera ad certum casum coercita sunt, et conditionem continent ea renunciationis verba = *dichiaro essere pienamente contento, che la Cappellania . . . . possa ritenerla Massimo Cenciarelli, ed a tale effetto rinunzio all' elezione fatta* = Hinc si conditio locum non habeat, abdicatio corruere videtur, juxta commune principium, quod deficiente conditione in actu apposita, actus quoque deficit *Gloss. et Alber. in L. 2. ff. De in diem adjec., Peregrin. de Fideicomm. art.* 42. *n.* 21., *Rota Decis.* 88. *num.* 1. *coram Crispo, in Nucerina Immissionis* 1. *Julii* 1757. §. 2. *coram Fara-*

cia-

ciano, *et in Rom. Caducit. 8. Maji 1771. §. coram Mannelli*, *et hæc Sac. Congr. in Romana 13. Februarii* 1819. Deleta vero renunciatione, concludit Sacerdos Marcelli, sibi uni concedendam esse Capellaniæ institutionem.

Obstare tamen videtur, nihili faciendam esse nominationem in Sacerdotem Marcelli collatam a Maximo Cenciarelli, tum ob *nihil transeat* a Dominico interpositum, quo factum est, ut nullum in Signina Curia sortiri potuerit effectum; tum fortius quia Maximus perperam asseruit, se unum esse Capellaniæ patronum, cum imo æquali nominandi jure tam Dominicus, quam Joseph Cenciarelli gaudeant; ideoque Sacerdos Marcelli vix unam e tribus Patronorum vocibus obtinuerit. Inde vero consequitur, spernendam esse renunciationem juris, quod nullum erat, eoque certius; cum renunciatio, in Episcopali Curia emissa, certæ personæ favorem respiciat, ipsomet fatente Sacerdote Marcelli, ideoque conditionem Ecclesiasticis Legibus penitus improbatam, et ab Episcopo nullimode admittendam, contineat, uti in re notissima tradunt *Engel. Lib. 1. Decret. tit. 9. num. 8.*, *Barbos. Lib. 3. Jur. Eccles. univers. cap. 15. num. 58.*, *Piring. Lib. 1. Decret. tit. 9. num. 77.*, *Reiffenst. ibid. num.* 110.

Dirimenda itaque proponuntur

Dubia

I. *An, et quomodo annuendum sit precibus Maximi Cenciarelli in casu etc.*

Et quatenus negative

II. *An danda sit institutio Presbytero Marcelli in casu etc.*

Et quatenus negative

III. *An sit consulendum Sanctissimo pro dispensatione super defectu ætatis favore Clerici Josephi in casu etc.*

SPO-

SPOLETANA REDUCTIONIS ONERUM, ET ABSOLUTIONIS. Supremis tabulis *diei* 6. *Augusti* 1638 Christophorus Francia Terræ Montis Franchi Spoletanæ Diœcesis, duas erigi jussit Capellanias, alteram in Ecclesia B. M. V. Carmeli, alteram in Ecclesia Parochiali, deinde præcepit quolibet anno pauperi puellæ Dotem tribui *Scutorum* 35. Hæreditatem vero suam reliquit Societati in præfata Ecclesia B. M. V. erectæ, lege tamen Sanctimonialium cœnobium construendi: cui operi si vires hæreditariæ pares non invenirentur, tertiam Capellaniam in eadem Carmeli Ecclesia fundari voluit; quæ deinde, bonorum tenuitate comperta, reapse instituta fuit. Cuilibet Capellano a Societate eligendo, et ad ejus nutum amovibili, solvi Testator quo annis mandavit *scuta* 30., *aut* 40. cum onere quatuor in singulis hebdomadis offerendi Sacrificia in animæ propriæ, suorumque consanguineorum expiationem. His accessit et quarta Capellania, similiter de jurepatronatus memoratæ Societatis, a Nicolao Francia in Parochiali Ecclesia iisdem legibus fundata. *Sess* 22. *cap*.6. *et sess.* 24.*cap.* 15. *De Refor.*

Reditus a piis Fundatoribus relicti ob præteritas calamitates, agrorumque sterilitatem valde sunt imminuti, ac præterea Societas cultui propriæ Ecclesiæ consulere tenetur: quibus factum est, ut pluribus ab hinc annis dotes, quamvis promissæ pauperibus puellis, non fuerint præstitæ, nec onera unius ex Capellaniis adimpleta. Quare Prior Societatis absolutionem efflagitat quoad Missas non celebratas, necnon suspensionem Dotis, et nominationis ad vacantem Capellaniam, usque dum æs alienum fuerit dissolutum, et reditus in antiquum statum redierint.

Requisitus Archiepiscopus ita suam aperuit sententiam = *Moderatorum Societatis B. Virginis Carmeli preces remitto; et ut vestram obtineant clementiam, plura etiam concedendo, summopere precor. Certe gauderet populus spirituali lætitia, si ad animarum levamen duæ tantum ex quatuor efformarentur Capellaniæ cum onere absoluto Parochum coadjuvandi; una quarum in Parochiali, in B. V. Carmeli Ecclesia altera constitui posset.*

Hoc posito, EE. VV. literis stricte respondeo. Rectores, seu Capellani sunt amovibiles, et a Societate eliguntur . . . . Scutata unusquisque habet triginta, et libras quatuor ceræ albæ elaboratæ quotannis, cum onere Missarum quatuor in singulis hebdommadis.

Bona administrantur a Societate, et ducto calculo per decennium . . . . dant pro annuali reditu scuta 180. ad summum. Hinc detrahuntur

Pro Capellanis	₰	126 40
Puellæ dotatione	₰	35 —
Comeræ impositionibus . . .	₰	10 —
Lampadæ oleo	₰	8 —
Ecclesia, divino cultu, et inservientibus	₰	25 —
Pulsante Campanas, atque Horologii Moderatore	₰	12 —

Habebimus ideo pro summa negativa ₰ 216. 40 *a quibus si detrahatur summa positiva scut.* 180 *summa remanebit negativa Scut.* 36. 40. *quæ singulis annis fit copiosior. Per tres annos revera nulla dotata fuit puella; ideoque debitum adest centum quinque Scutorum, quæ necessario essent solvenda quamprimum. Puellæ vero, quæ tali gaudent subsidio, non adsunt vocatæ, sed adveniente Resurrectionis Domini solemnitate eliguntur per sortem.*

Tribus item ab hinc annis deficiunt Sacra pro una Capellania: vacat altera a die 15. *Julii* 1820., *et tertia forsan absque Rectore manebit. Quid inde de quarta dicendum? Hæc Eñi PP. parem aliis incurreret sortem, ni Episcopo, Societatis Carmelitanæ electionem approbante, recepta fuisset ad vitam titulo Patrimonii sacri a Sacerdote quodam Regulari D. Antonio Federici.*

Patet igitur ex dictis, quam sit actu infelix hujus piæ Societatis conditio. Solus Federicius nunc adest interesse ligatus, cui nullum affert damnum supplicatio. Consentit imo eodem modo, quo Populus, qui una mecum EE. VV. obtestantur pro favorabili rescripto. Hoc ideo votum emitto Patres amplissimi.

Duo in perpetuum extent Capellaniæ, quæ partiabiliter sumptæ quinquaginta reddant scutata pro totidem Capel-

pellanis Archipresbyterum adjuvantibus de præcepto, et onere quatuor Missarum in singulis celebrandarum hebdomadis. Sic satis nongentorum triginta septem fidelium necessitatibus provisum erit. Reliqui fructus, si qui fuerint, dentur puellis, cæterisque oneribus absolvendis Episcopo disponente deserviant.

Per quinque annos vero si tamdiu æs alienum necessitas solvendi, et adolescentulum, meo judicio, ex parte in hoc Seminario illius Terræ alendi causa perdurabit; unus tantum statuatur Capellaniarum Rector cum onere Missarum quatuor, ut dixi superius. Quæritur itidem, et instanter quæritur de transactis absolutio.

Bona a piis Testatoribus relicta, si absque ulla Administratorum fraude, culpave ita deteriora evaserint, ut fructus oneribus pares non reddant, nunquam reductionem, multoque minus suspensionem onerum denegare solet S. Congregatio, ceu testantur resolutiones in *Romana Commut. Voluntat.* 27. *Februarii* 1734., *in Romana Reductionis* 2. *Maji* 1818., *et in Nullius S. Martini* 24. *Augusti* 1822. Reditus a Testatoribus Francia relicti, non Societatis culpa, sed temporum calamitate, agrorumque sterilitate valde imminuti sunt, adeo ut, teste Archiepiscopo, singulis annis desint *scuta* 36. 40. quorum defectui cum nemo teneatur occurrere, impertienda est petita suspensio.

Neque obesse censet Prior Societatis, quod reditus sufficiant implendis piis Legatis: cum enim Societas, Capellaniarum patrona, nullis opibus prædita sit, quibus Ecclesiæ cultui, aliisque necessariis sumptibus prospiscere queat, ideo nonnulla ex iisdem Legatis suspendenda videntur. Profecto haud insuetum est, ut ad levandam patronorum inopiam onera tum Missarum, tum aliorum piorum operum suspendantur, vel imminuantur, S. Congregatio in *S. Michaelis de Clusa* 2. *Decemb.* 1775., *in Januen. Capellaniarum* 31. *Augusti* 1819., *et in Derthonen. Alimentorum* 20. *Januarii* 1820. Itaque hoc beneficio gaudere debet Societas Montis Franchi, utpote quæ inopia premitur, et Capellaniarum jurepatronatus pollet: idque Testatorum voluntati apprime consonum videtur. Ipsos

enim Capellaniarum juspatronatus Societati de Carmelo relinquentes, hujus existentiam præcipuum in modum exoptasse putandum est; ac propterea si eam bonis omnino destitutam agnovissent, ita dispositionem suam temperassent, ut illius quoque foret necessitatibus consultum.

Modum vero suspensionis onerum juri omnino consentaneum a Priore Societatis proponi constat. Perpetua enim est Sac. Congregationis praxis, de qua testatur etiam Benedictus XIV. *lib.* 13. *cap. ult. n.* 23. *de Syn. Diœc.* ut quoties reductio facienda sit, potius eleemosynæ, aliaque pia Legata, quam Missæ reducantur, nisi contrariam fuisse Testatoris voluntatem appareat. Nulla sane præ Capellaniis erga dotis præstationem peculiaris emicat affectio Testatoris Christophori Francia; imo ex ordine, quem in exaranda suprema voluntate servavit, duarum saltem Capellaniarum implementum Doti prætulisse existimandum est, uti in simili casu animadvertit Sac. Congr. in *Mazarien Reductionis* 14. *Decembris* 1822.

Utilior fortasse videtur reductio, quam indulgeri Archiepiscopus enixe petit. Quam maxime enim curandum est, ut Fideles Sacramentorum administratione nutriantur, ac verbo divino excolantur. Id autem facilius, atque uberius obtineretur; si ex quatuor duæ constituerentur Capellaniæ, imposito Capellanis onere Parochum in animarum cura adjuvandi. Atque hanc reductionem suadet nedum utilitas, sed ipsa necessitas, cum in Terra Montis Franchi non adsint indigenæ Sacerdotes, qui Missarum onera impleant; multoque minus extranei sperari possint, qui proprium domicilium deserant, et illuc se conferant sine spe sufficientis sustentationis. Profecto hac de causa impertita fuit reductio Capellaniarum in *Mediolanen.* 9. *Aprilis* 1728., *et in Melevitana* 23. *Aprilis* 1796.

Mature quoque ponderandum, quod ultimo loco proponit Archiepiscopus, unum scilicet, dum æs alienum solutum fuerit, constituendi Capellanum, qui Parocho suppetias ferat, singulisque hebdomadis quatuor Missas celebret; ac præterea Adolescentulum Montis Franchi, saltem ex parte, in Seminario alendi. Si enim ubique Clerici exoptandi sunt religiose edu-

educati, et in disciplinis ecclesiasticis optime instituti, quoniam per ipsos cultus divinus augetur, servatur religio, atque errantes ad bonam revocantur frugem, *Trid. Syn. Sess. 23. cap. 18. de Reform.*, *Francez de Eccl. Cathed. cap. 28. n. 304.*, id profecto magnopere necessarium est in Monte Franco, ubi ne reperiuntur quidem Sacerdotes, qui Missarum onera impleant.

Verum suspensioni a Priore Carmelitanæ Societatis petitæ adversatur Testatorum voluntas, quam sancte servandam præcipiunt Canones, ipsæque Civiles Leges, *Can. voluntas 13. quæst. 2.*, *L. 1. Cod. de SS. Eccles.*, *L. si quis ff. de condit. et demonstr.* Nec paupertas Societatis justa censenda est causa, cur legata suspendantur, aut reducantur; quandoquidem pii fundatores non Societati, sed sibi consultum voluerunt; idque ex eo liquet, quod in Animarum suarum expiationem Missas celebrandas jusserint. Reditus vero, qui ex Testatorum Bonis percipiuntur, satis sunt, quin imo excedunt pecuniæ vim ad implenda Legata necessariam, ac proinde denegari debet onerum suspensio, multoque magis reductio uti denegata fuit in *Ostunen. Reductionis Missarum 4. Decembris 1784.*, *in Maceraten. Reductionis 12. Junii 1794.*, *et in Romana Reductionis 5. Septembris 1818.*

Testatorum menti magis etiam repugnant, quæ ab Archiepiscopo proponuntur, quia non solum reductionem onerum, sed commutationem quoque voluntatis continent. Ultimas defunctorum voluntatis non esse commutandas, nisi ex justa, et necessaria causa sanxit Tridentina Synodus *Sess. 22. cap 6. de reform.* Abest necessitas, cum Archipresbyter satis sit ad regendam Paræciam, cujus animæ millium numerum non attingunt. Abest quoque justa causa; quoniam si in arbitrio Archiepiscopi poneretur quidquid superest pensione duobus Capellanis præstita, aut in puellarum dotem, aut in Adolescentis alimoniam, aut in alios pios usus erogandi, non modo sine rationabili causa pii Fundatores majoribus suffragiis privarentur, sed et puellarum Montis Franchi certum jus læderetur; quo in casu Leges abhorrent a commutationibus voluntatum, *L. Rescripta*

pta 7. Cod. de precib. Imper. offer., *Moneta de commut. cap. 11. n. 29.*, *Layman. lib. 4. tract. 2.*

Quod vero spectat ad absolutionem pro Missis non celebratis, ea quidem concedi solet, si nulla intercesserit fraus, ac reditus non in propriam utilitatem, sed in usus pios Administratores contulerint; nam non solum sacrificia, verum etiam reliqua pia opera sunt Deo accepta, et animæ valde proficua, uti docet Bened. XIV. *lib. 13. cap. ult. n. 23. de Syn. Diæc* Hujusmodi absolutionum exempla videre licet in *Faventina Reductionis* 15. *Jan.* 1780., *in Anconitana* 16. *Martii* 1782., *et in Mazarien.* 14. *Decemb.* 1822. Officiales autem Societatis non propriæ utilitati, sed Ecclesiæ decori prospicientes, sibi fas esse putarunt Missarum potius celebrationem suspendere, quam Ecclesiæ cultum negligere. Cum tamen Societates cultui Capellæ, aut Ecclesiæ, in qua sitæ sunt, non Missarum legatis consulere debeant, sed propriis ipsarum Societatum reditibus, aut fidelium oblationibus, Clemens VIII. *Const. Quæcumque* §. 8. *diei* 7. *Dec.* 1604., aut tandem Confratrum sumptibus; perpendant quæso EE. PP., utrum in casu petita absolutio sit concedenda.

Itaque proponuntur

Dubia

I. *An, et quomodo concedenda sit suspensio onerum, vel potius reductio in casu etc.*

II. *An, et quomodo consulendum SSmo pro absolutione in casu etc.*

Die Sabathi 22. Novembris 1823. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

Sub auspiciis SSmi D. N. Papæ LEONIS XII., *die 28. Septembris proxime elapsi*, nempe vigesimo sexto die postquam Emi, ac Rmi Domini S. R. E. Cardinales Conclave, in Palatio Apostolico Quirinali habitum, ingressi fuerunt, Pontificis Maximi summa totius Catholici Orbis, ac *fidelium* præsertim Subditorum exultatione electi, Folia hujus Sacræ Congregationis resumuntur.

Trium, quæ sequuntur, Causarum quum urgeat resolutio, eas cæteris, quæ in superiori Congregatione *diei 2. Augusti* indecisæ remanserunt, anteponendas esse duxi.

SUTRINA COLLEGII ECCLESIASTICI = Sacris decoratus infulis Nepesina, et Sutrina R. P. D. Anselmus Basilici, ad rectam, et Ecclesiasticam juvenum, in Diœcesano Sutrino Seminario degentium, institutionem præcipuas intendit curas. Itaque nil habuit antiquius, quam ut Seminarii Ædes ampliarentur, pauperes Clerici in ipsis reciperentur, et auctis stipendiis egregii Præceptores allicerentur. Verum hæc nihil utilitatis Diœcesibus, quibus præest, attulisse cognovit, cum ad Seminarium Sutrinum perpauci, præsertim ex aeris insalubris opinione, accederent. Antistitis, Diœcesim Sutrinam Sacra Visitatione perlustrantis, animum hæc maxime angebant; cumque id noverint Cives Roncilionenses, qui *anno* 1731., Su- *Sess. 23. Cap. 18. De Reform.*

Sutrinam Ecclesiam regente Episcopo Vecchiarelli, Diœcesanum Seminarium e Sutrio Roncilionem transferri frustra petierunt; Ædes olim Carmelitarum, nunc ad Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ pertinentes, pecuniam pro supellectili, annuam pensionem pro juvenum alimentis, Præceptores gratuitos e gremio Capituli obtulerunt, exorantes, ut in Civitate Roncilionensi Seminarium, vel Collegium Ecclesiasticum aperiretur.

Votis Roncilionensium cessit Episcopus, non tam eorum liberalitate, quam suarum Diœcesum necessitate, ac utilitate commotus; et quamvis certior factus fuerit de Sutrinorum dissensu, qui suis juribus grave detrimentum inferri putabant, die 24. *Septembris* 1821. in eadem Sacra Visitatione decrevit = *prævia reservatione omnium, et singulorum redituum, jurium, bonorum, privilegiorum ad Ven. Seminarium Sutrinum quomodolibet spectantium, et hactenus addictorum, utendo facultatibus tam ordinariis, quam delegatis in actu Sacræ Visitationis sibi quomodolibet competentibus, nunc pro tunc videlicet pro eo tempore, quo resolutionis Capitularis, et Consiliaris* (quibus et ædes, et annua pensio, aliaque novo Seminario, seu Collegio tribuebantur) *legitima probatio habita fuerit, dixit, decrevit, ac pronunciavit, locum, de quo supra, erigendum esse; prout erexit, et erigit in Collegium Ecclesiasticum, seu Episcopale, cum omnibus privilegiis, prærogativis, et juribus sub immediato regimine, et protectione Episcopi pro tempore, ad informandos Adolescentes ad Religionem, Ecclesiasticam disciplinam, et scientias etc.* = Postridie vero Promothoris Fiscalis nomine petitum fuit, ut per modum Provisionis Collegii aperitio decerneretur, et Episcopus *die 25. ejusdem Mensis* Collegium aperiri mandavit. Aperitionem tamen impedire tentarunt Capitulum Sutrinæ Cathedralis, et Communitas illius Civitatis, Monitorio coram A. C. expedito, sed instante Episcopo, ad hunc Sacrum Ordinem delata est quæstio, quæ distributis utrinque Allegationibus, hodie EE. VV. decidenda proponitur.

Plura duobus distinctis capitibus afferunt Sutrini, ut Episcopi Decretis denegetur executio. In primo capite

te probare nititur eorum Defensor, erectionem Collegii in omnimodam eversionem Seminarii Sutrini tendere. Nam ex litera, et ratione Decreti Concilii Tridentini *Sess* 23. *cap.* 18. *de Reform.*, Seminarium stare debet apud Ecclesiam Cathedralem, vel saltem in Civitate Episcopalis Cathedræ honore decorata; ideoque manifesto jure nituntur Cathedralis Capitulum, et Communitas Sutrina, dum sese opponunt iis, quæ in Seminarii eversionem fuere decreta, prout esse affirmant Collegii Roncilionensis erectionem. Illius enim erigendi causa est vel angustia Sutrini Seminarii, vel infesta Cœli temperies: quæ si admittantur, actum jam est de Seminario Sutrino, quia nemo amplius ad illud accedet, neque alumni, aut convictores aderunt, neque Præceptores invenientur ad juvenes instituendos, sed omnes Roncilionense Collegium petent. Finis autem ab Episcopo designatus, ut Clerici ad Sacerdotium informentur, cum ratione omnino congruit, ob quam Tridentina Synodus erectionem imperavit Seminarii, cujus nomen facile assumet Roncilionense Collegium, quod illius scopum, et qualitates jam habet.

Reque vera Seminarium esse non Collegium, facile quisque intelligit, si illius erectionis modum perpendat. Erigitur enim cum omnibus privilegiis, et prærogativis sub immediato regimine, et Episcopi protectione ad informandos adolescentes ad Religionem, Ecclesiasticas disciplinas, et scientias; quæ omnia veri Seminarii Diœcesani propria sunt: Collegii proinde aperitio non indirecte tantum, sed directe ad eversionem Seminarii tendit. Longe autem a themate distat Collegii Terracinensis exemplum; ibi enim de tribus distinctis Diœcesibus res erat, quarum singulæ jure proprio Seminarium habere poterant, nil itaque mirum si Anxuris Collegium aperire licuit: hic autem de una, eademque Diœcesi agitur, cum Civitas Roncilionensis Sutrinæ Cathedræ subdita sit.

Alterum defensionis caput in excludenda necessitatis, et utilitatis causa versatur. Angustiam Seminarii Sutrini excludit Sutrinorum Defensor ipsiusmet Episcopi testimonio, qui *anno* 1820. supplicem libellum

Pontifici Summo obtulit, narravitque *è riuscito all' Oratore . . . . . di ampliare al doppio il Locale in guisa, che ora è capace di contenerne* (Clericos nempe) *sino a sessanta*. Præterea si angustum sit Sutrinum Seminarium, licet Episcopo alterum Nepete aperire pro Nepesina Diœcesi, non Collegium, seu potius Seminarium in ipsamet Sutrina Diœcesi, quod Diœcesanum Seminarium evertat. Paupertatem quoque ejusdem Seminarii excludit, quæ cæteroquin, si adesset, adhibenda forent media a Sacris Canonibus, ac Trid. Synodo præscripta, ut pauperes Clerici ali possent.

Infestam vero Cœli temperiem negat idem Defensor; imo eximiam aeris salubritatem evincere conatur ex Sutrinæ Civitatis positione, ex terrarum qualitate, ex constanti experientia. Sutrii namque diutissime vivitur, quod pluribus demonstratur exemplis, ac præsertim cl. me. Card. Simeoni, qui ad extremam usque senectutem pervenit, quamvis in Civitate Sutrina perpetuo sit commoratus; idemque ex calculo decennali natorum, et defunctorum eruitur. Quamquam, si aerem insalubrem esse contendatur, non Collegium est erigendum, sed universum Seminarium est transferendum, quod Episcopi Decretis repugnat. Denique non inutilis modo, sed omnino damnosa dicitur Collegii erectio, quia in amæna Civitate situm est, ideoque difficilius Clerici ad proprios lares remeabunt, ubi Roncilionensibus deliciis, et commodis perfrui nequeunt. Si igitur nulla necessitatis, nulla utilitatis causa occurrit; si imo grave detrimentum imminet, reprobandam esse Collegii erectionem, Sutrinorum Defensor concludit.

Episcopus, et Roncilionenses totis viribus Decretorum executionem urgent. Tridentina enim Synodus in citat. *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.* statuit, ut Episcopi certum puerorum numerum = *in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias* (Cathedrales), *vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo alere, ac religiose educare . . . . teneantur* = præterea ubi de Ecclesiis ageretur amplas Diœceses habentibus, plenam indulsit facultatem, *ut possit Episcopus unum, vel plura in Diœcesi, prout sibi opportunum videbitur*.

tur, *habere Seminaria*. Novum non est, plura haberi Collegia, et Seminaria in eadem Diœcesi; extat imo exemplum Diœcesum unitarum Viterbiensis, ac Tuscaniensis, ubi Seminarium, tam Viterbii quam Tuscaniæ adest, et Collegium Centumcellis fuit erectum. Decretis tamen EE. VV., in *Terracinen.* seu *Setina* 24. *Augusti* 1816. latis, inhærens Episcopus Sutrinus, non Seminarium, sed Collegium Roncilione instituit, salvis juribus, præeminentiis, prærogativis Sutrini Seminarii: nihil ideo detrimenti sentit Seminarium Diœcesanum, neque in ejus eversionem tendit Collegii erectio. Manent namque Seminario antiqui reditus, imo ditius nunc est factum, cum Sa. me. Pii VII munificentia obtinuerit Episcopus, ut a singulis utriusque Diœcesis, Sutrinæ scilicet, ac Nepesinæ, Communitatibus annua scuta octo Seminario persolvantur.

Necessariam duxit Antistes Collegii erectionem, quia satis amplæ sunt Diœceses, et nimis angustum est Sutrinum Seminarium, nec omnes recipere potest Pueros, religiose in eodem Seminario educandos, et ecclesiasticis disciplinis instituendos. Præterea opinio de aeris insalubritate, sive vera, sive falsa sit, jamdiu invaluit, omniumque animis tam alte insedit, ut difficile admodum sit, Parentes invenire, præsertim si divites sint, qui Sutrino in Seminario filios suos educari patiantur: siqui vero id fieri sinant, eosdem æstivo tempore ad proprios lares revocant, quod educationis pestem Episcopus optimo jure appellat.

Idem prorsus de Præceptoribus usuvenit, cum reperiri vix possit, qui Sutrium se conferre velit; cumque æstivo tempore ibi morari omnino recusent. Quidquid autem sit de aeris insalubritate, quidquid de Sutrini Seminarii angustia, illud semper manere tum Episcopus, tum Roncilionenses animadvertunt, amplam eidem Episcopo facultatem a Tridentina Synodo concessam fuisse aperiendi Seminaria, et Collegia, prout Diœcesis vel necessitas, vel utilitas postulet: Roncilionense vero Collegium aperiri salvis juribus, et reditibus Sutrini Seminarii. Concludunt proinde executioni committendam esse Tridentini

sanctionem, posthabitis Sutrinorum querelis, quibus neque Collegii inutilitatem, rei veritate repugnante, ostendere valent, neque damna evincunt Sutrino Seminario inferenda; præsertim cum non quodlibet damnum, sed illud tantummodo, quod directe inferatur, sit attendendum, ne secus Episcopi facultas eludatur, ac Tridentini Decreta suo careant effectu. Cætera vero habent PP. EE. in distributis Allegationibus, ut dirimere valeant.

Dubium

An, et quomodo Decreta Episcopi sint exequenda in Casu etc.

Affirmative in omnibus.

Sess.21. *Cap.8.* *De Reform.*

SURRENTINA PROCESSIONUM = Diœcesanam Synodum *anno* 1642. habuit bo:me: Paulus Pellegrini, Caprearum Episcopus, et illius *Capite* 25. statutum fuit, *Festum Corporis D. N. J. C. solemni ritu celebrabimus, atque Processionem generalem habebimus mane post Missam Conventualem, ad quam Processionem omnes ex Clero, omnesque Regulares, ac Laicorum Confraternitates, ac omnes, et singuli Beneficia etiam simplicia, quamvis de jurepatronatus existant, in hac nostra Insula, et Diœcesi obtinentes, licet alias excepti, juxta quod Sacra Tridentina Synodus sanxit, et Sacra Congregatio declaravit, accedere tenebuntur: quapropter Processionem dicti Sanctissimi Corporis Christi eodem die in Terra Anacaprearum fieri prohibemus, sed transferatur in Dominicam proxime sequentem . . . .* Id ipsum de aliis Processionibus infra annum ducendis fuit sancitum; ac præcipue, quod *Festo S. Constantii Patroni, quod erit decima quarta Maji, omnes de Clero, et Beneficiati, et quomodolibet subditi nostri,*

stri, ut supra, accedere tenebuntur ad processionem pariter generalem, quæ fit a prædicta Ecclesia Pro-Cathedrali S. Stephani ad Ecclesiam S. Constantii etc.

Unde vero graves obortæ sunt contentiones inter Clerum Caprearum, et Clerum Anacaprearum, quæ post varias Episcopi pro tempore sanctiones, nec non post resolutionem S. Congregationis Episcoporum, et Regularium compositæ fuerunt a bo: me: Joanne Maria de Laurentiis Episcopo Caprearum in Actu S. Visitationis *anni* 1732., qui supplici Libello eidem exhibito ab universo Anacaprearum Clero *pro Synodi observantia* rescribens mandavit, quod *omnes Presbyteri, aliique de Clero Anacaprearum, nemine excepto, teneantur singulis annis, et in perpetuum interesse primis, et secundis Vesperis in Festivitate Divi Constantii hujus Insulæ Patroni, ejusque Statuam in generalibus Processionibus concomitari, tam in accessu ab Ecclesia Pro-Cathedrali ad Cathedralem, quam in recessu . . . . . nec non teneantur in die Festivitatis prædictæ de mane, singulis annis, ut supra, Divino Officio convenire, solemnique Missæ adsistere, ac inter Missarum solemnia solitam, debitamque præstare obedientiam; pariterque teneantur singulis annis ut supra, die Festivitatis Corporis Christi, generali Processioni intervenire, et Choro, ac Divino Officio interesse, et adsistere.*

Brevis tamen fuit quies hoc Rescripto parta: cum enim nimio rigore secum actum fuisse putaverit Clerus Anacaprearum, Litem paulo post prosequutus est in Sac. Congregatione Episcoporum, et Regularium, in qua, die 28. *Septembris* 1753, duo fuere proposita Dubia I. *An Presbyteri Portionarii Terræ Anacaprearum teneantur accedere ad omnes publicas Processiones, tam ordinarias, quam extraordinarias per Episcopum indicendas in casu etc.*, et quatenus affirmative II. *An cogi possint sub pæna suspensionis*; quibus laudata Sac. Congregatio, re mature perpensa, ac partibus auditis in voce, et in scriptis, respondit: Ad I. *Affirmative juxta Decretum Episcopi anni* 1732, *et ad alias Processiones extraordinarias, indicendas pro causa publica.* Ad II. *Affirmative, et causam hujusmodi in omnibus amplius non proponi mandavit.* Editis re-

resolutionibus, quamvis ægre, obtemperavit Clerus Anacapritanus: at protestationes identidem emittere non prætermisit, eam præcise ob causam, ne suis juribus quidquam detrimenti ex facto irrogaretur.

Contigit autem in nova Neapolitani Regni Diœcesum circumscriptione a Sa: Me: Pio VII. decreta, ut, Caprearum Episcopali Cathedra suppressa, Diœcesis Capritana Surrentinæ Archidiœcesi fuerit unita: ideoque Anacaprearum Clerus accedere amplius noluerit ad Civitatem Caprearum, ut Processionibus, divinisque officiis interveniret, quæ in diebus Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, et Sancto Constantio Insulæ Patrono dicatis peraguntur. Controversiæ notio ad cl. me. Cardinalem Caracciolo delata fuit, qui, mature perpensis juribus, menumentisque rerum gestarum ab Archiepiscopo Surrentino, et ab utroque Caprearum, et Anacaprearum Clero exhibitis, hanc edidit definitionem = *Non abbiamo potuto non riconoscere, che la risoluzione definitiva sull' attuale vertenza non dipende già dalla cognizione assicurata de' fatti sopraindicati, ma dipende totalmente dallo stabilire, se la preminenza, che in siffatta occasione esercitava il Capitolo di Capri, si può riferire assolutamente, ed esclusivamente a riverenza dovuta al Vescovo, ed al Capitolo, come Capitolo di Cattedrale, o se potesse essergli attribuita per qualche altro motivo; per quindi concludere, se la mutazione di Stato, che ha sofferto quel Capitolo in virtù delle Bolle di Circoscrizione, possa dar diritto al Clero di Anacapri d' innovare sull' uso costantemente praticato a riguardo delle Processioni, estremo urgentissimo nell' attuale vertenza. Abbiamo noi rimarcato, che oltre al diritto derivante dalla qualità di Capitolo della Cattedrale, questo Capitolo nell' antiche questioni ha sostenuto, che la sua Chiesa aveva sopra la Chiesa d' Anacapri le qualità, e le prerogative di Chiesa Matrice: egli riferì queste qualità, e prerogative a diversi indizj, e principalmente all' obligo del Clero di Anacapri di contribuire al Capitolo di Capri una certa quota degli emolumenti de' funerali, obbligo sanzionato ancora dal Laudo di Monsig. Verde Vescovo di Vico Equense, compromissario su questa disputa, emanato*

to sotto il giorno 10. Luglio 16.., e sempre eseguito. Questo, ed altri fondamenti atti a provare le qualità, e le prerogative di Matricità, furono in gran a lungo sviluppati nelle Scritture pro, e contra (quæ nunc desiderantur, quamvis plurimum ad rem facerent) *in seguito delle quali si ebbe la risoluzione della Sacra Congregazione de' Vescovi, e Regolari dell' anno 1755. Ora tanto su questi, che sopra di altri fondamenti, essendo intervenuta la detta risoluzione, nella quale non è indicato, quale di loro abbia indotto l'animo della Congregazione a così risolvere, tanto gli uni, quanto gli altri conviene a noi rifferirle, e perchè siamo in termini di sommariissimo possessorio, e perchè per sottrarsi dall antica soggezione è attore il Clero di Anacapri, e deve provare, che assolutamente, ed esclusivamente alla qualità del Capitolo Cattedrale v'era obbligato; ciò, che non ha fatto. E perchè in diverse circostanze abbiamo dovuto conoscere, ch'è intenzione di Sua Santità, che le Chiese, le quali per la necessità de' tempi han dovuto perdere l'eminente qualità di Cattedrale, conservino tutte le prerogative, e preminenze, le quali non sono incompatibili con il nuovo stato di Colleggiata, al quale sono state ridotte, crediamo di dover risolvere, che sino a quando la S. Sede non disponga diversamente, la Chiesa un tempo Cattedrale, oggi Collegiata di Capri, sull'articolo delle Processioni . . . . sia mantenuta nel possesso delle prerogative, e diritti, e delle preminenze sul Clero di Anacapri, che ha goduto fino alla soppressione di questa Cattedra Vescovile.*

Idem prorsus decrevit Cardinalis Caracciolo quoad adsistentiam in Divinis Officiis ab Anacaprearum Clero præstandam, ea potissimum de causa, quia Sanctitatis suæ voluntas est, quod Cathedralis suppressæ *conservino tutte le prerogative, e preeminenze, le quali non sono incompatibili al nuovo stato di Collegiata, provisoriamente però sino a quando non venga altrimenti disposto dalla Santa Sede. Sia Ella* (Archiepiscopus nempe Surrentinus, ad quem epistolam misit) *pertanto nell' intelligenza, essere mente del Santo Padre, che nulla di nuovo si faccia nell' esercizio delle funzioni Ecclesiastiche, che per l'addietro si praticavano*

ne'

ne' Capitoli delle Chiese soppresse, meno quelle, che potevano spettare nella qualità di Cattedrale, ora cessata, rimanendo provvisoriamente in possesso delle antiche preeminenze, precedenze, ed ordine di funzioni, e che debba eseguirsi questo metodo, sino a che definitivamente saranno esaminati, e definitivamente riconosciuti i titoli, e le ragioni competenti ai Capitoli, e Cattedrali.

Paruit Clerus Anacapritanus; verum ad vitanda jurgia, et præoccupandas querelas in posterum orituras Archiepiscopus Surrentinus, quin verbum fecerit de Causæ cognitione *anno* 1753. habita a Sac. Congregatione Episcoporum, et Regularium negociis, et consultationibus præposita, Summum Pontificem exoravit, ut quæstionem Sac. Consistoriali Congregationi dirimendam ablegaret; prodiitque rescriptum Emi Card. a Secretis Status = *Ex Audientia Sanctissimi die 26. Aprilis 1822. ad S. C. Concilii* =. De more eidem Archiepiscopo pro informatione, et voto remissæ sunt preces, ut, audito in scriptis utroque Clero, referret de consuetudine quoad præteritum, et de legitimo titulo. Quomodo Anacaprearum Clero faveat Archiepiscopus, cognoscent EE. VV. ex Summario ejusdem Cleri nomine circumferendo, qui jura sua Allegatione typis impressa tuetur: Caprearum vero Capitulum nonnulla tantum exhibuit folia Animadversionum, quas inferius pro meo munere Sapientiæ Vestræ subjiciam.

Cleri Anacaprearum Defensor ait, obligari minime posse eumdem Clerum Processionibus interesse, quæ Capreis fiunt, cum in Oppido Anacaprearum plebs extet omnino separata, atque Paræcia exempta, ideoque ad hujusmodi plebem, et Paræciam trahi nequeat sanctio Concilii Tridentini *Sess. 25. cap. 13. de Regular.* uti monet *Barbos. in Collect. Doctor. ad Conc. Trid. citat. Sess. 25. de Regular. Cap. 13. §. Exempti.* Id autem (sic prosequitur) eo certius in themate obtineat oportet, cum Anacaprearum Oppidum sit longe dissitum a Caprearum Civitate, ad quam per vias alpestres, et asperas, imo per quingentos gradus in rupe scalpro effossos accedere necesse est. Quod si hæc Sacra Congregatio in *Spoletana Processionum* 25.

Sep-

Septembris 1734., *et in Asculana Processionum* 3. *Februarii* 1753., Parochos rurales processionibus in Civitate intervenire non teneri respondit; multo magis ita decernendum est in specie, quæ non de Parochis Urbi subjectis, sed de Clero omnino exempto proponitur.

Præterea contendit Clerus Anacapritanus, per Episcopalis Sedis suppressionem extinctum fuisse (si quod extabat) jus Capituli Capritani: per subjectivam enim unionem omnia extinguuntur jura, imo et omnes cessant Diœcesis suppressæ leges, et Ecclesia unita legibus subjicitur Ecclesiæ, cui unitur. Processionibus igitur interventus, cum ex Diæcesana lege Capritana ortum habuerit, sublata lege cessare debuit; præsertim cum ad Processiones Clerus Anacapritanus in obsequium Episcopi, et Episcopalis Cathedræ accederet. Addit, ob mutationem status incompatibile nunc esse, ut in Festo SSmi Corporis Christi accedant ad Capreas Anacapritani; ex novæ enim Diæcesis lege ad Surrentinam Civitatem eodem die, eademque de caussa sese conferre debent. Negat denique consuetudinem, quæ, cæteroquin si adfuisset, jam ob status mutationem nullius roboris evasisset. *Rota in Verulana Exemptionis* 5. *Julii* 1822. §. 3. *cor. De Cursiis*. Cætera EE. PP. habent in allegatione a Clero Anacapritano distribuenda.

Capitulum vero Caprearum juxta notissimum Decretum de præventione Causarum a S. M. Innocentio XII. latum, et a S. M. Clemente XIII. *die* 15. *Aprilis* 1765. confirmatum, præsentis controversiæ cognitionem ad Sac. Congregationem negociis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium præpositam pertinere contendit. Quæstio enim (sic argumentatur) eadem est, quæ *anno* 1753. in præfata Sac. Congregatione fuit proposita, et favore Capituli Caprearum resoluta cum clausula *et causam hujusmodi in omnibus amplius non proponi mandavit*: quandoquidem disputatur tantum, an eadem methodus tunc statuta servanda sit, quamvis Cathedræ Episcopalis honore privata fuerit Caprearum Ecclesia. Ceterum non modo non recusavit, sed volens lubens Capitulum Capritanum ad hanc Sac. Congregationem Documenta ad rem spectantia transmisit; ac præterea, eodem instante, *Dubium* fuit

concordatum. Animadvertendum est quoque, ne verbum quidem de laudatæ Congregationis resolutione haberi in supplici Archiepiscopi Surrentini libello, qui huic Sacræ Congregationi fuit *ex audientia SSmi* remissus; hinc et præventio ignota fuit, donec eam transmissa Documenta pandiderunt; et facultas defuit alteri Congregationi remittendi Causam, quæ voluntate SSmi fuit huic Sac. Ordini commissa. Neque prætereundum, talem esse status Ecclesiæ Caprearum mutationem, ut jure præsens controversia nova prorsus dici possit.

Quidquid autem affertur a Clero Anacapritano de locorum distantia, de asperitate viæ, de incommodis, deque aliis hujusmodi; hæc omnia excludere nititur Capitulum Caprearum, cum fuerint considerata in mox indicata propositione, et nihilominus pro eodem Capitulo responsum prodierit jamdiu vires Rei judicatæ nactum. Asserit etiam, Oppidum a Civitate mille circiter passus tantum distare, compræhensis gradibus, tam aftabre in rupe excissis, ut per eos facillime ascendatur, et descendatur, non modo ab hominibus, sed et ab equis, aliisque Animantibus. Ecclesiam vero S. Constantii, vix pro ejus spatii medietate ab Anacapreis distare, ita ut sæpe sæpius ter quaterque in die accedant, et recedent incolæ Anacaprearum, ipsique Sacerdotes animi recreandi causa fere quotidie ad Civitatem Caprearum descendant. Itaque concludit, non eam intercedere distantiam, quæ impediat, ne memorati Sacerdotes Processionibus, et Divinis Officiis, Capreis peragendis, intervenire possint, prout alias definitum fuit, præsertim ubi adsit consuetudo, uti declaravit Sac Congregatio *in Strongolen.* 17. *Junii* 1645., in qua statutum fuit, compelli posse Regulares, vigente consuetudine, etiam ultra medium milliare a Civitate distantes, ut intersint Processionibus *lib.* 17. *Decr. pag.* 383. quin imo etiam si distent ultra Milliare *Matthæucc. de Offic. Cur. Eccles. cap.* 4. *num.* 8.

Verum seposita etiam quavis indagine de locorum distantia, Capitulum Caprearum evincere nititur, Clerum Anacapritanum cogendum esse, ut sacris functionibus intersit duplici ex capite, nempe ex Matricitate Ecclesiæ Caprearum, et ex voluntate Summi Pon-

Pontificis. Civitas enim Caprearum initio quarti æræ Christianæ seculi extabat, quo tempore Christianam amplexi sunt fidem ejusdem incolæ; tunc autem unica Parochialis aderat Ecclesia; dein labente sæculo decimo sexto Pagus Anacaprearum originem habuit, cujus habitatores Parochiali Ecclesiæ S. Constantii subditi erant. Crescente populi frequentia, Parochialis Ecclesia eodem in Pago ædificata fuit, et Clerus adesse cæpit, qui tamen unum corpus cum Cathedralis Ecclesiæ Clero efformabat, et nunc quoque constituit: omnes enim sub unico Crucis vexillo incedunt, quodque gravius est, Sacerdotes Ecclesiæ receptitiæ Anacapritanæ una cum Capitulo Capritano absque ulla distinctione juxta respectivam antianitatem in Choro sedent.

Parochi autem Capritanus, et Anacapritanus iisdem gaudent Beneficiis, quorum reditus inter se dividunt. Synodus quoque Diæcesana ab Antistite Pellegrini habita *in Cap de Funeribus* manifeste ostendit, unicum esse Cleri Corpus; cum ibi præscribatur, Parochum Anacaprearum Capituli Procuratori notum facere debere, quando funera ducantur, et idem vice versa favore ejusdem Parochi statuatur. Profecto si unum Corpus est Clerus cum Capitulo; nemini dubium, quin Clerus intervenire debeat Processionibus. Ecclesia namque Caprearum nunc est Collegiata, et ideo major Ecclesia receptitia: ad majorem vero Ecclesiam occasione Processionis omnes accedere debent *Barbos. de Canonicis, et Dignitatibus cap.* 18. *num* 65. *et seq.*, *Card. de Luca Miscell. Disc.* 45. *num.* 3. His a Capitulo additur, Matricitatem suæ Ecclesiæ probatam fuisse in Sac. Congregatione Episcoporum, et Regularium, ac alterum fuisse fundamentum illius edendæ resolutionis, de qua disputari amplius nequit: resolutioni demum præivisse, ac successisse, perennem aliquot sæculorum observantiam, ex qua præsumptio cujusque melioris tituli oritur, adeout supponi quoque debeat matricitas, nisi evidentissime contrarium probetur.

De voluntate vero Summi Pontificis dubitare non sinit superius relata Cl. Me. Cardinalis Caracciolo definitio, ex qua patet, Pontificem voluisse, *che le Chiese . . . conservino tutte le prerogative, e preminenze, le quali*

non sono incompatibili col nuovo stato di Collegiata. Nulla incompatibilitas in themate occurrit; imo quoad Processiones communi Doctorum sententia traditum est, in Ecclesia Collegiata majori convenire debere Sacerdotes, et Clerum universum, ubi Civitas Cathedrali Ecclesia careat. Exemplum reapse a Capitulo Caprearum affertur suppressæ Ecclesiæ Cathedralis Massalubren. in qua juxta vetustissimam consuetudinem Sacerdotes omnes antiquæ Diæcesis nunc quoque congregantur, et absque ulla querela Processionibus SSmi Corporis Christi, et S. Protectoris interveniunt. Exulat autem prorsus incompatibilitas, possibili deprompta ex Archiepiscopi mandato interessendi Processionibus in Civitate Surrenti, cum ob locorum distantiam, et maris transitum fieri nunquam possit, ut ea de causa Surrentum petere Caprearum Insulani cogantur.

Vestrum erit, EE. PP., qua polletis sapientia, dirimere.

Dubium.

An Clerus Anacapritarum teneatur interesse Divinis Officiis, et Processionibus tam in accessu, quam in recessu in Festo SSmi Corporis Christi, et S. Constantii, quæ fiunt a Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Caprearum in casu etc.

Dilata, et probetur matricitas, vel unitas corporis totius Cleri.

Sess. 24. Cap. 17. De Reform.

SPOLETANA IMPETRATIONIS. Bartholomæus Fortunati Clericus Spoletanus, postquam a Sacerdote Petro Jetti renuntiationem, annua statuta pensione *scutorum* 22. 50. assecutus erat Canonicatus, quem præfa-

fato Sacerdoti in Ecclesia Collegiata S. Petri Spoleti contulerat cl. me. Cardinalis Locatelli, tunc Spoletanus Episcopus, *anno* 1822. Apostolicæ Datariæ libellum porrexit, ut eumdem Canonicatum *impetraret*, irritam illius collationem dicens, quia Sacerdos Jetti, cum alia quinque Ecclesiastica Beneficia jam possideret, dispensationem ad *duo sub eodem tecto* retinenda non obtinuerit; quia Episcopus dispensationem ad *duo incompatibilia* indulgere nequiverit: quia denique Episcopus *sextum titulum* uni eidemque Beneficiato conferendi facultate caruerit. De Impetratoris precibus Archiepiscopus Spoletanus, a Dataria rogatus, hæc distincte retulit = *Debbo prevenire, esser falso, che il Sacerdote D. Pietro Jetti possegga due Beneficj sub eodem tecto nella Collegiata di S. Pietro. Attribuisco ad errore dell' estensore questa mancanza. Lo stesso Sacerdote Jetti, contro cui mira l'impetra del Fortunati, mosso cred' io da qualche scrupolo di coscienza, ricorse tempo fa a N. S. per la via de' Memoriali ad oggetto di riportare una sanatoria. Sotto li 4. Gennajo 1800. ottenne Egli per concorso questa Chiesa Parrocchiale di S. Giuliano, posta fuori di Città tassata Ducati 35., e ne fu spedita la Bolla da Monsig. Vescovo.*

In vigore di Bolle Apostoliche ebbe nell' anno suddivisato un Beneficio, ossia Cappellania, sotto il titolo della B. Vergine della Pietà, eretta in questa Collegiata di S. Gregorio, tassata ducati d'oro dieci. Nel decorso del 1800. *conseguì una Prebenda Corale in questa Collegiata di S. Pietro con l'espressa dispensa di poter ritenere la succennata Cura di S. Giuliano, come esercibile dalla stessa persona, attesa la vicinanza con la Chiesa di S. Pietro, ed il piccolo numero delle Anime, e con la dispensa di ritenere altri due beneficj semplici, uno cioè sotto il titolo della B. Vergine della Pietà, l'altro sotto il titolo di S. Caterina Seconda, tassato Ducati d'oro* 14., *eretti in questa Chiesa Collegiata di S. Gregorio Maggiore, e con l'espressione, che quante volte la prebenda avesse fruttato più di sei ducati all' anno, si dovesse riputar nulla la collazione.*

Si accrebbe al Ricorrente la Sovrana Munificenza nel 1804., *quando in vigore di Lettere Apostoliche, e con la dispensa espressa, fu possessore di altro Beneficio*

sot-

sotto il titolo di S. Andrea Apostolo, eretto nella Chiesa Parrochiale di Mavale, ora Diocesi di Norcia, di Juspatronato Laicale, ma devoluto alla Dataria, tassato ducati d'oro due, e paoli dieci.

A fronte di tali proviste l'anno 1811. la felice Memoria dell' Emo Locatelli, Vescovo di questa Città, gli conferì un Canonicato in questa Collegiata di S. Pietro sul supposto, che il fruttato di esso non eccedesse 24. Ducati d'oro, conforme si trova tassato; prevalendosi il Sig. Cardinale dell' Indulto Apostolico, che aveva di poter conferire i Beneficj, anche residenziali, di un fruttato minore di 24. Ducati. Fu abilitato il Jetti in essa Bolla (non so però su qual appoggio) a ritenere insieme col Canonicato anche la Cura di S. Giuliano. Manca però la speciale menzione, o nuova dispensa sulla pluralità de' Beneficj, oltre la necessaria avvertenza sul fruttato del Canonicato, molto maggiore di quello della prebenda, motivo per cui, oltre che si rese nulla la dispensa per la variazione di Beneficio, evvi l'altro ostacolo di una rendita superiore alla condizione, con cui espressamente fu prima concessa la grazia.

Literarum collationis exemplum adjunxit Archiepiscopus, ex quibus patet *anno* 1811. de Canonicatu provisum fuisse Sacerdotem Jetti, *stante quod etiam reditus summam 24. Ducatorum auri de Camera non excedunt, prout ex Documento alligato in Bullario*: collationem vero a cl. me. Cardinali Locatelli expletam fuisse *auctoritate nostra ordinaria, qua in hac parte fungimur, ac etiam quatenus opus sit, vigore Indulti Apostolici Nobis benigne concessi, et attributi cum plenitudine Juris Canonici, omnique alio meliori modo*; ac præterea Emum Collatorem hæc addidisse: *Tecum insuper dispensantes, ut Canonicatum, et Præbendam prædictas cum Ecclesia Parochiali S. Juliani, attento quod tam dictæ Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri, quam dictæ Parochiali Ecclesiæ, ob exiguum illius animarum numerum Parochianorum, et utriusque Ecclesiæ vicinitatem per unum, et eumdem absque divini cultus, et animarum curæ detrimento commode deserviri potest, libere, et licite retinere possis, et valeas.*

Archiepiscopi relatione accepta, preces Clerici Fortunati ad hanc Sac. Congregationem remisit Apostolica Dataria

ria pro voto quamobrem requisitus denuo fuit Archipus Spoletanus *pro informatione*, *et voto*, *audito præsertim Capitulo*, *et Petro Jetti*, *eique præfixo termino ad deducendum jura sua in Sacra Congregatione*, *ut referret*, *quam præbendam Petrus renunciaverit favore Clerici Fortunati*, *utrum præter Canonicatum retineat etiam præbendam Choralem in Collegiata S. Petri obtentam anno* 1803., *et perquisitis Cancellariæ libris referret pariter*, *utrum cl. me. Cardinalis Locatelli facultates extraordinarias reportaverit dispensandi super pluralitate beneficiorum*, *nec non de exitu recursus ad Secretariam Memorialium Sacerdotis Jetti*, *et quæ incompatibilitas adsit inter Beneficia ab eo possessa.*

Archiepiscopus autem ita sensus animi sui aperuit = *Bartholomæi Fortunati preces minime veritati innixas esse agnosco. Præter Canonicatum enim præbendam Choralem jam in Collegiata S. Petri anno* 1803. *obtentam non retinet Petrus Sacerdos Jetti. Hæc ab eo libere dimissa fuit per Canonicatus assecutionem anno* 1811. *absente Pontifice. Quæstio potius est*, *an liceat ipsi retinere Paræciam S. Juliani extra Civitatem obtentam anno* 1800. *prout ex actibus Concursus*, *et collationis.*

Paræcia hæc olim Congregationi Canonicorum Regularium Ssmi Salvatoris in Divi Ansani ædibus commorantium spectabat. Munera Parochialia absque onere residendi, *vel per Presbyteros dictæ Congregationis*, *vel per alios Capellanos exercebantur. Amotis Canonicis prædictis*, *vigore Literarum Apostolicarum de die* 20. *Septembris anni* 1803. *vacanti æde potiti sunt Clerici Regulares Congregationis S. Pauli*, *qui Barnabitæ vulgo dicuntur*, *relicto Collegio*, *quod penes Templum B. M. V. Lauretanæ dicatum habebant*, *et accepta tantum eodem plane modo*, *quo Lateranenses*, *animarum cura*, *quæ addicta manet Ecclesiæ S. Ansani*, *de qua jam provisus sæcularis Presbyter*, *cognomento Battignani*, *per annuam pensionem scutorum quinquaginta fuit absolutus. Dixi* „*accepta tantum animarum cura S. Ansani*, *nam de Ecclesia*, *et Paræcia S. Juliani a Presbytero Jetti jam sub die* 4. *Januarii* 1800. *absque ulla declaratione ibidem residendi assecuta*, *minime neque per literas SSmi locutus fuit*: *An ergo et Canonicatus*, *et Paræcia*, *quæ non fuit antea residentialis*, *nec tanquam*

quam residentialis in collatione hac declarata, et parochialibus ædibus destituta, retineri possit a Presbytero Jetti anceps est.

Ipso audito, declarat nullam incompatibilitatem adesse, quia ab onere residendi exemptum se putat, allatis innixus rationibus, et exemplo aliorum Parochorum hujus Civitatis, quorum Ecclesiæ animarum numerum habent longe majorem illo, de quo proprium efformatur parvum ovile. An autem collatio Canonicatus, per defunctum Eminentissimum Locatelli peracta, fuisset reapse valida, sui muneris non esse affirmat; neque putandum esse dicit, Eminentissimum Episcopum jura non propria arrogasse. Ad Memorialium Secretariam adiit retroactis mensibus tantum ad hoc, ut securius viveret, dubio ipsi per aliquos proposito: habuit vero rescriptum „ All' Emo Signor Cardinal Vicario, che ne parli „ *Cæterum pacifice de impetratis gavisus est per annos undecim, et quoad pluralitatem beneficiorum simplicium, nempe B. Virginis Pietatis, S. Catharinæ Secundæ in hac alia Collegiata Divi Gregorii, et S. Andreæ Apostoli in Ecclesia Parochiali Mavalis, Nursinæ nunc Diœcesis, regulam 36. Cancellariæ Apostolicæ in proprium adduxit favorem; si autem possessus sit bona fide, vel non, de ejus conscientia est.*

Affirmat Capitulum S. Petri nullum detrimentum usque adhuc evenisse Ecclesiæ, et Chori servitio; quinimo diligentiam Canonici Jetti, etiam in fidelium confessionibus audiendis, et Panegiricis recitandis commendat. Quod meæ observationi aliquod præbet dubitationis indicium circa validitatem collationis Canonicatus favore Jetti, versatur in Bulla SSmi, expedita in forma gratiosa pridie kalendas Octobris anno IV. sui Pontificatus, cujus vigore idem Jetti provisus antea fuit de Præbenda residentiali sub invocatione Divi Antonii Abbatis ad S. Petri Collegiatam, et ut diximus, per receptionem Præbendæ Canonicalis dimissa. Voluit enim Pontifex, ultra dispensationem circa pluralitatem Beneficiorum, alteram addere his verbis: secumque, ut una cum primo dicto Beneficio, si illud assequatur, Parochialem Ecclesiam S. Juliani præfatæ Civitatis, quam dictus Orator ad præsens obtinuit, et cujus fructus etiam cum incertis 35. Ducatorum aureorum de Camera valorem

an-

annuum non excedunt, attento quod tam dictæ Collegiatæ Ecclesiæ, quam Parochiali Ecclesiæ hujusmodi ob exiguum illius animarum numerum, et utriusque Ecclesiæ vicinitatem per unum, et eumdem absque Divini cultus, et animarum detrimento commode deserviri potest, ut prius, quoad vixerit retinere libere, et licite valeat; dispensare dignemini de gratia speciali, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis dictæ Ecclesiæ Collegiatæ etiam iuramento roboratis, statutis. ceterisque etc. = favoresque, et gratias hac clausula vinculavit = „ et cum decreto, quod sola præ„ sentis supplicationis signatura sufficiat, regula qua„ cumque contraria non obstante, quatenus tamen „ primo dicti Beneficii fructus, etiam computatis di„ stributionibus quotidianis, si quæ sint, sex ducato„ rum aureorum de Camera valorem non excedant, ut „ putatur, et non alias, alioquin præsens gratia dicto „ Oratori minime suffragetur. „

Videtur ergo nova dispensatione Oratorem indiguisse, quando relicta præbenda ista Canonicatum est assecutus.

Meæ Cancellariæ libris perquisitis, Apostolicum Indultum favore cl: me: Cardinalis Episcopi Locatelli inventum est conferendi tantummodo Beneficia valorem Ducatorum de Camera 24. non excedentia. Utrum autem ob temporum vicissitudines alias reportaverit facultates, nec apparet, nec scitur, neque agnoscere potui, summis etiam adhibitis diligentiis.

De hoc Canonicatu tractata est, publico intercedente Instrumento, renunciatio favore Clerici Fortunati cum annua pensione scutorum 22. et obol. 50. quotannis solvenda. Attamen recurrente Capitulo meum non præbui assensum cum gravamine Beneficii, sed præbui, et præbeo tantum cum gravamine personæ, dummodo vitium in tanta rerum complicatione, si quod sit, etiam ad reverentiam Defuncti Emi Collatoris per Apostolicam Sedem absolvatur, et ita omnia in pace disposita sint, ac definita.

Triplex impetrationis fundamentum cum proposuerit Clericus Fortunati; *primum*, quod ad *duo* Beneficia *sub eodem tecto* retinenda pertinet, ex facto prorsus evanescit. Spoletanus enim Archiepiscopus semel, iterumque testatur, Sacerdotem Jetti minime retinere

Præbendam Choralem simul cum Canonicatu in Ecclesia Collegiata S. Petri; illam imo dimisisse, quando Canonicatus possessionem est nactus. *Alterum* vero, quod defectum respicit dispensationis ad duo incompatibilia, nec non *tertium* ex facta ab Episcopo collatione *sexti tituli* depromptum, quæstionem secum ferunt de facultate Sacerdoti Jetti tributa retinendi Canonicatum simul, et Paræciam S. Juliani, itemque de potestate Episcopi plura Beneficia Ecclesiastica eidem personæ conferendi.

Statuit Concilium Lateranense III., ut nemo duas Paræcias, aut Dignitates simul deinceps habere possit; addiditque, ut accipiens secundum Beneficium amitteret primum. In Concilio vero Lateranensi IV. sancivit Innocentius III., ut nemo duas simul Paræcias, Dignitates, aut personatûs obtineat, ipsoque jure careat primo beneficio qui alterum sine venia Sedis Apostolicæ adeptus est, ac utroque privetur, si forte illud velit retinere *cap. 8. de præbendis.* Denique Concilium Tridentinum *Sess. 7. cap. IV. de Reform.* disertis verbis præscripsit, quod *Quicumque de cetero plura curata, aut alia beneficia Ecclesiastica incompatibilia, sive per viam unionis, sive commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, et titulo contra formam SS. Canonum, et præsertim Constit. Innocentii III. quæ incipit* De multa *recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis juxta ipsius Constitutionis dispositionem ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore privatus sit* = Quoad pluritatem vero Beneficiorum eadem Tridentina Synodus decrevit, Episcopos non posse dispensare ad retinenda tria Beneficia, licet simplicia, et non sufficientia ad sustentationem Beneficiati *Sess. 7. cap. 2. et 4., et Sess. 24. cap. 17. de Reform.*

Profecto et Canonicatus, et Parochia sunt Beneficia residentialia, uti nemo ignorat, et monuit Sac. Congr. in *Venusina 25. Junii 1763.* Parochus autem neque Choro interesse, nec onera Canonici implere poterit, si Parochi munera obire voluerit, ac præsertim confessiones Parochianorum audire, et morituris auxilium præbere. Confessiones quidem audiri a Sacerdote Jetti in Ecclesia Collegiata D. Petri, in qua Canonicatu gaudet, Spoletanus Archiepiscopus refert: nihil tamen addit de tot aliis

tot aliis Parochialibus muneribus cum Canonicatu prorsus incompatibilibus, de quibus late disponit Conc. Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 1. *et Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* Neque prætereundum videtur, a Spoletano Episcopo conferri nequivisse Beneficium, cujus annui reditus valorem *Ducatorum* 24. excedunt, ut in sua Informatione perpendit etiam Spoletanus Archiepiscopus; omnia proinde concurrere videntur, ut Impetrantis votis sit annuendum.

Verum odiosa est impetratio, ejusque proinde fundamenta sunt luculentissime demonstranda, et in quavis vel levi ambiguitate contra Impetrantem inhæsitanter est pronuntiandum. *Lotter. de Re benefic: lib.* 2. *quæst.* 44. *num.* 2., *Piton. Discept. Eccles.* 143. *num.* 1., *Rota cor. Ansald. decis.* 38. *num.* 1. Revocanda igitur ad rigidam censuram ea sunt, quæ Impetrator proposuit, cumque ipse ne verbum quidem suis precibus interseruerit de valore fructuum Choralis Præbendæ jam dimissæ, excedente annua *Ducata* 24. auri, de quo unus disserit Spoletanus Archiepiscopus: nullum de hoc assumendum est examen, vetante impetrationis odiositate, quæ ad extranea præsidia Impetrantem divertere non patitur, eumque propositis in sua petitione vitiis collationis inhærere cogit *Lott. citat. qu.* 44. *num.* 4., *Piton. discept. Eccles.* 73. *num.* 1., *et Discept.* 147. *n.* 4.

Plurima sane occurrunt, quæ Sacerdoti Jetti favent: illudque in primis, Ecclesiam S. Juliani Parochialibus aedibus esse destitutam, proindeque fieri minime posse, ut apud ipsam Parochus resideat. Canonicatum vero Sacerdoti Jetti contulit cl. me. Cardinalis Locatelli, non sua ordinaria auctoritate tantum, sed *etiam quatenus opus sit, vigore Indulti Apostolici Nobis benigne concessi, et attributi cum plenitudine Juris Canonici, omnique alio meliori modo*. Itaque nil mirum, si expressam Sacerdoti Jetti dispensationem indulsit, ut Canonicatum simul, et Parochiam S. Juliani retinere posset. Perquisitis quidem Spoletanæ Cancellariæ Libris, non aliud Indultum laudato Cardinali tributum est inventum, quam conferendi Beneficia valorem *Ducatorum* 24. non excedentia: perpendendum tamen erit *anno* 1811. in summa omnium, ac præsertim Ecclesiasticarum rerum perturbatione, Episcopos, absente Pontifice Summo, peculiaribus, extraordinariis, ac amplis-

simis facultatibus fuisse munitos, quas Cardinali Locatelli defuisse nemo dixerit, quamvis earum monumentum apud Acta Cancellariæ non reliquerit. Cæterum jamdiu traditum est, Cardinali asserenti esse credendum, etsi litteras non exhibeat; idque propter excellentiam, et auctoritatem Cardinalium S. R. E., atque ex æquitatis decore fieri debere inquit *Layman in cap. Quod translationem num.* 5., *et Reiffensiuel in lib.* 1. *Decretal. Tit.* 30. *num.* 27. *de Officio Legati*.

Accedit, Cardinalem Locatelli nullam Sacerdoti Jetti obligationem imposuisse adeundi Pontificem pro dispensatione, quem propediem rediturum ad suam Sedem veri Christifideles omnes jugiter sperabant; et enixe a Deo precabantur. Dispensationem vero pro retentione Parochiæ cum Canonicatu indulgens, *exiguum illius animarum numerum*, *Parochianorum*, *et utriusque Ecclesiæ vicinitatem* perpendit, ac memoravit; quas ob rationes hujusmodi dispensationem concedi posse, respondit hæc Sac. Congregatio *in Anagnina Divisionis Parochiæ* 24. *Augusti* 1822. Quæ profecto Cardinalem Locatelli necessariis quibuscumque facultatibus præditum ostendunt, ac de patefaciendo tantum opportuno, et rationabili earum usu sollicitum

Minime vero prætereundum est, Sacerdotem Jetti tum *anno* 1803., dum Choralem Præbendam est assecutus, tum *anno* 1809. occasione collationis Beneficii S. Andreæ Apostoli, opportunas dispensationes obtinuisse ad quinque Beneficia retinenda, quarum favorem an amiserit, quando Chorali Præbenda dimissa Canonicatus possessionem iniit, EE. PP. pro sua sapientia statuent. Animadvertendum quoque, prædicti Canonicatus collationem, et possessionem pertinere ad *annum* 1811., preces vero ad Canonicatum impetrandum *anno* 1822. a Clerico Fortunati fuisse porrectas; adeout dubitandum non sit, quin per decennium, et ultra, Sacerdos Jetti Canonicatum pacifice possederit. Ipsi ergo opitulari videtur *Regula* 36. Cancellariæ, quæ non decennalem, sed et *triennalem* Beneficii ex quovis titulo possessorem tuetur, adeout a nemine sive in possessorio, sive in petitorio molestari possit. *Piton.* (*Discept. Eccles.* 24. *num.* 46., *Ferrar. Biblioth. ver. Beneficium*

Art.

Art. 16. num. 116. et seq., *Rota in recent. part. 19. tom. 1. dec. 264. num. 3.*

Quod si nihil præsidii ex his sperare valeat Sacerdos Jetti, ipsique omnino vel Beneficiorum qualitas, vel eorum pluralitas obsit; cum novissima collatione Canonicatum obtinuerit, illumque sponte dimittere sategerit favore Clerici Fortunati, qui post acceptam habitam renuntiationem, non sine apertæ ingratitudinis nota, Canonicatum impetrare nititur; cumque cætera Beneficia pacifice possederit, quin eorum incompatibilitatem quisquam objecerit: consequens esse videtur, Sacerdoti Jetti de retentione quidem aliorum Beneficiorum, nunquam vero Canonicatus, quæstionem posse moveri, proindeque in irritum hoc quoque casu cedere tentatam a Clerico Fortunati Canonicatus impetrationem. Ob captam enim Beneficii incompatibilis possessionem, cætera tantum vacant, quæ prius possidebantur a Beneficiato, dummodo ipse omnia retinere non præsumpserit, quia tunc omnium privatione punitur *Concil. Trid. Sess. 24. cap. 17.*, *Fagnan. in lib. 3. Decret. cap. 3. num. 7. et seq. De Cleric. non resid. cap. 7. num. 8. et cap. 35. De præbend. et Dignit.*, *Sac. Congr. in Comen. Incompatibilitatis Beneficii, et præsentationis 14. Decembris 1822.*

Proponitur itaque definiendum

Dubium

An sint relaxandæ Litteræ Apostolicæ impetrationis in casu etc.

Negative.

Qua-

Quatuor quæ sequuntur Causæ ad Folium pertinent præteritæ Congregationis diei 2. Augusti, illudque Eñmos Patres resumere precor.

Sess.25. cap.4. de Reformat.

URBANIEN. REDUCTIONIS, ET SANATIONIS.

Dubia

I. *An, et in qua summa ex reditibus Legatorum Ubaldini sit præstandum annuum stipendium Confessario Monialium in casu etc.*

II. *An, et quomodo Missarum reductio sit concedenda in casu etc.*

III. *An, et quomodo sit consulendum SSño pro absolutione quoad præteritas omissiones in casu etc.*

IV. *An, Bona Legatorum Ubaldini sint unienda Monasterio in casu etc.*

Ad I. Negative.

Ad II. Negative, et Missas celebrandas esse ad eleemosynam obulorum quindecim.

Ad III. Affirmative, etiam ad effectum condonationis, celebrata unica Missa de requie cum cantu, et assistentia omnium Monialium pro anima fundatoris.

Ad IV. Negative, firma remanente separata administratione, et facultate adimplendi per Confessarium onera, eidem solutis reditibus legatorum, et Episcopus curet fieri inscriptionem hypotecariam.

Sess.25. cap.9. de Reformat.

ALBINGANEN. ERECTIONIS ABBATIÆ.

Dubia

I. *An erectio Abbatiæ sit confirmanda in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit consulendum SSño pro absolutione a censuris in casu etc.*

III. *An sit consulendum SSño pro absolutione quoad præteritas omissiones in casu etc.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Non indigere.

Ad III. Affirmative, celebratis decem Missis pro omnibus omissionibus.

SI-

SIGNINA CAPELLANIÆ. *Sess.25. cap.5. de Reformat.*

Dubia

I. *An, et quomodo annuendum sit precibus Maximi Cenciarelli in casu etc.*

Et quatenus negative.

II. *An danda sit institutio Presbytero Marcelli in casu etc.*

Et quatenus negative.

III. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super defectu ætatis favore Clerici Josephi in casu etc.*

Non proposita cum sequentibus.

SPOLETANA REDUCTIONIS ONERUM, ET ABSOLUTIONIS. *Sess.22.cap.6., et Sess.24. cap. 15. de Refor.*

Dubia

I. *An, et quomodo concedenda sit suspensio onerum, vel potius reductio in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione in casu etc.*

FAVENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, ET APPLICATIONIS. *Sess.22. cap.6., et Sess.25.cap. 4. de Reform.* Proponenda hæc erat controversia *die 22. Februarii labentis anni*; verum in Comitiis tantummodo *diei 22. Martii sequentis* de eadem est actum, propositis dubiis I. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatum, ac Legatorum applicatione in casu etc.* II. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione in casu etc.* quibus EE. VV. responsum dedere ad I. *Dilata, et interim Episcopus, inspectis fundationibus cujusque operis pii, referat singulariter de natura Legatorum, de adnexis Missarum oneribus, auditis omnibus interesse habentibus: an Montes Gallamini adhuc sint suspensi, vel jam restituti, et an superextantes reditus piorum operum, de quibus agitur, sint a Fundatoribus ad aliquos usus destinati*: ad II. *Affirmative*.

Ex literis, quas deinde ab Episcopo, EE. PP. mandatis obsequente, accepi, atque ex quodam Folio ab Admini-

nistratoribus Hospitalis Brixichellæ oblato; hæc summatim eliciuntur.

Opera pia *Savorgnana* instituta fuit a Dominico Savorgnani supremo elogio *diei* 10. *Januarii* 1639. Fundator præcepit, ut fructus ex bonis ab eo relictis percipiendi, demptis impensis pro administratione, ac pro annuo Legato *scutorum* 9. 09. 2. favore Societatis SSmi Sacramenti, erogarentur in tot dotes *scutorum* 9. 09. 2. puellis Terræ, ac Territorii Brixichellæ æqualiter conferendas. Reliquiæ, quarum applicationem efflagitant Administratores, proficiscuntur ex Dotibus promissis, et non traditis puellis, quæ nullo inito matrimonio decesserunt. De his autem dotibus nihil sanxit Testator.

Hospitali *Pontis Longi*, cujus non reperitur fundatio, onus incumbit excipiendi infantes expositos, eosque ad Faventinum Brephotrophium mittendi.

Nosocomium *S. Catharinæ* Fugnani tenetur *die* 13. *Decembris* singulis illius Terræ pauperibus duas libras panis distribuere, aliquem peregrinum hospitio excipere, expositos ad hospitalia transvehere, pensionem Concionatori quadragesimali solvere, ac *scuta* 5. 50. circiter expendere in festo S. Catharinæ, Missisque celebrandis.

Hospitale *S. Cassiani* onere gravatur unius Missæ in qualibet hebdomada, diesque festos agendi SS. Fabiano, et Sebastiano, ac Nativitati B.M.V. dicatos.

Opus pium *Gallamini* a cl. me. Card. Gallaminio originem trahit, debetque suppetias ferre egenis familiis cognomen Gallamini gestantibus, et quatuor alere adolescentes, literis in aliqua Status Pontificii Universitate addiscendis operam navantes. Imminutis fructibus LL. MM., quibus ejusdem Operis dos conficiebatur, percipiuntur tantummodo annua *scuta* 77., quæ præter nonnulla memoratis familiis subsidia, unius tantum adolescentis institutioni sufficere, plane constat.

Monti Pietatis onus imminet celebrationis plurium Missarum juxta Fundatorum mentem: erectus autem fuit, ut egenis mutua daretur pecunia acceptis pignoribus. Quia vero Galli, *anno* 1797. ea loca occupantes, gratuitam pignorum restitutionem imperarunt, Monti

de-

detrimentum *scutorum* 246. passo defuerunt vires mutuandi pecunias.

Mons frumentarius institutus fuit a Præsule Piancastelli, ut pauperibus Colonis mutuum daretur frumentum. At Gallorum occupatione durante, ac sublato manus regiæ privilegio ad mutua recuperanda, Mons brevi ad inopiam redactus est; ideoque duo tantum extant census, quorum annuus fructus ad *scuta* 14. pertingit.

Hospitalium *Varnelli*, *Andecimi*, *S. Luciæ*, *Zattaglia*, et *Cavina* fundationes inter antiquitatis tenebras latitant. Præcipuum onus Hospitalium Varnelli, Andecimi, et Zattaglia est expositorum transvectio ad Brephotrophia. Præterea Hospitale *Varnelli* diem festum S. Antonii Abbatis agere, et unius Missæ celebrationem qualibet hebdomada curare tenetur.

Hospitale *Andecimi* iisdem oneribus, ac præfatum Hospitale Varnelli gravatur; præterea duas panis libras quotannis cuilibet egeno Parœciarum Andecimi, et Casalis tribuere debet.

Hospitale *S. Luciæ* onus habet festivitatis ejusdem S. Luciæ, ac semel in anno panem distribuendi incolis Parœciarum S. Stephani, S. Michaelis, et Vespignani.

Hospitali *Zattaglia* præter expositorum transvectionem, onus est unius Missæ in unaquaque hebdomada, atque celebrationis festi S. Antonii Abbatis.

Hospitale *Cavina* tenetur similiter diem festum agere S. Antonii Abbatis, eleemosynamque tribuere pro hebdomadali Sacrificio offerendo.

Residui reditus prædictorum piorum Operum nulli fuerunt usui a Fundatoribus destinati, aut saltem, latentibus Fundationum tabulis, in quem usum insumendi sint, non liquet.

Hæc in facto. Quæ in jure animadvertenda forent, fuse habent EE. PP. in Folio *die 22. Februarii præsentis anni*, quod resumere precor, ut dirimere possint.

Dubium

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatum, ac Legatorum applicatione in casu etc.

Sess.24.cap.12. de Reform.

FERENTINA RESIDENTIÆ. In Archipresbyterali Ecclesia S. Mariæ Assumptæ in Cœlum, Terræ S. Stephani Ferentinæ Diœceseos; ab immemorabili tempore erecta fuit Archipresbyteralis Dignitas una cum septem Beneficiis, quæ indiscriminatim conferuntur, tam iis, qui in majoribus, quam iis, qui in minoribus Ordinibus sunt constituti; omnium vero Jurepatronatus inclyta Gens Columnensis gaudet. Onera Archipresbyteri, et Beneficiatorum, quorum in Columnensi Tabulario memoria servatur, hæc sunt = *L'Ufficio Divino, e Messa Cantata nelle Feste di prima classe; le Ore Canoniche, Messa, e Vespero nelle Feste di seconda classe, Messe Cantate ogni anno* 122., *e Messe basse num.* 659. *ripartitamente fra tutti* :

Sacerdos Joseph Middelbourg Romanus nominationem *anno* 1821. ad unum ex indicatis Beneficiis a prænobili Patrono obtinuit, ejusque institutionem assequi, ac possessionem per Procuratorem capere non distulit: nihil tamen de oneribus ferendis cogitans, neque ad residentiam se contulit, neque de legitimo Indulto docuit, quo a residentia, et Ecclesiæ servitio eximeretur. Itaque Archipresbyter, ac cæteri Beneficiati, cum ad redituum divisionem devenerunt, nullam eorum partem Sacerdoti Middelbourg assignarunt: supplicemque huic Sacræ Congregationi dedere libellum, ut idem Sacerdos vel ad residentiam, vel ad dimittendum Beneficium adigeretur.

Rogatus, ut moris est, Episcopus retulit, quod *exposita in precibus Archipresbyteri, et Beneficiatorum plenimode verificantur*; deinde hæc addidit. *Audito tamen Capitulo, fuit ab eodem in scriptis relatum modo, et forma fusius resultante ex Memoriale facti cum Summario in sex foliis hic alligato. Quoad Rectorem Beneficii in Urbe commorantem pluries, atque pluries ad me recursum habuit pro exemptione a residentia, nulla habita rationabili causa. Stantibus idcirco juribus a Capitulo datis, atque a me verificatis etiam ex Actis SS. Pastoralium Visitationum, sine titulo vero fundationis minime adhuc invento; ne fraudata remaneat Ecclesia de servitio Chori tam necessario ad adim-*

ple-

plementum onerum eidem adnexorum , arbitrer EE. VV. dicti Capituli votis inhærere posse , ut ore hujusmodi effectu Beneficiatum teneri , et obligatum esse ad præstandam adsistentiam , saltem per interpositam personam , juxta usum , et consuetudinem ab immemorabili servatam =

In foliis autem , ac Summario a Capitulo exhibitis , de quibus meminit Episcopus , residentiæ onus tripli fonte elicitur . Deficiente quovis monumento fundationis , et Decreto erectionis tam Archipresbyteratus , quam septem Beneficiorum , de quorum antiquitate testantur complura Inventaria , ac illud præsertim , cui *dies* 24. *Aprilis* 1477 inscripta legitur ; Decretum affertur in Sac. Visitatione *anni* 1661. ab Episcopo Roncioni latum his verbis = *Mandavit confici Librum , in quo describantur Missæ , et quilibet separatim in ejus hebdomada teneatur scribere Missas , et nomina Beneficiati celebrantis . . . . Beneficiati dictæ Terræ* (nempe S. Stephani) *debent assistere in Missis Cantatis , ac Divinis Officiis , nec non in Missis Cantatis de obligatione dictæ Ecclesiæ . . . . . dummodo non sint absentes de licentia =*

In Actis quoque ejusdem Visitationis adnotatum fuit , Episcopum visitasse = *Altare sub invocatione SSmi Rosarii etc.: habet onus unius Missæ cantatæ in quolibet primo die Dominico cujuslibet Mensis , quæ celebratur a Beneficiatis ejusdem Ecclesiæ .*

Præterea residendi obligatio eruitur ex Missis , Anniversariis , et Officiis , quorum onus a compluribus Testatoribus , qui pia Legata diuturno quatuor , et ultra , sæculorum lapsu reliquerunt , fuit Beneficiatis impositum Neque enim divinæ psalmodiæ in Choro adesse , Missas statutis diebus , et horis , in determinato Altari canere , vel celebrare , supplicationibus interesse , cum Beneficiatorum absentia conciliari possunt *Fagnan in cap. Ut Abbates n.88. ad* 106. *de æt , et qualit. , Rigant. in Reg. primam Cancellariæ* § 8. *n.* 20. *et seq., et Sac. Congr. in Papien.* 19. *Februarii* 1791., *et in Feretrana Residentiæ* 20 *Novembris* 1819.

His additur constans observantia , hominum memoriam superans , quam Archipresbyter , et Beneficiati probant allato supplici libello *anni* 1640. , per quem Beneficia-

tus Sacerdos Tambucci valetudinis causa dispensationem imploravit, ac obtinuit a residentia, quia cæteri Beneficiati octuagenariam ejus ætatem, et perpetuam ægritudinem miserati, proprio juri renunciarunt; ut integram congruam perciperet. Confirmant eamdem observantiam vetustissimis libris *annorum* 1691, 1692., usque ad *annum* 1723., in quibus recensitæ leguntur Beneficiatorum fallentiæ, et quibus continuo ordine alii ejusmodi Codices accesserunt, eorumque postremus ad labentem *annum* 1823. pertinet. Inde vero concludunt, vel unam satis esse observantiam, ut de residentiæ obligatione constet, cum et vetustissima observantia explicet legem fundationis inter antiquitatis latebras latentis *S Congregatio in Balneoregien.* 17. *Junii* 1820., et attendenda sit consuetudo, etiam præter fundationis legem legitime introducta. *Reiffenstuel Lib.* 3. *Decret. tit.* 48. *n.* 3., *Lambertin. de Jurepatr. Lib.* 3. *art* 2. *quæst.* 7. *n.* 2.

Vetusta monumenta, ac cœtera omnia nullius momenti habenda esse contendit Sacerdos Middelbourg, ea fretus ratione, quod sibi omnino faveat observantia, quæ residentiæ onus excludit, estque pro lege habenda *Piton. de controv. Patron. Alleg.* 17 *num* 13., *Sac. Congr. in Albinganen. Cappellaniæ* 19. *Septembris* 1818., præsertim quia, ipsis fatentibus Beneficiatis, et Episcopo, desunt fundationis tabulæ. *Card. de Luca de Jurepatron. disc.* 60. *num.* 9., *Rota coram Lancett. dec.* 380. *num.* 4. Observantiam vero sibi faventem probare nititur epistola, quam *anno* 1688. ad Patronum Columnensem Principem dedit Archipresbyter S. Stephani his verbis = *Venendo questa mia Chiesa servita da sette Beneficiati, e l' Arciprete, altre volte tutti Sacerdoti, ed oggi ridotti solo cinque, dè quali uno rare volte dimora, e due Chierici così rozzi, che danno poca speranza di giungere agli Ordini Sacri . . . . mi danno motivo supplicare umilmente le benigne grazie di V. E. nell' elezione da farsi del nuovo Benefiziato per la morte del Sacerdote Tambucci, voglia degnarsi conferirlo ad un altro Sacerdote timorato di Dio, capace di ascoltare le Sacramentali Confessioni.*

Af-

Affert præterea exempla Terrarum Ceccani, et Popiliorum, quarum Beneficia sunt pariter juris-patronatus Columnensium Principum, et quorum Beneficiatos esse a residentiæ onere immunes contendit, quia Secretarius eorumdem Principum affirmat, in illorum collatione nullam residentiæ mentionem fieri, et quia Ceccani Abbas, ac Popiliorum Archipresbyter testantur, Beneficiatos non residere, vel per alios oneribus residentiæ satisfacere.

Videant tamen EE. PP., an epistola *anni* 1683. consuetudinem non residendi probet, an potius querimoniam Archipresbyteri adversus non residentes præseferat; præsertim cum Patronum exoraverit, ut ad Beneficium vacans nominaret Sacerdotem, qui Confessiones audiret, ideoque in loco resideret. Videant quoque, an ullius momenti esse possit aliorum locorum consuetudo, cum jamdiu traditum sit, consuetudinem stricti juris esse, quæ proinde neque de persona ad personam, neque de casu ad casum, neque de loco ad locum extendi potest. *L.* 5. §. *Si quis, ff. De itiner. act. privat., Rota in Recent. part.* 8. *decis.* 27. *numer.* 10, *coram Muttica decision.* 28. *numer.* 6 *et seq., Sacr. Congr. in Lancianen.* 23. *Junii* 1821.

Quatenus autem Sacerdotem Middelbourg residere obligatum EE. PP. censeant, quærendum erit, num rite Archipresbyter, ac Beneficiati eum propria auctoritate, quoad tempus præteritum, qualibet fructuum parte privaverint. Non eadem semper in Ecclesia praxis obtinuit; nam Alexander III. in *Cap.* 3., 4, *et* 6. *De Cleric. non resid.* recta via privandos Beneficio Clericos non residentes sanciverat: sed Cœlestinus III. in *Cap. Ex part.* 8. *ibiq. Glossa eod. tit.* decreverat, Clericum etiam per decennium, et ultra absentem, non esse Beneficio privandum, nisi prius ad residendum citatus, vel admonitus fuisset. Statuerat autem Innocentius III. *in Cap. Inter quatuor eod. tit.*, privandos esse Beneficiatos, si post tempus ab Episcopo præfinitum adhuc residere neglexissent; et deinde in *Cap. Ex tuæ. in citat. tit.* jusserat, expectandos esse saltem sex menses a die citationis, si ignoraretur, ubi absens moram duceret.

Vo-

Verum hic privationis ordo plurimum immutatus fuit a Tridentina Synodo *Sess.* 24. *cap.* 12. *de refor.* cum præscripserit, eos, qui residentiali Beneficio potiuntur, ac residentiæ oneri minime satisfaciunt, ita esse puniendos, ut *anno primo privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione præbendæ, ac residentiæ facit suos. Quod si iterum eadem usus fuerit negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit, crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur*. Cum itaque per annum, et ultra, Sacerdos Middelbourg abfuisset, quando Beneficii fructus ei fuere denegati, videri poterit Archipresbyterum, et Beneficiatos juxta Tridentinum sanctionem eosdem fructus denegasse. Verum indicata sanctio tunc solummodo locum sibi vindicat, cum Beneficiatus fuerit legitime citatus, et nihilominus residere neglexerit *Fagnan. in Cap.licet num.* 25., *et* 26 *de præbendis*, *et in cap. ex tunc de Cleric. non resid*; *Reiff. Lib.* 3. *Decret. tit.* 4. *num.* 130, *et Sac. Congr. in Lucien. Residentiæ* 13. *Januarii* 1795, *et in Romana Canonicatus* 3. *Decembris* 1718. Cum itaque numquam citatus fuerit Sacerdos Middelbourg, fallentiis tantum se mulctari posse contendit, non vero omnibus privari Beneficii reditibus; præsertim quia se bona fide abfuisse asserit, cum nullum residentiæ onus suo Beneficio inhærere censuerit.

Hisce in jure præmissis, vestrum erit EE. PP. dirimere.

Dubia

I. An Beneficiatus teneatur ad residentiam in casu etc.

II. An, et quos fructus percipere debeat quoad præteritum in casu etc.

Die

Die Sabathi 20. Decembris 1823. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

VERULANA STALLI = Parochialem Ecclesiam S. Mariæ Frusinonis Verulanæ Diœcesis *anno* 1755. ad Collegiatæ honorem evexit Sa. Me. Benedictus XIV. *principali, et unica* statuta Dignitate Archidiaconatus una cum octo Præbendis, quarum una *Præposituralis* nuncupata, aliæque duæ, quibus animarum cura fuit concredita. Excepto Archidiacono, qui et Dignitatis insignibus fuit decoratus, octo Canonici æqualem gestant habitum, æqualemque præbendæ portionem, et fructum percipiunt. Quamvis autem Præpositura neque Dignitatis appellatione distincta fuerit, neque Dignitas censeri possit; attamen Præpositus in Choro primum post Archidiaconum obtinuit stallum, eique in Capitularibus Constitutionibus *anno* 1805. conditis, Chori disciplina, absente Archidiacono, tributa fuit. Nullum quidem in iisdem Constitutionibus extat Caput, seu titulus, qui de Officio Præpositi fuerit inscriptus; verum in Capite *De Officio Archidiaconi*, post indicata ejus officia, legitur, *ipso denique absente, prædicta omnia agat Canonicus Præpositus, aut inter præsentes dignior.*

Sess. 25. Cap. 13. De Regul., et Monial.

Quatuor a Collegiatæ erectione Canonici Præpositi obierunt, qui vero Præposituram adepti sunt, Decessoris Stallum, nemine contradicente, semper occuparunt, et quamvis post alios possessionem sint adepti, primum tenuerunt Stallum post Archidiaconum, ac antiquiores præcesserunt Canonicos. Hodiernus Præpositus Jo. Baptista Benvenuti, senio confectus, ac morbis

bis vexatus, Coadjutorem Sacerdotem Nicolaum Colozzi a Dataria Apostolica sibi concedi obtinuit, cui tituli, et Stalli sui jus omne renunciavit. Coadjutor autem ab Episcopo Verulano, Litterarum Apostolicarum executore petiit, ut Coadjuti Stallum sibi concederetur; sed petitioni obstiterunt Canonici, ægre ferentes, Coadjutorem ante ipsos in Choro sedere, atque in sacris functionibus præcedere, præsertim cum in Coadjutoriæ Litteris Summus Pontifex nihil expresse de Stallo eidem competente statuerit.

Omnem tunc adhibuit curam Episcopus, ut res amice componeretur, proposuitque, ut, salvis partium juribus, Colotius Coadjutoriæ possessionem caperet in Coadjuti Stallo; At Canonici, salvis etiam omnium juribus, ultimum tantummodo Stallum ei concedendum contenderunt. Quamobrem ab hac Sac. Congregatione petendam controversiæ definitionem idem Episcopus suasit. Verum Colotius novam Sa. Me. Pio VII. supplicationem obtulit pro Litterarum Apostolicarum correctione, quin tamen Capituli dissensum, ac propositam ab Episcopo conditionem hunc Sacrum Ordinem adeundi, narraverit. Precibus annuit Pontifex, et Colotio *Stallum in Choro primum, nempe inter Canonicos post Archidiaconum juxta morem, et consuetudinem in Capitulo vigentes*, assignavit.

Impetrata gratia fretus Colotius ab Episcopo Litterarum Apostolicarum executionem postulavit, optatumque tenuit Stallum. Canonici vero, qui possessioni ab eodem Colotio initæ adsistere noluerunt, ab eodem Pontifice obtinuerunt, ut huic Sacræ Congregationi delegaretur controversiæ notio cum clausula *aperitionis oris* adversus Litteras Apostolicas. Episcopum pro informatione, et voto rogavi, qui Coadjutoris favore suam pandidit sententiam. Concordata deinde, contradicentibus partibus, tria fuere Dubia, quorum *primum* de aperitione oris, *alterum* de Litterarum Apostolicarum executione, *tertium* de jure Stalli excitatam contentionem respicit.

Adversus Litterarum Apostolicarum correctionem Canonici oris aperitionem postulant; ac probare nituntur, correctionem concedi tantummodo posse, quando Litteræ discordes a supplicatione sint, vel quando minus recte expeditæ reperiantur, *Marchesan. De Comm*iss.

miss. Part. 1. *fol.* 490. *num.* 29., *Rigant. ad Reg.* 17. *Cancell. tom.* 3. *pag.* 48. *num.* 157. Nullam vero in themate inter primas Litteras, et supplicationem discrepantiam inveniri asserunt, cum in supplicatione Coadjutoria tantum petita fuerit, non stalli retentio: hinc nihili faciendam esse correctionem concludunt, eoque certius, quia etsi in primis Litteris Coadjuti Stallum fuisset concessum, id Coadjutori minime profuisset, cum illud in supplicatione non petiisset. Quando enim differunt supplicatio, et Litteræ, illa tamquam matrix, non hæ attenduntur, *Rigant. ad Reg. Cancell. Tom.* 1. *pag.* 242. *num.* 87., *et Tom.* 3. *pag.* 43. *num.* 73., ideoque non correctio, sed nova gratia fuisset a Colotio imploranda.

Cæterum si novam gratiam reapse flagitasset Colotius, oris tamen aperitionem concedendam esse Canonici arbitrantur. In nova enim supplicatione reticitus fuit Pontifici dissensus Capituli, et oblata ab Episcopo conditio hanc Sac. Congregationem adeundi; quæ tanti sunt, ut si Pontifex ea novisset, gratiam nullimode, vel difficilius concessisset, quod profecto ad oris aperitionem obtinendam sufficit, uti monet Rota *in Majoricen. Præeminentiarum, et Funerum* 31. *Januarii* 1757. §. 9. *cor. Olivatio*, *in Fanen. Dotium super aperitione oris* 18. *Junii* 1781. §. 8. *cor. Card. Flangini*, *et in Ferrarien. Contractus super aperitione oris* 21. *Junii* 1793. §. 5, *et per tot. cor. Acciajuoli.* Litterarum vero executio est denegenda, si adversus correctionem pro aperitione oris arbitrium intrare decernatur.

Redactis autem ad viam juris Apostolicis Litteris, controversiæ definitionem a Juris censura pendere Canonici animadvertunt, ad cujus tramites Coadjutori nullimode competere posse Coadjuti Stallum sustinent. Coadjutor enim est Canonicus fictus: veros ergo Canonicos præcedere nequit, sed ultimum tenere debet Stallum, prout declaravit Sacra Rituum Congregatio in *Putavina* 14. *Februarii* 1615., quam sequutus est hic Sacer Ordo in *Casalen. Confirmationis Statuti* 28. *Januarii* 1690. *lib.* 40. *Decret. fol.* 89. Recedendum nec est ab hac Juris norma, nisi explicita in Litteris Apostolicis occurrat derogatio, quæ omnino desideratur in casu; et quam supplere minime valent Clausulæ

 ge-

generales, quamvis eæ forent, quas *prægnantissimas* dicunt pragmatici, *Rota in Recent. part. 10. decis. 101. num. 26., et seq.*

Limitatur quidem indicata generalis regula in Dignitatum Coadjutoribus: At negant aperte Canonici, Præposituram, de qua disputatur, Dignitatem posse censeri. In Jure Archidiaconatus tantum, et Archipresbyteratus dignitates sunt; quod si peculiari Apostolico Indulto aliæ Dignitates non raro statuuntur, deest omnino in themate hujusmodi concessio. Benedictus enim XIV. *principalem, et unicam* Archidiaconatus dignitatem in Frusinonensi Collegiata constituit.

Negant pariter Canonici, ullam præcedentiæ consuetudinem esse favore Præpositi inductam, cum se, suosque antecessores, errore facti deceptos, Præpositi successoribus primum Stallum concessisse dicant, quando ad hunc Præposituram, quæ non est Dignitas, antiquior Canonicus ascendere debuisset. Consuetudo igitur ex errore prominans, nullius est roboris, quia errantis nullus est consensus, *Leg. Non eo Cod. De Juris, et facti ignor.*, et sine consensu nulla invehi potest consuetudo vel contra, vel præter jus, *Reiffenst. in Lib. 1. Decret. tit 4. §. 5. num. 26* Si quid autem consuetudini tribui velet, in vero Præposito, non in ficto, seu ejus Coadjutore valeret. Primus denique Præposituræ Coadjutor est Colotius, adeout quoad ipsum ne incipere quidem consuetudo potuerit. Concludunt proinde Canonici, ultimum Stallum Coadjutori Colotio assignandum esse, etiamsi litterarum correctio attendi velit, qua primum stallum ei fuit concessum, *juxta morem, et consuetudinem* vigentes, quæ duo cum penitus desint, gratia eo ipso corruit, et ex jure, quo Colotius omnino repellitur, judicium est reddendum.

Coadjutor vero Colotius duplici ex capite, nempe in vim Litterarum Apostolicarum, et ex juris ratione stallum Coadjuti sibi deberi defendit. Coadjutoris enim facultates a forma, et tenore litterarum pendere monent *Gonzalez ad Regul 8. Cancell. § 9. num. 94., Garcias De Beneficiis parte 2. cap. 1. §. 13. num. 23.* Apertissime vero in litteris, Colotio concessis, Coadjuti stallum ipsi assignatur. Neque obreptionis, aut subreptio-

ptionis vitio easdem laborare dici potest, cum ad vitium illud excludendum satis sit, ut quoquo modo reddatur dubium, *Rota in Recent. decis.* 440. *num.* 1. *part.* 3., *decis.* 8. *num.* 4. *part.* 5. *tom.* 2. Omne autem vitium, non dubium tantummodo reddi, sed prorsus excludi affirmat Colotius ex adjecta conditione *juxta morem, et consuetudinem vigentes*. Hæc siquidem fuit gratiæ causa impulsiva, quæ si vera probetur, vel ipsa vitii suspicio cessat, neque interest quidquid fuerit Pontifici narratum, vel suppositum; si vero falsa reperiatur, gratia cadit ex facto, cum conditionalis gratia a conditione pendeat, et conditione deficiente evanescat, *Rota in Recent. part.* 4. *decis.* 194. *n.* 1.

Quin rite opponi possit, correctionem Litterarum a Dataria expletam fuisse, ignorante Capitulo: Datarius enim facultatem corrigendi, ac supplendi Litteras Apostolicas habet, etiam lite pendente, *Rosa de executione Litter. Apostolic. part.* 1. *in addit. n.* 1., et parte non citata, *Rigant. ad Reg.* 27. *Cancell n.* 172. Aderat vero justa Litteras corrigendi causa, quia jam in illis Coadjutori stallum Coadjuti concedebatur implicite, atque ad vitandas controversias necessaria dignoscebatur illius explicita concessio.

Quavis demum inutili indagine semota, contentionem unam esse asserit Colotius, utrum Canonicus Præpositus primo post Archidiaconum stallo in Choro gaudeat. Stallum hoc dignius post præfatum Archidiaconum Canonico Præposito competere colligitur tum ex Litteris erectionis Collegiatæ, tum ex Capitularibus Constitutionibus, tum ex inveterata consuetudine, et nunquam interrupta observantia, de quibus omnibus mentio superius est habita. Colotius igitur sibi, tamquam Præpositi Coadjutori, idem Stallum *ex Jure* tribuendum esse concludit. Pluries enim Sac. Rituum Congregatio ad Coadjutores, Dignitatibus, vel Præbendariis fixum stallum in Choro habentibus concessos, idem Coadjuti stallum pertinere definivit, præsertim *in Faventina* 12. *Januarii* 1641., *in Lauretana* 15. *Januarii*, et in confirmatoria 2. *Aprilis* 1667. Idque tam in Cathedralibus, quam in Collegiatis insignibus locum quoque habet, si adsit Ordinum distinctio; tunc enim Coadjutor Canonici ex ordine Presbyterali Canonicos

Diaconos, vel Subdiaconos præcedit, veluti in SS. Lateranensi Basilica ex antiqua consuetudine servatur; eaque tantum de causa Coadjutori præcedentia tribuitur, quia certam Sedem habet Coadjutus in Choro; indeque confirmat Colotius, stallum Coadjuti sibi omnino esse concedendum.

Cætera EE. PP. habent in Allegationibus utrinque distributis, ut dirimere valeant, quæ proponuntur.

Dubia.

I. *An intret arbitrium pro aperitione oris in casu etc.*
II. *An Litteræ Apostolicæ sint exequendæ in casu etc.*
III. *An Canonico Coadjutori Colotio competat Stallum Coadjuti in casu etc.*

Ad I., II., et III. iterum proponatur.

Sess. 21. Cap. 13. De Reg., et Monial.

SURRENTINA PRÆEMINENTIARUM. Quinque dignitatibus, Archidiacono scilicet, Primicerio, Cantore, Decano, ac Thesaurario, tredecim Canonicis, quos inter Theologus, et Pænitentiarius recensentur, ac septem Hebdomadariis Surrentinæ Metropolitanæ Ecclesiæ Capitulum constat. In Choro, aliisque sacris functionibus Canonici juxta antianitatis, seu captæ possessionis ordinem ex antiquissima, et nunquam interrupta consuetudine post Dignitates sedent, cum Canonici omnes presbyteralis sint ordinis. Nullæ aderant usque ad *annum* 1812. Capitulares Constitutiones, seu Statuta, et omnia pacifice ex consuetudine gerebantur. At eo anno Archiepiscopus Vincentius Calà Capitularia Statuta condenda censuit, duosque ex Capitularibus deputavit, qui illa exararunt; lecta deinde in Capitularibus Comitiis fuerunt, eaque demum in S. Visitatione idem Archiepiscopus probavit, ac servari mandavit.

De Chori servitio agitur in *Cap. IX.*, in quo jubentur Canonici

no-

nonici *intervenire al Coro . . . con presedere . . . in mancanza di tutte le Dignità il Canonico Teologo, o il Penitenziere, ed in assenza di tutti li sopradetti il Canonico più antico di possesso.* Hac tamen dispositione non obstante, qua primum his Præbendatis post Dignitates stallum in Choro concessum videri poterat, antiqua in suo robore mansit consuetudo; neque Theologus, aut Pænitentiarius sedem occuparunt digniorem; neque Choro, absentibus Dignitatibus, præfuerunt, quando antiquiores aderant Canonici. Novitatem indicatæ sanctionis ægre tulit Capitulum, sed quamdiu vixit Archiepiscopus Calà, aperte non provocavit illius abrogationem, cum cæteroquin non usu illa antiquata videretur.

Verum post obitum Præsulis Calà ad Metropolitanam Surrentinam Sedem evecto R. P. D. Michaele Spinelli, statutariæ dispositionis claram, et apertam abrogationem petierunt Canonici: illam tamen potius corrigendam ope interpretationis censuit Archiepiscopus, ideoque in Comitiis Capitularibus *diei 26. Martii 1819.* ipso præsente, ac approbante *si è risoluto, che il Canonico Teologo, ed il Penitenziere allora debbano presedere, quando gli stessi sono Canonici antiquiori anche di possesso; giacchè allora quando si trovano nel Coro altri Canonici di possesso più antichi de' medesimi, la presidenza in mancanza delle Dignità debba cadere sopra il Canonico antiquiore di possesso.*

Decessit paulo post Canonicus Pænitentiarius, ejusque Præbendam assecutus est Sacerdos Vincentius Pica, qui *die 24. Aprilis* 1819. Canonicatus possessionem cæpit *sedendo in ultimo stallo Chori . . . . ac admissus ad osculum pacis, et ad recensitum assignatum stallum, et locum in Capitulo pacifice, et quiete etc.* uti constat ex Regestro Bullarum Capituli. Vacavit quoque Theologalis Præbenda, eamque obtinuit Sacerdos Raphael Purpo, cui in collationis Bulla, ab Archiepiscopo data, omnia jura, et privilegia concessa fuere, *quæ ad te pertineant, vel pertinere possint juxta laudabilia hujus nostri Capituli statuta, et Constitutiones*; quæ verba in aliis Bullis desiderantur. Quamvis autem Canonicus Theologus in ultimo loco possessionem adeptus fuerit juxta antiquam Capituli consuetudinem; attamen ad-

adversus novas nullæ conditiones, Capitulum opportuna protestatione sibi cavit, ne quid juris Canonici Theologus, vel Pœnitentiarius sibi arrogarent: hi vero ab hac Sac. Congregatione petierunt, ut de ipsorum præcedentia, et in Choro, absentibus Dignitatibus, præsidentia decerneret.

Preces a Canonicis Theologo, et Pœnitentiario oblatas ad Surrentinum Archiepiscopum pro informatione et voto remisi, qui hactenus narrata confirmavit; ac subdidit *il mio voto, e parere quindi sull' assunto in questione, posto tutto ciò, l' è appunto, che nulla s' innovi, ed affatto non si alteri la consuetudine costantemente praticatasi fin oggi.* Concordatis postmodum, Partibus contradicentibus, duo fuere *Dubia*, quorum primum *de præcedentia*, alterum agit *de Chori præsidentia.* Capitulum Allegatione Vobis EE PP. circumferenda jura sua tuetur, Canonici vero pluries moniti, ac diu expectati, nihil mihi exhibuerunt.

Compertum est, inter illos, qui Collegium constituunt, quique pares in Dignitate sunt, ei præcedentiam deberi, qui ante alios in idem Collegium fuit admissus, *Scarfant. ad Ceccop. lucubrat Canon lib.* 1. *tit.* 11. *n.* 19. *Sac. Rit Congr. in Tropien.* 10. *Decembris* 1619., *et hæc Sac. Congr. in Roma in Præcedentiæ* 23. *Novembris* 1754. §. *Igitur.* In Capitulo Surrentino Canonici omnes sunt præsbyteralis ordinis, ideoque in dignitate pares; memoratam igitur Juris regulam applicandam sibi esse Capitulum contendit. Quin obstet qualitas Theologi, vel Pænitentiarii, cum hi, qui hujusmodi Præbendis gaudent, Dignitates censeri prorsus nequeant, sed officium obtineant, cui nulla competit præeminentia, nisi aliquo speciali privilegio fuerit concessa. Itaque de Jure Theologus, et Pænitentiarius juxta antianitatis, seu admissionis ordinem sedere debeat in Choro: uti quoad Pænitentiarium decrevit Sac. Rituum Congr. in *Viterbien.* 1. *Octobris* 1661., et quoad Theologum in *Januen.* 2. *Julii* 1639.

Juris dispositioni adstipulatur in præsenti casu immemorabilis, et nunquam interrupta consuetudo, tam ante, quam post condita statuta Capituli constanter servata; cujus tanta vis est, ut non minus quam ea, quæ scripta sunt, jura attendi debeat, *Leg. Sed et eo. ff. de Leg.*

Leg. et Senatus consult. Hæc imo, et in omnibus valet, et plurimi facienda est in præeminentiarum quæstionibus, *Rot in Recent. Decis.* 316 *n.* 3. *part.* 8. Accedunt facta Theologi Purpo, et Pænitentiarii Pica, qui sui Canonicatus possessionem in ultimo loco respectivè adepti sunt, facta vero potius quam verba attenduntur, cum factum sit verbis potentius, et quod semel placuit, amplius displicere non debeat, *Reg. quod semel in* 6. Ex his nullam Canonicis Theologo, et Pænitentiario præcedentiam tribuendam esse, Capitulum concludit.

Exclusa præcedentia, prosequitur Capituli Defensor, excluditur quoque præsidentia in Choro, cum hæc de Jure a præcedentia pendeat. Neque Capitularis Statuti dispositio Canonicis Theologo, et Pænitentiario prodest; cum nunquam fuerit a Capitulo acceptata, multoque minus usu recepta, ita ut pro abrogata sit habenda, uti monet *Barbos. Vot.* 52. *a num.* 51. *ad finem*. Præterea eadem dispositio, præsente, ac probante Archiepiscopo, fuit in Capitularibus Comitiis correcta; omnem proinde vim amisit, adeo ut nullius prorsus momenti sit habenda. *Nihil* enim *tam naturale est, quam eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est, Leg.* 36 *ff de Reg Jur.*, idque obtinet etiam cum de statutis Capitularibus agitur, prout firmavit Rota *cor. Lancetta decis.* 541. *num.* 15., *et cor. Caprara decis.* 527. *num.* 2. Inde vero infert Capitulum, nullam ex jure, nullam ex correcto statuto Canonicis Theologo, et Pænitentiario competere præsidentiam in Choro. Cætera vero habent EE. PP. in Allegatione Capituli, ut dirimere valeant

Dubia

I. *An, et quo ordine tam præsentibus, quam absentibus Dignitatibus, sedere debeant in Choro Canonici Theologus, et Pænitentiarius Ecclesiæ Metropolitanæ Surrentinæ in casu etc.*

II. *An, absentibus omnibus Dignitatibus, eorumdem Canonicorum favore sit locus præsidentiæ in Choro in casu etc.*

Ad I Dub. Affirmative, juxta ordinem antianitatis.

Ad II. Dub. Negative, nisi antiquiores sint.

SI-

Sess. 25. cap. 5. de Reformat.

SIGNINA CAPELLANIÆ

Dubia

I. *An, et quomodo annuendum sit precibus Maximi Cenciarelli in casu etc.*

Et quatenus negative.

II. *An danda sit institutio Presbytero Marcelli in casu etc.*

Et quatenus negative.

III. *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super defectu ætatis favore Clerici Josephi in casu etc.*

Ad I. Negative.
Ad II. Negative.
Ad III. Affirmative.

Sess. 22. cap. 6., et Sess. 24. c. 15. de Reformat.

SPOLETANA REDUCTIONIS ONERUM, ET ABSOLUTIONIS.

Dubia

I. *An, et quomodo concedenda sit suspensio onerum; vel potius reductio in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione in casu etc.*

Ad I. Negative.
Ad II. Dilata, et Archiepiscopus cogat Sodales ad redditionem rationis ad Sac. Congregationem transmittendam omnium redituum provenientium ex Missis, et dotibus non adimpletis, et referat nominatim de fundis ad hæreditatem spectantibus, de numero Sacerdotum in Monte Franco degentium, et de aliis oneribus Missarum existentibus præter Fundationes Francia.

FA-

FAVENTINA COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, ET APPLICATIONIS. *Sess 22. cap. 6., et Sess. 25. c. 4. de Reform.*

Dubium

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatum, et Legatorum applicatione in casu etc.

Negative quoad bona Nosocomii S. Catharinæ Fugnani, et ideo esse restituenda; in reliquis consulendum SSmo, ut per modum provisionis concedat manuteneri Hospitale Oratorem in administratione bonorum, et redituum reliquarum fundationum, ita ut adimpletis ad formam earum omnibus oneribus, quidquid supererit, faciat suum, donec a S. S. aliter provideatur, et Episcopus curet adimplementum, et sibi quotannis reddi rationem adimplementi in specie cujusque legati pii.

FERENTINA RESIDENTIAE. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.*

Dubia

I. *An Beneficiatus teneatur ad residentiam in casu etc.*

II. *An, et quos fructus percipere debeat quoad præteritum in casu etc.*

Ad I. Affirmative saltem per alium.

Ad II. Affirmative in omnibus, solutis fallentiis.

CALLIEN., ET PERGULANA ABSOLUTIONIS, ET REDUCTIONIS. *Sess. 25. cap. 4. de Reform.* Fereranus Antistes Bernardinus Scala ex Oppido Serræ S. Abbundii, jam pridem Nonantulanæ jurisdictionis, nunc Pergulanæ Diæcesis, domum, et prædium, quæ *sc.* 400. ipse acquisierat *anno* 1649. Luciano de Turre, Sororis suæ filio, et ejus filiis ac descendentibus in perpetuum donavit, ut *ea bona semper stare deberent pro titulo patrimonii, et dotis unius filii ex descendentibus in linea masculina, qua deficiente, in fæmi-*

minina, qui vellet sacris Ordinibus insigniri. Statuit autem, ut ordinandi, cum primum sacros ordines susciperent, deberent *celebrare, vel celebrare facere unam Missam pro qualibet hebdomada in Parochiali Ecclesia prædicti Oppidi*, addita declaratione, quod *sit in libertate Sacerdotis celebrantis applicare, vel non applicare Sacrificium pro anima ipsius Fundatoris, sed id totum suæ charitati, et arbitrio remittit*. Eodem numero Missarum oneratus est proximior quisque consanguineus, qui, vacante titulo, *gaudeat, et gaudere debeat fructibus, et redditibus dictorum bonorum*, quando nempe in Familia Clericus ad sacros Ordines promovendus deesset; quem consanguineum jussit *facere celebrare Missas superpositas, quia sic etc.*

Clericus in familia cum non adesset, patrimonii fructibus gavisus est Julianus Torri ab *anno* 1769. usque ad *annum* 1781, et postea ejus filii ad *annum usque* 1791. qui sub tutela Hieronymæ ipsorum matris vivebant. Quo vero ad celebrationem Missarum ex Decreto Sacræ Visitationis *anni* 1785. colligitur, *desiderari adhuc tres Missas pro anno 1769. Ab anno 1770. usque ad annum 1781. inclusive apparet de adimplemento. Pro anno 1782 novem dumtaxat celebratæ sunt, hinc intercepta penitus celebratio . . . . Cum vero ex Instrumento fundationis hujusce Capellaniæ factæ per R.P.D. Scala Episcopum Feretranum appareat, ipsum fundatorem non fuisse admodum sollicitum de Missarum applicatione, sed tantum de præsentia; ideo sibi caveat prædicta Hieronyma, ac instet pro liberatione ab hujusmodi onere*.

Nemo tamen de Familia Torri deinde curavit impleri voluntatem Episcopi Scala; et Sacerdos quoque Aloysius Torri, qui ad titulum hujusmodi patrimonii *anno* 1791. sacros suscepit Ordines, Missarum celebrationem prætermisit. Nunc autem idem Sacerdos Aloysius, nec non Sebastianus ejus Frater declarari petunt, *se la Famiglia Torri in forza del pio Legato sia obligata in coscienza a far applicare le Messe per l'anima del defonto Prelato Testatore*: deinde tam absolutionem quoad præteritas omissiones, quam Missarum reductionem in futurum implorant.

Episcopus pro informatione, et voto requisitus, hæc retu-

tulit = *Ex Instrumento, quod innuit donationem in favorem Luciani peractam, colligitur, bona ad enunciatam piam causam eidem Luciano, a quo descendunt Aloysius, et Sebastianus de Turribus, largita fuisse domum quamdam, et prædiolum quoddam. Hæc autem partim perdita, partim imminuta sunt quoad valorem, qui erat, ut dictum fuit, scutorum 400. Domus enim prædicta nedum non est in rerum natura, sed ne ullus quidem inter ejus Territorii habitatores reperitur, qui de ejus existentia meminerit, ex quo conjicere, necesse est, eam paulo post institutionem Legati corruisse vetustate confectam. Prædiolum vero in loco sterili, ac prærupto situm, constat ex duobus duntaxat agris .... Pretium primi agri est scut. 150., pretium alterius scut. 50. monetæ Romanæ .... Hinc infertur, reditus annuos hujus Patrimonii, sive piæ causæ ad scuta 8. vel 10. redactos esse.*

Codex unicus reperitur, in quo ab anno 1769 usque ad annum 1782. adnotatæ sunt Missæ pro hujusce Legati adimplemento .... Patrona, simulque possessor hujusmodi piæ causæ extitit semper usque adhuc, sicut et in præsentiarum, Familia prædicta de Turribus, et præter supermemoratum Aloysium, et Sebastianum ejus Fratrem, alius non est, ad quem jus aliquod pertineat. Horum primus, qui illam sibi in patrimonium constituit; nullum usumfructum capit ex dictis Bonis, parce vivens ex exiguo Beneficio Parochiali in hac Calliensi Diœcesi; sed charitatis erga fratrem Sebastianum relato patrimonio uti sinit.. Sebastianus circumdatur non paucis filiis in puerili adhuc ætate constitutis, tantoque ære alieno gravatur, ut ad illud luendum omnes fere ejus res immobiles alienare esset necesse.

Missæ sive cum applicatione, sive de præsentia pro hujusmodi oneris adimplemento celebrari debuissent in Ecclesia Parochiali Serræ. Nullum damnum obvenit hactenus huic Ecclesiæ ex hac intercepta celebratione, nullum obvenire posset in posterum, si fortasse Missarum numerus minueretur, vel penitus eliminaretur .....

Quapropter quoad primam, et secundam petitionem, cum agatur de dubio obligationis potius negativæ, quam affirmativæ, inspecta etiam postulantium paupertate, absolvendi viderentur ad cautelam a qua-

 cum-

cumque deficientia Missarum; quoad tertiam eisdem de causis, et attenta etiam fortuita bonorum, et redituum imminutione, et æquitate quadam, ut hæc exigua pars patrimonii, exiguis etiam oneribus gravetur, et cuicumque ejus possessori tollatur quælibet conscientiæ dubietas, petita reductio concedenda simili pacto videtur, ita tamen ut Fratres prædicti tam nomine proprio, quam descendentium in actis Curiæ obligationem emittant de hoc onere Missarum annuatim applicandarum, de respondendo pro eisdem eleemosynam ad taxam synodalem Sacerdoti, qui in supradicta Ecclesia S. Abbundii celebret pro hujus oneris adimplemento. =

Profecto apertis verbis Episcopus Scala Missarum applicatione exonerare voluit Sacerdotem ad titulum hujusmodi patrimonii ordinatum, cum in tabulis fundationis declaraverit, quod sit *in libertate Sacerdotis celebrantis applicare, vel non applicare Sacrificium pro anima ipsius*, ac tantummodo addiderit, quod *id totum suæ charitati, et arbitrio remittit.* De proximiore autem consanguineo, qui fructus patrimonii, deficiente in familia Clerico, percepturus erat, disposuit, ipsum teneri, *facere celebrare Missas superpositas*, et nullam de applicatione mentionem fecit. Igitur cum hac in parte Fundatoris voluntas obscura videatur, nec de præteritorum temporum observantia liqueat, perpendendum erit, quid sit verosimilius, et Juri conformius.

In legatis Missarum Testator, qui præscripsit celebrationem, voluisse censetur earum applicationem pro suffragio animæ suæ, quoniam hic precipuus est celebrationis effectus, *Amostaz de causis piis lib. 2. cap. 3. n. 39., Pignatell. consult. canon. 139. n. 12. et 15.* Quare pluries respondit hæc Sac. Congregatio ex præsumpta Fundatorum mente, Capellanos applicare debere Missæ Sacrificium, licet de sola celebratione tabulæ Fundationis loquutæ sint, ut in *Senogallien. Missarum 20. Decembris 1732. ad 1. Dub., in S. Miniatis Applicationis 4. Decembris 1734., et in Messanen. 4. Aprilis 1778. §. Quamvis.*

Diversa tamen videtur Episcopi Scala voluntas statuit enim Clericos ad titulum patrimonii a se instituti ad sacros ordines promotos celebrare debere, non autem applicare

nare unam Missam qualibet hebdomada, et paulo post per continuatam orationem de proximiore consanguineo dicit, quod celebrare facere deberet *Missas superpositas*. Cum in prima, et principali dispositione exclusum aperte fuerit onus applicationis; vehemens inde conjectura, et urgens argumentum erumpit, Fundatorem perpetuo idem sensisse, præsertim quia verbo *superpositas* expressam relationem ad præcedentem principalem dispositionem habuit. Referens enim cum suo relato consentiat, ac idem cum relato contineat oportet, *Rota cor. Roverella dec.* 50 *n.* 7., *et dec.* 54. *n.* 5., et verba per continuatam orationem adjecta, intelligenda sunt secundum ea, quibus referuntur, *Rota in Spoletana Jurispascendi* 21. *Januarii* 1754. § 10. *cor. Molino.* Consanguineus igitur, qui si Clericus ad titulum patrimonii ordinandus non adsit, illius fructibus gaudere debet, onere applicationis liberatus videtur. Quoties enim ex vehementibus indiciis, et urgentibus conjecturis apparet, mentem Fundatoris in Legato Missarum ad solam celebrationem respexisse; hæc attenditur, et verosimili voluntati præfertur, *Sac. Congr. in Tricastrien. Applicationis Sacrificii* 8. *Augusti* 1711. *Lib. Decr.* 61. *fol.* 308., *in Novarien.* 22. *Decembris* 1727., *in Fulginaten. Applicationis* 7. *Decembris* 1737., *et in Tridentina Applicationis Missarum* 27. *Febr.* 1768.

Petunt prætera Fratres Torri Missarum reductionem = *le quali ridotte ad un obligo di* 5., *o* 6. *si faranno dai medesimi applicare per l'anima del Testatore, anche nel caso, che l' EE. VV. Rm̃e decidessero, non esservi obligo di applicazione.* Fundi partim amissi, partim deteriores admodum sunt facti, quoniam domus, de qua meminerunt tabulæ fundationis, amplius non existit, nec reperitur qui eam extitisse reminiscatur; prædia vero sterilia effecta sunt, ita ut eorum reditus vix *annua scuta decem* attingant. Sed hæc summa, si non Clerico, cujus etiam substentationi, quæ præcipuus est finis patrimonii sacri, consulere voluit Episcopus Scala; saltem proximiori consanguineo sufficit pro satisfaciendo onere, tametsi Missæ pro Fundatoris anima essent applicandæ. Exulat hinc ratio petendæ reductionis, quæ denegari solet, quoties reditus

tus ad onera ferenda pares deprehendantur, ut *in Segnesien.* 16. *Aprilis* 1791., *in Romana* 15. *Septembris* 1802., *et in Romana Reductionis* 20. *Jun.* 1818. *§. Ex his.*

Plurimi tamen ad reductionem concedendam facienda est consanguinitas Oratorum cum Fundatore, ac eorum paupertas; nam, referente Episcopo, et Parocho testante, nonnulla quidem Bona immobilia possident, sed quæ tam exigui sunt valoris, ac tanto ære alieno gravantur, ut ad illud dimittendum fere omnia essent distrahenda. Paupertas obligati pro justa causa concedendæ reductionis persæpe est habita, *Sac. Congr. in Narnien. Legati Missar.* 21. *Maji* 1788., *in Romana Reductionis* 21. *Junii* 1803., *et in Maturanen. Reductionis, et Transactionis* 8. *Februarii* 1817. Præterea ex oneris imminutione nullum capit detrimentum Ecclesia Parochialis, ubi Missæ celebrantur, quoniam *agitur de Ecclesia*, ut inquit Episcopus, *cui duo, vel tres Sacerdotes quotidie inserviunt.* Consanguineis demum Fundatoris, qui et ipsi ad genus Patronorum pertinent, favendum esse non raro duxit, eorumque postulationes pro reductione Missarum in pretio constanter habuit hæc Sac. Congregatio, *in Januen. Capellaniarum* 31. *Augusti* 1819., *in Ripana commutationis Voluntatis, et Reductionis Missarum* 27. *Julii* 1822., *et in Ravennaten. Reductionis Missarum* 2. *Aug.* 1823.

Postremo loco absolutionem petunt Fratres Torri ob Missas præteritis temporibus non celebratas: remittere autem Sacra Congregatio consuevit præteritas omissiones, quando bona fide, et sine culpa Missæ celebratæ non fuerint, ut *in Bononien. Reductionis* 24. *Novembris* 1787., *et in Nullius Guastallæ* 26. *Novembris* 1791. At a mala fide non semper excusari Oratores possunt: postquam enim Hieronyma eorum Mater bonorum administrationem reliquit, ipsique illam sunt adepti; præsertim vero postquam Sacerdos Aloysius ad titulum hujusce patrimonii Majores Ordines suscepit, ignorare nullo modo potuerunt onus, quo Bona a pio Fundatore fuere gravata. Verum extrema, qua iidem Oratores premuntur, paupertas, causam præbere potest validam ad absolutionem, aliqua saltem adjecta pœna, concedendam, ut *in Mazzarien.*

Re-

Reductionis, *et Absolutionis* 14. *Decembris* 1822. §. *Ad absolutionem.*

Proponuntur itaque

Dubia.

I. *An descendentes Juliani de Turre curare teneantur applicationem Missarum pro suffragio Animæ Fundatoris in casu etc.*

II. *An*, *et quomodo sit consulendum SSmo pro reductione Missarum in casu etc.*

III. *An*, *et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu etc.*

Non proposita cum sequentibus.

PERUSINA TRANSACTIONIS = Joseph Rossetti Perusinus *anno* 1707. de omnibus bonis suis *ad pias causas* disposuit, eorumque reditus in celebrandis sex Missis qualibet hebdomada, et in dotandis puellis Terræ Papiani erogari jussit. Hæredem vero fiduciarium, et executorem Testamentarium scripsit Præpositum pro tempore Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii Perusiæ, eique præmium administrationis in annuis *scutis* 50. reliquit. *Sess.* 25.*cap.* 4. *de Reform.*

Valerianus Rossetti, Testatoris agnatus *anno* 1776. a sa: me: Pontifice Pio VI. impetravit, ut universæ hæreditatis administratio ad ipsum, ejusque descendentes masculos, linea masculina durante spectaret: Scipio autem, Valeriani Filius, *anno* 1814. duo Pontificia Rescripta obtinuit, quorum altero numerus Dotium quotannis tradendarum ad *duas* tantum fuit coercitus; altero vero, ipsi, ejusque descendentibus per lineam masculinam liberatio ab onere solvendi annua *scuta* 50. memorato Præposito fuit indulta. Verum inter Præpositum, et Scipionem gravis exarsit contentio de prædictorum Rescriptorum *reportatione*, quæ ad Rotam cum clausula *de aperitione oris* fuit ablegata,

et

et in qua victus Scipio paulo post decessit, suæque Familiæ Rossetti masculinam lineam clausit.'

Itaque Præposito restituenda erat hæreditas; eaque de causa ipse judicio egit adversus Rosam Zurli Brutti, quam Scipio hæredem ex asse instituerat. Geminas autem sententias *die* 19. *Julii* 1819. edidit Vicarius Generalis Perusinus, quarum *altera* Rosam damnavit ad reddendas rationes tum *scutorum* 100., quæ Valerianus, Scipionis Pater, fassus erat, se retinere in puellarum Dotes eroganda; tum universæ administrationis a Valeriano, et Scipione gestæ, atque ad restituenda mobilia, semoventia, ac semina, et quoad duas Domos venditas in Oppido Papiani jura Præposito reservavit ad eas recuperandas, vel illarum pretium obtinendum: *altera* vero Peritos designavit, qui finibus appositis Bona immobilia Josephi a Bonis Scipionis separarent, de damnis Josephi Bonis illatis referrent, et quoniam omnia simul indicata Bona locata fuerant, quantitatem annuæ responsionis Josephi Bonis adscribendam præfinirent.

Possessionem Bonorum immobilium, Rosa minime repugnante, iniit Præpositus Congregationis Oratorii; Periti vero terminos apposuerunt, et annuam pensionem eisdem Bonis respondentem indicarunt. Verum et imperata rationum redditio, et petita a Præposito damnorum emendatio amplam litibus viam straverant: quamobrem satius visum est jam obortas, et facile orituras controversias amico Transactionis fædere sopire, cujus hæc est summa.

„ Il mobilio, che consegnato venne al fu Valeriano
„ Rossetti fino dal 1776., fu stimato sc. 436., de'quali ne è stata data in consegna al P. Superiore una
„ quantità per sc. 115., essendo tutto il rimanente
„ consunto, e distratto; e perciò per stralcio invece
„ di rappresentare la Sig. Rosa tanti Mobili, si è convenuto, che debba dare oltre li detti scudi 115. in
„ natura, in effettivo contante . . . ₰ 180 —

„ Per danni cagionati ne' Beni stralciati in ₰ 200 —

„ Restituzione di tanti depositati in mani del
„ del fu Valeriano per la soddisfazione delle
„ Doti . . . . ₰ 100 —

„ Residuo di Legati dovuti al P. Superiore a
„ tutto li 31. Marzo 1818 . . . . . ₰ 137 50

Spe-

„ Spese rifattibili, e di Documenti prodotti in „ Rota, e spese fatte nei due Giudizj in Pe- „ rugia, ed altre posteriori, stralciate d' ac- „ cordo . . . . ₰ 153 50

„ Per corrisposte pagate dall' Affittuario dal pri- „ mo Aprile a tutto Decembre 1818., ba- „ sate su di un esatto ripartimento fatto „ amichevolmente . . . . ₰ 246 84

In tutto ₰ 1017 84

„ Resteranno a profitto dell' Eredità del fu Giuseppe Ros- „ setti gli sc. 570. prezzo della Casa posta a Papiano „ venduta con Rescritto Pontificio al Sig. Angelo „ Fracassi, per essere un Capitale della stessa Eredità; „ come pure tutti i frutti decorsi, e che risulteran- „ no non pagati dal Fracassi.

„ Similmente ritorneranno a detta Eredità tutti i LL. di „ MM., lasciati dal Testatore, come pure tutti i frutti „ di essi, comunque decorsi, o decorrendi, e che non „ risulteranno pagati.

„ Dovranno saldarsi le corrisposte d' Affitto dall' Affit- „ tuario, e ciò dal primo Gennajo 1819. a tutto il „ 30. Aprile 1821., in cui è cessato l'affitto, e che „ ascendono a scudi 767. 95. 3. a norma del ripar- „ to, e perizia formata dal Perito Alessandro Ram- „ baldi.

„ Dovrà fare l'Amministratore quietanza del Bestiame „ dell'Eredità per la somma di scudi 250., che tan- „ ta ne ricevette in consegna il fu Valeriano, e che „ gia si è dal detto P. Superiore ricevuto in tanto „ Bestiame, come pure dovrà fare quietanza di staja „ 68. Grano, seme morto, esistente, e lasciato in detti „ Beni, ed in fine dovrà fare quietanza del Mobilio „ ricevuto in scudi 115.

„ In quanto poi alle Doti, conferite prima della mor- „ te del Signor Scipione Rossetti, resterà a carico „ della Signora Rosa Brutti la loro soddisfazione, „ non che di tutti gli altri Legati lasciati dal Testa- „ tore; e dovrà detta Signora Rosa ad ogni richie- „ sta del P. Superiore rendere esatto conto, unifor- „ mandosi a quanto su ciò viene prescritto dal Te- „ statore.

„ Per appianare i detti scudi ———— ꝸ 1017 84
„ di cui l'Eredità va creditrice, la Signora
„ Rosa Brutti cederà un Censo in
„ sorte di ———— ꝸ 120 —
„ con i frutti al quattro per cento
„ Un'altro Censo in sorte ———— ꝸ 248 12
„ fruttifero al tre per cento.
„ Cederà sei Botti di tenuta Barili
„ 240. circa pel valore concorde-
„ mente stabilito di ———— ꝸ 98 —
„ Cederà un quantitativo di Bestiami
„ per la somma di ———— ꝸ 414 —
„ E finalmente per la somma di ꝸ 137 72

Tornano —— ꝸ 1017 84

„ si scomputeranno altrettanti dalla medesima Signo-„ ra Rosa Brutti pagati, e per Dazj di detti Beni, „ per elemosina solita a darsi nel dì primo Novem-„ bre 1818. e per altri pagati al detto P. Superiore.

„ Poteva la Signora Rosa Brutti, anzichè prestarsi ad „ un'amichevole definitiva liquidazione del suo dare „ all'Eredità Rossetti, eccezionare tanto riguardo all' „ eccessività delle suddette spese, quanto riguardo „ alla liquidazione de' danni: eccezioni, che non „ potevano darsi se non collo strepito di nuovo Giu-„ dizio, ed in conseguenza con nuovo dispendio, „ ed incertezza; quindi se n'è abbandonato il pen-„ siero, e sul riflesso sovraindicato, e per la con-„ discendenza del P. Superiore nel prendere in par-„ zial pagamento de' suoi Crediti i due sopramemo-„ rati Censi, uno de' quali è fruttifero al tre, e l'al-„ tro al quattro per cento: ed esso P. Superiore si è „ indotto a prenderli *pro solvendo*, e *non pro so-„ luto*, non ostante, che rendino un simile frutto, „ per liberare da nuove Cause, dispendj, e detri-„ menti l'Eredità Rossetti, e per non avere ulteriori „ inquietezze.

Rebus ita compositis, Præpositus Congregationis Orato-rii *dopo di avere obbligata l' Erede di Scipione all' osservanza di quanto si contiene nello stipolato so-*

len-

lenne Istromento di Transazione fino dal dì 29. Luglio 1822., Concordiæ approbationem ab hac Sac. Congregatione suppliciter implorat.

Preces, ut moris est, remissæ fuere Episcopo Perusino *pro Informatione, et Voto, audita præsertim Rosa Zurli, et transmissa Copia Concordiæ referat de legitima causa transigendi, et de evidenti utilitate* = Ipse vero impletis omnibus, quæ ei demandata fuerunt, in suis litteris hæc habet = *Judicialibus perlectis peritiis, Instrumento transactionis considerato, cujus copiam reverenter unitam EE. VV. subjicio, Partibus auditis, aliisque notionibus acquisitis, video scutata biscentum sexaginta relaxata in diminutionem Crediti Operæ piæ, et Adversariæ condonata. Commendandum forte quisque haberet, si Orator Superior aliquid sui interesse etiam remisisset, ut saltem pari gradu currens negotium hæreditatis cum proprio appareret; nec non major cura de dotibus adhuc insolutis a Rosa Zurli in numero non parvo, cum præjudicio pauperum puellarum, ac de cæteris adimplendis de præterito Legatis in eadem stipulatione admirari potius posset, quam simplex, ac sterilis conditio* = In quanto alle doti conferite prima della morte del Signor Scipione resterà a carico della Signora Rosa Brutti la loro soddisfazione, non che di tutti gli altri Legati, e ad ogni richiesta di detto P. Superiore rendere esatto conto =

Ecclesiæ bona, res nempe divino cultui dicatas, alienari haud posse nemo ignorat *Extravagan. Ambitiosæ de reb. Eccles. non alien., Cap. Nulli 5. eodem tit.* Cum autem cessio, remissio, transactio speciem præseferant alienationis, quia onerosam continent inter partes conventionem *Sac. Congr. in Ariminen.* 21. *Aprilis* 1794., *et in Civitatis Castelli Concordiæ* 8. *Augusti* 1818. fit ideo, ut quemadmodum alienatio, ita cessio, remissio, transactio de juribus, ac rebus in pias causas erogandis vetita sit, nisi intercedat *solemnitas, et causa*, quarum altera in Apostolico Beneplacito, altera in necessitate, vel evidenti piæ Causæ utilitate consistit *Urceol. de Transact. qu. 25. n. 2. et seq., Rota cor. Coccin. dec. 301. n. 1., cor. Durano dec. 459.* n. 2. *et seq., Sac. Congr. in Caven* 2. *Maii* 1818.

Justam transigendi causam præbuit semper recessus a lite, quandoquidem Transactio est a Jure invecta ad avertenda Litium pericula, earumque sumptus vitandos *Leg. 1. Cod. de Transact.*, *Rocca disput. select. cap. 3. n. 57.*, *Valeron. de transact. in proem.*, *Rota in nuperr. decis. 18. n. 21. tom. 3.* Utilis autem in themate censenda est Concordia, quia per illam Transigentes finem imposuerunt litibus tam ortis, quam orituris, quæ mutuæ vexationis, mutuique dispendii causa fuerunt, ac per tempus fortasse diuturnum erant futuræ *Leg. 1. Cod. de Pact.*, *Leg. Si ea Cod. de Usur.*, *Abb. in cap. 1. n. 2. de Transact.*, S. Congr. *in Firmana Concordiæ 21. Novembris* 1807., *et in Montis Alti Transactionis 20. Februarii* 1808.

Accedit, quod Administrator illico redintegrationem Crediti piæ Causæ consequitur, pro mobilibus pecunias obtinet; quodque Creditum juxta initam supputationem in *scutis* 1017. 84. fuit constitutum procul a quæstionibus, et contentionibus, quæ multiplices peperissent molestias, ac diuturnam Missarum, et Dotium suspensionem.

Transactionis tabulæ, Apostolica venia minime præeunte, fuere obsignatæ; imo in ipsis nulla de obtinendo Apostolico Beneplacito habita est mentio: quamobrem contractus manifesto nullitatis vitio laborat *Urceol. de Transact. quest. 6. n. 2. Gratian. discept.* 674. *n.* 1. *et* 15, Sac. Congr. *in Meliten.* 19. *Februarii* 1701. Verum solemnitas Beneplaciti Apostolici ad Transactionis validitatem necessaria, est quid diversum ab ipsa Transactione, et seorsim adhiberi potest, ideoque a Doctoribus dicitur solemnitas, non *formalis* contractus, sed *effectualis*, quæ scilicet robur actui jam celebrato tribuit. Quando igitur de justa causa, necessitate nempe, vel utilitate constat Transactionis, concedi sanationem, et defectui Apostolici Beneplaciti suppleri tradunt *Thesaur. quæst. forens. 37. n. 2. lib. 3.*, *Menoch. consil. 134. n. 34. et 35.*, *Rota decis. 16. n. 5. part. 7. Recent.*

Animadvertere tamen præstat, Præpositum Congregationis Oratorii transigendo scuta biscentum sexaginta remisisse, quæ Rosa Scipionis hæres debebat; perpendendum idcirco est, an Transactionis utilitas tanta

sit

sit, quæ certum hoc detrimentum compensare valeat. Æquum præterea videretur, ceu monet Perusinus Episcopus, ut idem Præpositus aliquantulum de suo jure decederet favore piæ Causæ, nempe aliquid detraheret de Legatis sibi debitis, quæ pro anteactis annis in stipulatione Concordiæ in *scuta* 137. suppurtata fuisse constat. Simplicem vero, ac sterilem conditionem quoad Dotes jam collatas, et Legata non adimpleta, stipulationi adjectam fuisse queritur Episcopus, dum onus adimplementi omnino fuit Rosæ impositum: perpendi tamen poterit, Præpositum adjici curasse, *e dovrà detta Sig. Rosa ad ogni richiesta del P. Superiore rendere esatto conto, uniformandosi a quanto su ciò viene prescritto dal Testatore*. Satis itaque prædictarum Dotium præstationi, et Legatorum implemento consultum videtur, si congruus, præfiniatur terminus, quo elapso rationes omnino sint reddendæ.

Vestrum erit EE. PP. dirimere

Dubium

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione Transactionis in casu etc.

CAMERINEN. ÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ. Terremotu quassata corruit *anno* 1799. una cum Parochialibus ædibus Ecclesia *Villæ Frontilli* Camerinensis Diæcesis: applicatione tamen quorumdam piorum Legatorum, et eleemosyna *scutorum* 50. a Dominico Bartolini tributa, facile incohata fuit novæ Ecclesiæ ædificatio. Cum autem incæptum opus, deficientibus

Sess. 2. Cap. 3. De Reform.

bus mediis pro reparandis Ecclesiis a Jure statutis, perfici non posset, paratum se obtulit idem Dominicus ad reliquam pecuniæ vim subministrandam, *a patto espresso però, che debba essere rimborsato intieramente dalla Cassa della Fabbrica della Metropolitana di Camerino*, (pro qua peculiariter indictam Taxam census, sive *sul terratico*, prorogaverat Summus Pontifex) *e che intanto* loco damnorum, et lucri cessantis, *debbano a di lui favore decorrere li frutti alla discreta ragione di scudi sette per ogni cento*;

Re ad hanc S. Congregationem delata, de prædictæ Ecclesiæ ædificatione actum est in Comitiis *dierum* 27. *Junii*, 18. *Julii*, 21. *Novembris*, *et* 19. *Decembris* 1807., editumque a sa. me. Pio VII. *die* 12. *Januarii* 1808. fuit Rescriptum, quo = *SSmus mandavit, Taxam impositam super territorio Camerini pro fabrica Ecclesiæ Cathedralis, hac expleta, erogandam esse præ cæteris favore Ecclesiæ Frontilli, ad effectum reintegrandi Dominicum Bartolini, subventorem sumptuum ad eam explendam fabricam occurrentium.* Hoc fretus rescripto Dominicus propriis impendiis operi manus admovit, et erogatis *scutis* 488. 60., Ecclesiæ constructionem absolvi curavit.

Interea ob publicarum rerum vicissitudines taxa census abrogata, et Metropolitanæ Ecclesiæ ædificatio fuit intermissa. Cumque etiam post reditum Pontificis Pii VII. ad Sedem Apostolicam, Taxa in antiquum statum non restitueretur, proindeque Cathedrali Ecclesiæ extrema manus apponi haud posset, supplicem Dominicus Bartolini huic S. Congregationi dedit libellum, ut pecuniæ, cæmenta, ac ligna pro ædificatione Ecclesiæ Metropolitanæ a Deputatis Fabricæ parata, ipsi concederentur. Obstiterunt Deputati, contendentes expectandum esse, donec Cathedralis Ecclesiæ constructio ad exitum perduceretur, ac præterea a summa *scutorum* 488. 60. detrahendos esse sumptus Odei, sive *Coretto*, in eadem Ecclesia a Bartolinio in proprium commodum extructi. Hinc *die* 14. *Decembris* 1816. propositum fuit Dubium = *An, et quomodo providendum sit in casu etc.*, cui deinde responsum *die* 25. *Januarii* 1817. datum est = *Provisum per*

per Rescriptum SSmi diei 12. Januarii 1808. = Iterum a Dominico Bartolini oblatæ preces ad Archiepiscopum remissæ fuerant, qui cum retulisset, ædificium Metropolitanæ Ecclesiæ, collata pecunia a nonnullis debita, et largitione a sa. me. Pio VII. tributa reviviscere, *die 12. Junii 1819.* dimissus fuit Bartolinius responso = *In decretis sub die 25. Januarii 1817.* =.

Itaque novo supplici libello nunc petit Bartolinius, ut saltem in bona Ecclesiæ Frontilli, atque Parochianorum, jura sua experiri possit. Requisitus Archiepiscopus confirmat, Taxam super Censu Ducatus Camerinen. jamdiu defecisse: deinde pergit = *Desunt quoque media a Sacro Concilio Tridentino pro reparandis Ecclesiis præfinita*, nam *reditus dictæ Parœciæ*, (Frontilli) *ita tenues sunt, ut Parochus percipere non valeat, quod ei de jure debetur. Desunt Beneficia, Capellaniæ, et Sodalitates, quæ superextantes reditus pro satisfaciendo Oratore contribuere valeant, et Parochiani una, vel altera Familia excepta, in egestate vitam degunt*;

Auditis super novis Oratoris precibus Deputatis Fabricæ dictæ Ecclesiæ Metropolitanæ, isti responsum dederunt, ut in folio, quod adnecto.

Cum itaque fundus, ut supra assignatus, et indicata media desint, necesse est, ut novus fundus a Suprema potestate statuatur, ut Orator promissam ejus reintegrationem consequi valeat. Neque ad ejusdem explendam satisfactionem erogari possunt taxæ nunc vigentes ad novæ Metropolitanæ reædificationem; cum tali mensura impositæ fuerint, ut vix satis sint ad opus perficiendum. Supersunt vero exactiones taxarum, quæ priusquam ab Italico regimine fuissent aboletæ, pro hac fabrica erant assignatæ, et in quibus Bartolinius debebat satisfieri. In summa adhuc exigenda, et in qua hodierna fabricæ Deputatio nullum jus habet, utpote suprema auctoritate suspensa, justissimum mihi videretur, si exactio injuncta saltem foret in ea quantitate, quæ sufficeret ad Oratoris creditum persolvendum.

In Folio, quod commemorat Archiepiscopus, Deputati Fabricæ Ecclesiæ Metropolitanæ consonum esse justitiæ

tiæ affirmant petitionem Dominici Bartolini, atque adeundam instant supremam potestatem pro alterius fundi assignatione ad hujusmodi æs alienum dissolvendum, cujus fructus jam excesserunt sortem, atque in dies augentur.

Dominicum Bartolini legitimum esse Ecclesiæ Frontilli creditorem tam pecuniæ in eadem perficienda impensæ, quam fructuum, in dubium vocari non posse videtur, cum intercedente hujus S. Congregationis venia, ædificii propriis sumptibus absolvendi onus susceperit, promissa a Suprema potestate una cum fructibus pecuniæ creditæ restitutione. Verum quavis sui crediti exigendi spe se frustrari asserit Bartolinius, si nullo alio juris remedio uti possit, quam rescripto *diei 12. Januarii* 1808. Cum enim taxa census Ducatus Camerini abrogata fuerit, fieri prorsus nequit, ut sors, et fructus a Fabrica Ecclesiæ Metropolitanæ persolvantur; ideoque non aliud superesse medium videtur, quam Bona Parochiæ Frontilli persequendi.

Nec se abrogatione Taxæ census a jure suo decidisse putat Bartolinius, qui assignatione ejusdem Taxæ simplex Mandatum ad exigendam pecuniam se accepisse affirmat, *arg. L. Si delegatio 3., et L. Non abstulit. 4. Cod. de Novat.* Qui autem a debitore Mandatum accepit ad exigendum, ut sibi satisfaciat, potest nihilominus, non sequuta solutione, agere in mandantem, veluti expresse traditur *in L. Si mandavero 22. §. interdum. ff. Mandat.* nisi mandatarius in se periculum susceperit, *ead. L. Si mandavero*, aut mandatum in solutionem debiti acceptum fuerit, quod nunquam præsumitur, proindeque id aperte caverint contrahentes oportet, ut de cessione nominis debitoris firmat *Rota decis. 172. n. 4. cor. Caprara, et decis. 313. n. 10. cor. Ratto.*

Nullum in se periculum suscepisse Bartolinius affirmat; nec Taxam census in solutionem sui crediti assignatam fuisse; tum quia id nullibi expressum invenitur, tum quia ejusmodi assignatio, numerata pecunia debita, revocari poterat, quod longe omnino abest a vera cessione, et datione in solutum, *Voet. ad Pand. Lib. 18. tit. 4. n. 15., Vinn. in Instit. de action. n. 9.*

n. 9. Igitur Taxa census assignata fuit, ac Bartolinio obligata, ut facilius, ac tutius pecuniam creditam, fructusque consequeretur; non secus ac si pignus datum fuerit, ut ejus fructibus creditor sibi satisfaceret, *L. 1. 2. et 3. Cod. de Pig. action.* Quamobrem uti pereunte re pignori, aut hypothecæ tradita, actio in debitorem non extinguitur, sed debiti permanet integra petitio, *L. Servo. 25. Cod. de Pig. act.* ita abrogata Taxa census, integrum erit Bartolinio jus persequendi bona Paræciæ Frontilli pro sui crediti exactione; imo a Gubernio Pontificio, quod veluti sponsor accessit, petere poterit, ut Taxam iterum decernat, vel quavis alia ratione provideat, ut sors, ac fructus ipsi rependantur.

Nihil vero detrahendum Bartolinius autumat a summa *scutorum* 488. 60. propter Odeum, cujus extruendi in ædificatione Ecclesiæ ipsi, uti de eadem Ecclesia optime merito, fuit a Sede Apostolica facultas impertita.

Verum dubitari jure potest, vel quavis actione Bartolinium carere, vel certe nullam eidem competere contra Bona Ecclesiæ Frontilli. Etenim cum ipse ad sui nominis dissolutionem Taxam census assignari postulaverit, hac una assignatione contentus fuisse videtur: eadem proinde assignatio fuit quædam solutio a Creditore probata. Nihil sane vulgatius, quam solutione omnem, ipso jure, tolli obligationem *tot. tit. ff. de Solut.*, non solum præstatione ejus, quod debetur, sed consentiente creditore aliud pro alio dando, non minus quam si debita res tradita esset, *§. tollitur. Inst. quib. mod. obl. toll.*, *L. In omnibus 45. ff. de solut.*

Abrogatione autem Taxæ census jus Dominici Bartolini in Ecclesiam Frontilli non revixit. Nam Ecclesia immunis evasit a quolibet periculo assignatione taxæ, cujus exigibilitatem præstare non tenetur, sed satis est, ut illa tempore assignationis fuerit exigibilis, quemadmodum in actione vendita sufficit, quod venditor emptori debitorem præstet illius rei, quæ expressa fuit, quin eum locupletem præstet, *L. Si nomen. 4.*, *et L. Quidem 5. ff. de hæred. vel act. vend.*, *Voet ad Pand. lib. 18. tit. 4. num. 14.*

Taxa census tempore assignationis exigibilis erat, ac hujusmodi mansuram esse, jure quisque sperasset. Itaque si postea, nullo facto Ecclesiæ Frontilli, abrogata fuit, nulla præsto esse Bartolinio poterit actio,

quam in Bona prædictæ Ecclesiæ convertat. Nihil quoque a Pontificio Gubernio petere poterit, quoniam Taxa census, occupata a Gallis Pontificia Ditione, Gallorum tantum imperio fuit abrogata; in præsens vero illam iterum decerni an tempora sinant, non facile statui potest.

Præterea quamvis Dominicus Bartolini abrogatione Taxæ census jure suo non cecidisset, a pecunia tamen credita detrahendæ sunt impensæ pro molitione Odei, quam sibi asserit indultam auctoritate Apostolica, sed nullo documento comprobat. Fenestram imo claudere tenetur Bartolinius, vel compensationem Ecclesiæ tribuere pro servitute eidem imposita, ut eruitur ex Folio in *Reatina Odei 12. Septembris* 1822., sumptusque constructionis Odei subire; cum nemo sibi in animum inducere queat, Summum Pontificem Bartolinio facultatem tribuisse, ut non suis, sed Paræciæ impensis Odeum in proprium commodum construeret.

Si Emi Patres et sortem, et fructus pendendos censeant, de *modo* quoque peragendæ solutionis decernant oportet. Archiepiscopus enim testatur, reditus Paræciæ adeo tenues esse, ut Rector, quod ei ex jure debetur, percipere non valeat: alia deesse media pro reparandis Ecclesiis a Tridentina Synodo statuta: taxas quoque ad Metropolitanæ Ecclesiæ ædificationem impositas vix satis esse ad opus perficiendum. Quocirca postulat, ut novus statuatur fundus a Suprema potestate pro Oratoris reintegratione, aut eidem concedantur antiquæ taxæ census, quæ ante abrogationem non fuerunt exactæ. Latet vero earum summa, et an a debitoribus nunc exigi queant.

Cætera habent EE. PP. in Foliis dierum *27. Junii*, 18. *Julii*, 21. *Novembris*, 19. *Decembris* 1807., *et* 14. *Decembris* 1816., quæ resumere precor, ut dirimere possint

Dubium

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

FINIS

INDEX

INDEX RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in causis in S. Congreg. Concilii anno 1823. propositis

A

Abbatiam in Ecclesia Collegiata SS. Jacobi, et Philippi Terrae Tabiae Dioecesis Albinganen. erectam a Maria Antonia Pastorelli de bonis relictis a Joanne Baptista Pastorelli, confirmandam esse dixit S. Congregatio, quae praeterea censuit non indigere *absolutione* a censuris ob commutationem voluntatis Jo: Baptistae, quia hic haeredibus potestatem fecit dispositionem commutandi. Tandem celebratis decem Missis pro omnibus omissionibus *absolutionem* concedendam esse statuit, facto verbo cum SSmo, in *Albinganen. Erectionis Abbatiae* 22. *Novembris ad I., II., et III. Dub.*

Sacerdoti Hyppolito Fossati, qui post Canonicatus renunciationem e Dioecesi adhuc absens erat; quamvis eum Episcopus Amerinus cogere vellet, ut in Dioecesim rediret, S. Congregatio concessit indultum *absentiae*, donec convalesceret in *Amerina Residentiae* 25. *Januarii.*

Absentia Vide *Distributio.*

Contractus *alienationis* a Parocho Vincentio Monti initos sanandos censuit S. Congregatio, quamvis Beneplacitum Apostolicum desideraretur, cum de hujusmodi contractuum necessitate, nec non de evidenti Ecclesiae utilitate constaret. Imo consulendum SSmo dixit pro *absolutione* a censuris, attenta praesertim bona fide in *Fanen. Absolutionis, et Sanationis Contractus* 19. *Aprilis ad I., et II. Dub.*

Recedendum esse a decisis *sub die* 30. *Martii* 1822. decrevit S. Congregatio, et statuit, celebrandas esse in futurum Missas quadraginta lectas diebus festis pro legato de Marinis, facta inscriptione super fundo libero, et descriptione in Tabella. Statuit quoque, ut celebrata, unica vice, Missa cum cantu, et assistentia totius Capituli S. Blasii Oppidi *Final di Borgo* Savonen. Dioecesis, Sanctissimo consuleretur pro gratia *absolutionis*, et condonationis pro praeteritis omissionibus in *Savonen Commutationis Voluntatis* 19. *Aprilis.*

Absolutio Vide *Beneficium, Missa Conventualis, Reductio, Sanatio, Suspensio, Unio.*

Juxta votum Episcopi Administratoris Anagninae Dioecesis ad sublevandam inopiam Simonis Panetta Oppidi *Carpineti* S. Congregatio suspensionem nominationis, et *administrationem* Capellaniae ab Hercule et Annunciata Panetta fundatae illi tamquam Patrono concessit, ejusque bonis frui permisit, ita tamen ut ejusdem Capellaniae onera plene satisfaciat. Voluit vero, ut Episcopus curaret, fieri inscriptionem hypothecariam super bonis Capellaniae, nec non, attenta paupertate, et aliqua bona fide Patroni, illum celebratis tantum quatuor Missis lectis *absolvit*, et fructus omnes jam perceptos condonandos respondit facto verbo cum SSmo in *Anagnina Nominationis* 22. *Februarii.*

Ad formam sententiae *anni* 1721. Fratribus Eremitis S. Augustini compe-

bien Capellaniae 2. *Augusti ad I.*, *et II. Dub.*

Canonicis Ecclesiae *Cathedralis* Casertanae, etiamsi non *capitulariter*, sed uti singulis cum Episcopo intervenientibus, vel ab eodem invitatis, competere jus assistendi Episcopo in sacris functionibus non solum intra ambitum Civitatis Magdalunae, sed etiam in Ecclesia *Collegiata*, dixit S. Congregatio, quae decrevit quoque, ut quotannis *die* 8. *Maji* per Deputatos Episcopo obedientia praestanda esset a dicta Magdalunensi Collegiata in *Casertana* 2. *Augusti ad I.*, *et II. Dub.*

Canonicatus Vide *Dispensatio*, *Impetratio*.

Canonici Vide *Missa*.

Canonicus Theologus, vel *Pœnitentiarius* Vide *Praeeminentia*.

Preces Maximi Conciarelli conjugati, quibus administrationem *Capellaniae* sub invocatione B. M. V. in Coelum assumptae, ac S. Antonii Patavini a Joanne Baptista Conciarelli erectae petebat, annuendum non esse censuit S. Congregatio. Statuit quoque, hujusmodi Capellaniae institutionem contra Testatoris voluntatem dudum non esse Presbytero Marcelli. Consulendum vero SSmo dixit favore Clerici Josephi passive a Testatore vocati in *Signina Capellaniae* 20. *Decembris ad I.*, *II*, *et III. Dub.*

Capellania Vide *Administratio*

Capitulares Vide *Missa*

Censura Vide *Absolutio*

Coadjutor Vide *Stallum*

Cum reditus *Collegiatae* Ecclesiae Sancti Martini ob passam imminutionem tenues adhuc sint, S. Congregatio indultum reductionis quoad *Chori servitium* 16. Decembris 1820. concessum prorogavit, donec augeantur reditus; at servitium Chorale ad Octavas privilegiatas ampliavit in *Nullius S. Martini Reductionis Servitii Chori* 22. *Februarii*.

Decreta Episcopi Sutrini, quibus, praevia reservatione omnium redituum, jurium, bonorum, ac privilegiorum ad Ven. Sutrinum Seminarium spectantium, probavit erectionem *Collegii* Ecclesiastici, seu Episcopalis in Civitate Roncilionensi, exequenda esse dixit Sacra Congregatio in *Sutrina Collegii Ecclesiastici* 22 *Novembris*.

Antequam Sacra Congregatio aliquid statueret circa *commutationem* voluntatum, et legatorum applicationem petitam ab Administratoribus Nosocomii Brixichellae Faventinae Dioecesis, prorogatum fuit judicium, et Emi Patres censuerunt, rogandum esse Episcopum, ut, inspectis fundationibus cujuscumque Operis pii, referret singulariter de natura, de annexis Missarum oneribus, auditis omnibus interesse habentibus; nec non an Montes Gallimani adhuc sint suspensi, vel jam restituti, et an superextantes reditus piorum Operum sint a fundatoribus ad aliquos usus destinati in *Faventina Commutationis Voluntatis*, *Applicationis*, *et Sanationis* 22. *Martii ad I. Dub.*

Deinde hanc *commutationem*, seu legatorum applicationem quoad bona Nosocomii S. Catharinae Fugnani, attento dissensu Administratorum hujus pii operis, denegavit Sacra Congregatio, et ideo ea esse restituenda dixit. In reliquis vero consulendum SSmo censuit, ut per modum provisionis concederetur manuteneri Hospitale Brixichellae in administratione bonorum, et redituum reliquarum fundationum, ita ut adimpletis ad formam earum omnibus oneribus quidquid superesset, faceret suum, donec a Sanctitate Sua aliter provideretur, et Episcopus curaret adimplementum, et sibi quotannis reddi rationem adimplementi in specie cujusque legati pii in *eadem* 20. *Decembris*.

Conditio Vide *Legatum*.

Condonatio Vide *Absolutio*.

Congrua Vide *Residentia*

Usum Fesulanae Dioecesis, quo in publica Sacramenti *Confirmationis* administratione Episcopus virum, atque mulierem eligebat, qui, quaeve patrini, matrinaeve pro omnibus confirmandis munere fungerentur, non esse probandum dixit S. Congregatio, sed tollerandum permisit in casu necessitatis ab Episcopo judi-

N

O

P

quae fiunt a Capitulo Collegiatae, olim Cathedralis, Ecclesiae Caprearum, sententiam differendam censuit, ut probaretur Matricitas, vel unitas corporis totius Cleri in *Surrentina Processionum* 22. *Novembris.*

Parochum Ecclesiae Suburbanae S. Blasii Civitatis Plebis *procurationem* Episcopo Dioecesim visitanti solvere teneri decrevit S. Congregatio, cum haec solutio de jure debeatur, et cum nullum legitimum exemptionis titulum ipse exhibuerit in *Civitatis Plebis Procurationis* 19. *Aprilis.*

Q

Standum esse in decisis sub die 16. *Septembris* 1820., seu deberi Parocho S Andreae De Fractis Urbis canonicam portionem, quam dicunt *quartam* funeralem ad formam Statuti Cleri Romani ab Ecclesia Cathedrali Urbevetana pro funere cl. me. Cardinalis Scotti, respondit Sacra Congregatio in *Romana*, *seu Urbevetana Quartae Funeralis* 12. *Julii.*

R

Attenta imminutione redituum absque Beneficiatorum culpa, Sacra Congregatio facto verbo cum SSmo Beneficiatis Ecclesiae Collegiatae Civitatis Calaritanae Anniversariorum, et Missarum cum cantu *reductionem* ad decennium concessit juxta votum Archiepiscopi, celebrata quotidie Missa pro Benefactoribus ad formam Benedictinae *Cum semper oblatas* in *Calaritana Reductionis Missarum* 22. *Februarii ad* I. *Dub.*

Standum esse in decisis sub die 27. *Aprilis* 1822., qua concessa fuit *reductio* onerum Ecclesiae Metropolitanae Bononiensis, alteriusque Ecclesiae subsidiariae sub titulo Sancti Nicolai *degli Albari*, juxta votum Emi D. Card. Guerrieri Relatoris, facta *reductione* expensarum, et legatorum praeter Missas, nisi voluntas fundatorum alia pia Opera praedilexerit, dixit Sacra Congregatio in *Bononien. Absolutionis, et Reductionis* 24. *Maji.*

Juxta votum Ordinarii, facto verbo cum SSmo, *reducenda* esse Missarum onera in succursali Ecclesia S. Nicolai Civitatis Mosae Trajectensis Dioecesis Leodien. dixit Sacra Congregatio, cum imminuti sint reditus a fundatoribus relicti. Quo vero ad praeteritas omissiones consulendum esse SSmo censuit, celebrata unica Missa cum cantu. Onerum autem Missarum translationem denegavit in *Leodien. Reductionis, Translationis*, et *Absolutionis* 14. *Junii ad I., II., et III. Dub.*

Prorogavit judicium Sacra Congregatio, antequam onera Missarum, et Servitii Chori Ecclesiae S. Rosarii Oppidi *Ospedaletto* Nullius Montis Virginis *reducenda*, et consulendum SSmo pro absolutione quoad praeteritum statueret; imo voluit, ut ab Ordinario distincta notula per extensum exitus ad annua Ducata 209. ascendentis exquireretur in *Nulllus Montis Virginis Reductionis Servitii Chori*, *et Missarum* 14. *Junii ad I., et II. Dub.*

Beneficium sub titulo S. Antonii de Padua erectum in Ecclesia Parochiali Villae *di Coccanile* Ravennaten. Dioecesis, Missae quotidianae onere gravabatur; attenta patronorum paupertate, onus ad unicam Missam hebdomadalem, durante vita Clerici Pauli Passi Beneficiati, *reduxit* Sacra Congregatio; at scribendum esse Archiepiscopo censuit, ut curaret Canonicam Beneficii erectionem, et inscriptionem fundorum ejusmodi, et eorum liberationem ab aliis hypothecis, si quae sint impositae, facto verbo cum SSmo, in *Ravennaten. Reductionis Missarum* 2. *Augusti.*

Legatum Coppoli relictum favore Ecclesiae, et piae Domus Tyrocinii Scholarum Piarum Florentiae extan. *reducendum* esse dixit S. Congregatio, et concessit, ut per tres menses tantum quolibet anno omittatur mensile legatum, adimplendum in reliquis ad formam fundationis. Legatum

vero Tosoldi *reduxit* ad tot Missas ad manualem in die obitus Fundatoris celebrandas. Quoad Legata Bardi, et Campolini rescripsit, ut exhibeantur particulae fundationum Consulendum tandem SSmo censuerunt Emi Patres pro absolutione quoad praeteritas omissiones celebrata unica Missa solemni cum cantu, et interventu Religiosae Familiae in *Florentina Reductionis Onerum* 2. *Augusti ad I., II., III., IV., et V. Dub.*

Denegavit Sacra Congregatio ex reditibus Legatorum Ubaldini praestandum esse annuum stipendium Confessario Monialium S. Clarae Civitatis Urbaniensis, tum quia Testatoris voluntas obstabat, tum quia huic stipendium jam provisum in Monasterii *repristinatione* est dicendum: *Reductio* quoque Missarum denegata fuit, et Missas celebrandas esse dixit Sacra Congregatio ad eleemosynam obolorum quindecim. Attenta vero aliqua bona fide, et ad effectum quoque condonationis, celebrata unica missa de requie cum cantu, et assistentia omnium Monialium pro anima Fundatoris, consulendum esse SSmo censuit pro absolutione quoad praeteritas omissiones in *Urbanien. Reductionis, et Sanationis* 22. *Novembris ad I., II., et III. Dub.*

Reductio Vide *Collegiata*, *Suspensio*.

Cogendum esse Archipresbyterum Gambetti ad *residentiam* in Ecclesia Sancti Petri in Cultu Oppidi Mercatini Feretranae Dioecesis dixit Sacra Congregatio, confirmando primam, et tertiam resolutionem jam in hac causa latam; denegavit igitur tum Paroeciae dismembrationem, tum novam Parocho congruae constitutionem in *Feretrana Residentiæ, et Dismembrationis* 22. *Februarii ad I., II., et III. Dub.*

Prorogavit dein judicium S. Congregatio, et mentem addidit in *eadem* 24. *Maji ad I., II., et III. Dub.*

Sacerdotem Josephum Middelbourg, Beneficiatum Ecclesiae S. Mariae Assumptae in Coelum Terrae S. Stephani Ferentinae dioecesis, teneri ad *residentiam* saltem per alium, illumque solutis fallentiis, fructus omnes Beneficii quoad praeteritum percipere debere, decrevit Sacra Congregatio in *Ferentina Residentiæ* 20. *Decembris ad I., et II. Dub.*

S

Sacramenta Vide *Administratio Sacramentorum*, *Baptismus*, *Confirmatio*.

Consulendum esse SSmo dixit Sacra Congregatio pro *sanatione* concedenda Administratoribus Nosocomii Brixichellae Faventinae Dioecesis, quia aliqua bona fide, et necessitate compulsi in ejusdem Hospitalis favorem pios reditus ad alios usus destinatos erogarunt in *Faventina Commutationis Voluntatis, Applicationis, et Sanationis* 22. *Maii ad II. Dub.*

Sanatio Vide *Alienatio*.

Confirmandum esse decretum Vicarii Generalis Lucanae Archidioecesis; quo praescripta fuit remotio *Scamnorum*, seu *Sedilium* ab Ecclesia S. Frigdiani, censuit Sacra Congregatio, praesertim quia decretum hoc latum fuit ad vitandum seditionem, jurgia, et scandala, quae frequenter illorum sedilium causa in supradicta Ecclesia eveniebant in *Lucana* 25. *Januarii.*

Standum esse in decisis respondit Sacra Congregatio quoad remotionem hujusmodi *sedilium*, eo vel magis quod Joannes Mathias Banchieri nullimode suum assertum jus probaverit in *eadem* 22. *Martii.*

Seminarium Vide *Collegium*.

Sepultura Vide *Baptismus*.

Servitium Chori Vide *Collegiata*, *Reductio*.

Cum adversus Litteras Apostolicas, quibus Nicolao Colotio, Joannis Baptistae Benvenuti Canonici Praepositi Collegiatae S. Mariae Frusinonis Verulanae Dioecesis Coadjutori, concessum fuit *Stallum* in Choro primum, nempe inter Canonicos post Archidiaconum juxta morem, et consuetudinem in Capitulo vigentes, Canonici, qui assertam consuetudinem negabant, arbitrium pro aperitione

FINIS.

INDEX CONCLUSIONUM

Quæ adnotatæ sunt in Foliis Causarum anni 1823.

BENEFICIUM

BENEPLACITUM APOSTOLICUM

BIGAMUS

BONA FIDES

CANONICUS

CAPELLANIA

DIGNITAS

DISPENSATIO

DISTRIBUTIONES

DOMICILIUM

DONATIO

DOS

ECCLESIA

PRÆEMINENTIA

PRÆSCRIPTIO

PRÆSENTATUS

PRÆVENTIO

PRIMOGENITUS

PRIVATIO

PRIVILEGIUM

PROCESSIO

REFERENS

REGULARES

RENUNCIATIO

RESCISSIO

RESCRIPTUM

RESIDENTIA

RES JUDICATA

SACRAMENTORUM ADMINISTRATIO

SANATIO

SCAMNUM

SEMINARIUM

SIMONIA

THESAURUS
RESOLUTIONUM
SAC. CONGR. CONCILII

QUÆ CONSENTANEE AD TRIDENTINORUM PP. DECRETA,
ALIASQUE CANONICI JURIS SANCTIONES

MUNUS SECRET. EJUSDEM SAC. CONGREG.

OBEUNTE

R. P. D. ANTONIO DOMINICO GAMBERINI

PRODIERUNT IN CAUSIS SUB ANNO 1824

PROPOSITIS

EPISCOPIS, EORUMQUE VICARIIS, CAUSARUM PATRONIS,
AC ALIIS IN ECCLESIASTICO FORO VERSANTIBUS
APPRIME UTILIS, AC NECESSARIUS.

TOMUS LXXXIV.

TRIPLICI

INDICE LOCUPLETATUS



ROMÆ MDCCCXXV

Typis Vincentii Poggioli Rev. Cam. Apost. Typographi.

INDEX
ALPHABETICUS CAUSARUM

Quæ in Sacra Congregatione Concilii propositæ fuerunt anno 1824. per Dioeceses dispositus

A

B

C

F

H

I

L

M

N

O

P

R

S

T

U

V

Die Sabathi 31. Januarii 1824. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

CALLIEN, ET PERGULANA ABSOLUTIONIS, ET REDUCTIONIS.

Sess. 25. Cap. 4. de Reformat

Dubia

I. An descendentes Juliani de Turre curare teneantur applicationem Missarum pro suffragio animæ Fundatoris in casu etc.

II. An, et quomodo sit consulendum SSmo pro reductione Missarum in casu etc.

III. An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu etc.

Ad I. Negative, sed teneri ad celebrationem unius Missæ quolibet mense cum libera applicatione ad libitum celebrantis in Ecclesia Parochiali, et Episcopus curet fieri inscriptionem hypothecariam fundi, seu fundorum bo: me: Episcopi Bernardini Scala pro patrimonio, et libera celebratione Missæ ad formam illius fundationis, nec non fieri descriptionem in tabella.

Ad II. Affirmative, ut in præcedenti.

Ad III. Affirmative celebrata unica Missa cum applicatione pro anima fundatoris.

A PE-

Sess. 25. Cap. de Reformat.

PERUSINA TRANSACTIONIS
Dubium
An, et quomodo sit consulendum SSmo pro sanatione Transactionis in casu etc.

Affirmative, prefixo Rosæ Zurli Brutti termino duorum annorum ad conficiendum depositum dotium promissarum, et nondum solutarum, ut solvantur puellis post nuptias, vel post mortem innuptarum cedant in augmentum causæ piæ, cujus favore etiam Præpositus teneatur cedere tertiam partem scut. 137. 50., et Episcopus curet executionem, et inscriptionem bonorum operis pii, et in posterum quotannis exigat redditionem rationum a Præpesito.

Sess. 21. Cap. 3. de Reformat.

CAMERINEN. ÆDIFICATIONIS ECCLESIÆ
Dubium
An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

Dilata, et scribatur Archiepiscopo ad mentem.

Sess. 25. Cap. 7. de Reform.

PLACENTINA EXECUTIONIS LITTERARUM APOSTOLICARUM = Joseph Renattini Collegiatæ S. Antonini Placentiæ ex ordine Subdiaconali Canonicus, ætate gravi non minus, quam valetudine laborans, a sa: me: Pio VII. Cajetanum Mensium, tunc Diaconali ordine insignitum, coadjutorem petiit, eamque in rem amplissimum dedit procurationis mandatum. Petitioni Canonici Renattini votum, et beneplacitum accessit Episcopi, qui plenissimas dedit Mensio testimoniales litteras de ingenio, vitæ, ac morum probitate, ut in Coadjutorem Apostolica auctoritate deputaretur. Annuit Sa: Me: Pius VII., et manu SSmi signata fuit gratia assueta formula *fiat ut petitur G. B.* Verum statim ac id novit Capitulum, *nihil transeat* in Dataria Apostolica apponendum curavit, quia dextero pede læsus claudicat Mensius; hinc Apostolicæ Litteræ tunc expeditæ non fuerunt.

Ani-

Animadvertere præstat, quod Mensius *anno* 1816. ab Apostolica Auctoritate super memorato corporis defectu dispensari obtinuit, ut licite ad Sacros Ordines promoveri posset, cum ex eo deformitas non appareat, quæ scandalum, aut admirationem in populo excitet; et revera ad Sacrum Presbyteratus ordinem promotum fuisse, nec non ab Episcopo ad Laici Patroni præsentationem Canonicatum lucrativum eidem fuisse collatum in Collegiata Ecclesia S. Michaelis, ubi omnes Ecclesiasticas functiones jugiter exercuit. Epistolam deinde Episcopus *anno* 1820. cl. me. Cardinali Matthæjo misit, qua assensum jam præstitum confirmavit, nec non Apostolicas Litteras pro Coadjutoria favore Mensii expediri imploravit: sed contigit, ut gratia a SSmo signata tunc in Dataria reperta non fuerit. Cardinali Matthæjo vita functo successit cl. me. Card. Gabrielli; hunc autem supplex adiit Mensius pro tamdiu optata Litterarum expeditione. Nova tunc gratia fuit signata quamvis neque novas testimoniales Episcopi Litteras de vita, et moribus, neque novum Canonici Renuntiani consensum exhibuerit Mensius, qui lucrativo Canonicatu in Ecclesia S. Michaelis gaudens, testimoniales Litteras de utriusque compatibilitate afferre debuit. In his, a Vicario Generali signatis, testimonium adstat de vita, et bonis Mensii moribus, quod tamen et Episcopus et Cancellarius ex errore irrepsisse affirmant. Apostolicæ demum Litteræ Coadjutoriæ fuere expeditæ: sed contradicente Capitulo earum executionem denegavit Episcopus; ad quam obtinendam Mensius hanc Sac. Congregationem supplex adiit.

Precibus de more ad Episcopum remissis *pro informatione, et voto, ut audito Capitulo in scriptis, et transmissa copia Bullæ referret de Oratoris* Mensi *vita, et moribus, et legitima causa denegatæ executionis Litterarum Apostolicarum*: ipse dissensum tum Coadjuti, tum Capituli, quod antiquæ exceptioni ex vitio corporis aliam addidit ex defectu integri nominis, veluti denegatæ executionis causas attulit, prout cognoscent PP. EE. ex ejusdem Episcopi informatione a Capitulo distribuenda. Præterea a R. P. D.

Auditore SSmi facultatem adversus Litteras Apostolicas obloquendi obtinuit Capitulum: duo hinc, contradicentibus partibus, fuere Dubia concordata, quorum alterum ad aperitionem oris, alterum ad executionem Litterarum Apostolicarum pertinet.

Capitulum ut oris aperitionem consequatur, plura de obreptione, et subreptione disputat. Gratiæ siquidem fundamentum fuisse asserit testimoniales Episcopi Litteras super integritate vitæ, et morum probitate, quæ omnino in Mensio desiderari propugnat. Testimoniales enim Litteræ *anno* 1819. datæ nihil prodesse potuerunt, cum Litteræ Apostolicæ expeditæ fuerint *anno* 1822., renovandæ autem sunt Litteræ testimoniales, si aliquot menses effluxerint a signatura gratiæ ad ejus expeditionem, uti docent *Corr. Praxis Dispens. Lib.* 16. *cap.* 6. *n.* 21., *Rota cor. Merlin. Decis.* 71. *n.* 10. Neque secundæ testimoniales Litteræ Mensio favere possent; has enim nec ab Episcopo, nec ab ejus Vicario Generali, sed a Cancellario petiit Mensius, ut utriusque sui Canonicatus compatibilitatem probaret. Quod si in illis testimonium de bonis moribus legitur, cum ad longe diversum effectum datæ fuerint, id ex errore scriptum fuisse Capitulum contendit; quod autem ex errore dictum est, vel scriptum, nullius momenti haberi potest. Neque mirum, si Episcopus novas testimoniales denegavit Mensio, qui (prout Capitulum asserit) mores adeo mutavit, ut cum optimus esset, hodie longe alius evaserit.

Alterum obreptionis fundamentum esse Capituli Defensor dicit in asserto Canonici Renattini consensu, qui imo pænitens alias consensisse, Mensio apertissime dissensum suum pandidit, quando illius renovationem petiit. Neque obstat hujusmodi consensus retractationem Ministris Datariæ Apostolicæ minime fuisse nunciatam; nam si agatur de resignatione favore certæ, ac determinatæ personæ, sufficit, ut consensus retractatio resignatario significetur *Card. de Luca de Beneficiis disc.* 38. *n.* 7. *Rota, cor. Dunoz Decis.* 881. *n.* 10.

Tertiam denique obreptionis causam eruere tentat Capitulum ex corporis deformitate, qua Mensius laborat,

rat, et a qua erat explicite dispensandus. Quin ei prosit aliis obtenta dispensatio ad Ordines: dispensationes enim de casu ad casum extendi nequeunt, prout tradit *Rebuff. in praxi Benefic. part.* 1. *Tit de Dispensat. n.* 48. Si itaque tot vitiis laborant Apostolicæ Litteræ, illarum executionem denegandam esse Capitulum concludit.

Mensii vero Defensor omnia prorsus vitia excludere conatur. Negat autem in primis, jus Capitulo esse obsistendi Litterarum Apostolicarum executioni, cum in gratiosis contradictor, ut sit legittimus, parem titulum, et ejusdem speciei habere debeat, *Rota in Recent. part.* 16. *tom.* 1. *Decis.* 289. *n* 8 Hoc titulo deficiente, Capitulum mere tertium est, et ideo nihili faciendum esse ejus oppositionem sustinet. Subdit deinde Mensii Defensor, quod causa finalis, et animum Pontificis movens, fuit utilitas et necessitas Ecclesiæ; hanc minere si evincatur, quodvis illico evanescit objectum obreptionis, et subreptionis vitium. Ingravescens Canonici Renattini ætas, ejusque morbi utilitatem, et necessitatem Coadjutoriæ manifestam reddunt; nullum ergo obtrudi subreptionis, vel obreptionis vitium potest.

Quæ ab Episcopo proponuntur de integri nominis, et consensus Coadjuti defectu, eliminare satagit Mensii Defensor, animadvertens, nunquam Canonicum Renattini ante Apostolicarum Litterarum expeditionem Procuratori mandatum revocasse, ideoque ejus nomine Procuratorem valide, legitimeque consensum præstitisse. *Clement unic. de renunciat.*, *Card. de Luca de Beneficiis Disc.* 42. *n.* 10. Quod si jam præstitum assensum revocaverit Coadiutus post prædictarum Litterarum Apostolicarum expeditionem, nihil valet hujusmodi dissensus, cum res non sit amplius integra. *Card. de Luca loc. cit. n.* 3.

Defectum vero integri nominis Mensii Defensor tam ante, quam post Litterarum expeditionem excludere nititur ex Episcopi Litteris testimonialibus, ex promotione ad Sacerdotium, ex quotidiana Missæ celebratione, itemque ex eo, quod testes inducti nullam constituant probationem, quia expiscati, et suspecti, quia testimonium Mensio penitus ignorante præstiterunt

runt. Si quid autem hujusmodi testibus tribui vellet non tamen tanti essent habendi, ut eorum dicta, tot exceptionibus obnoxia, Litterarum Apostolicarum executionem impedire valeant, cum ad hunc effectum evidentissimæ, et numeris omnibus completissimæ probationes requirantur, *Rota in Recent. part.* 16. *Decis* 141. *n.* 2. Deficiente igitur quolibet subreptionis, vel obreptionis vitio, executionem Litterarum Apostolicarum concedi Mensii Defensor implorat.

CæteraPP. EE. habent in Allegationibus utrinque distributis, ut definire valeant.

Dubia

I An intret arbitrium pro aperitione Oris in casu etc.

II. An sit locus executioni Litterarum Apostolicarum in casu etc.

Dilata, et ad mentem.

Sess. 24. *De Reform. Matrim cap.* 1.

LAURETANA MATRIMONII SUPER ALIMENTIS = Joannes Baptista Riccardi, ac Theresia Bellini coram Parocho, et duobus Testibus Matrimonium clandestinum horis vespertinis *diei* 14. *Martii* 1822. inierunt. Re ad Vicarium Generalem Lauretanum delata *sequenti die* 15. jussit, ut Religiosam domum ingrederetur uterque: hinc Theresia ad Recinetense puellarum Conservatorium, et Joannes Baptista ad Auximanum PP. Minorum Cænobium se contulit. Joannis Baptistæ, ac ejus Parentis nomine deinde preces oblatæ fuerunt san. me. Pio VII. *die* 26. *Junii* 1822. *qui* mandavit in hac Sac. Congregatione *disputari dubium* *etiam*

etiam super dispensatione, servata forma Constitutionis Benedictinæ. Paulo post, nempe *die* 21 *Julii ejusdem anni* Vicarius Generalis Lauretanus decrevit, *constare de validitate Matrimonii, quamvis illiciti ob spretum denunciationum, aliarumque canonicarum sanctionum de tempore, et loco vetitis . . . . . cumque iidem contrahentes . . . . pœnam hucusque subierint ob non servatam formam a Tridentina Synodo imperatam circa denunciationes, ideo eos declaramus satis passos, proindeque absolvimus, et absolutos fore decernimus, servatis tamen cæteris, quæ sunt de Ecclesiæ præcepto servanda.*

Circumscriptionem hujus sententiæ petiit Familia Riccardi; Theresia vero alimenta a Viro postulavit: omnium autem hujusmodi controversiarum notio fuit ad hunc Sac: Ordinem ablegata. Processus nullitatis, vel dispensationis Matrimonii conficitur: interea, instante muliere, Dubium super alimentis proponitur.

Uxori alimenta deberi a Viro quamdiu in statu validitatis Matrimonium manet; imo etiam lite pendente super illius validitate eadem alimenta neque denegari, neque retardari posse, unanimiter tradunt Doctores, ac Rota *in Recent. part.* 8. *Decis.* 124. *num.* 44., *et alibi passim*. Cumque hæc alimenta a muliere jure actionis petantur *Surd. de Aliment. tit.* 7. *quæst.* 42. *n.* 12. nihil interest, utrum ipsa dotata sit, vel indotata. Quæ si semper in pretio habenda sunt, multo magis valent in casu, quum Theresia paupertate laboret, et Familia Riccardi dives sit, et in opulentia versetur.

Si vir ad alimenta præstanda sit impotens, cogendus etiam est Socer, *quum Pater non solum tenetur filium alere, sed cætera filiorum onera præstare; et Nurum agnoscere necesse habet*, ceu totidem verbis disserit *Surd. de Alim. Tit.* 1. *quæst.* 38. n. 1. Hæc, aliaque in Allegatione distribuenda Theresia Bellini affert: nihil autem Familia Riccardi mihi exhibuit, etsi hodierni certaminis dies, ejus Defensore adstante, meo Decreto fuerit constitutus. Vestrum igitur erit, EE. PP. dirimere.

Du-

Dubium:

An, in qua summa, et a quo tempore sit locus subministrationi alimentorum in casu etc.

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 24. Cap. 12. De Reform.

RAVENNATEN. JUBILATIONIS = Dominicus Majoli *die 8. Martii* 1783. per Litteras Apostolicas Coadiutor datus fuit Canonico Valerio Rasponi, qui in Metropolitana Ecclesia Ravennatensi Canonicatum obtinebat, erectum sub titulo S. Marciani, cujus reditus ad annua *scuta* 500. circiter ascendebant. Novennio vix elapso decessit Coadiutus, et Canonicatum *anno* 1792. Coadiutor est adeptus. At brevi contigit notissima publicarum, privatarumque rerum perpetua dolenda eversio, et anno 1798. omnia Ravennatensi Capitulo adempta fuere bona tam Massæ communis, quam præbendæ particularis, vixque concessa ad vitam fuere cuique Canonico annua *scuta* 114; vetitum autem eisdem fuit, ne vestibus Canonicalibus, imo ne appellatione Canonicorum quoque uterentur, Ipsi tamen, superpelliceo induti, horas Canonicas in Choro recitare non omiserunt, fallentiis a prima Dignitate ad earum memoriam servandam privatim adnotatis, atque ita ab eodem *anno* 1798., usque ad *annum* 1799. laudabiliter Ecclesiæ inservierunt, nempe donec Ravvennam tenentibus Austrorum copiis ampla Canonicis fuit tributa facultas utendi Canonicorum nomine, vestibus, ac juribus.

Tunc autem redintegratum fuit Chori servitium, et fallentiarum Libri denuo exarari cæperunt: et quamvis Ravennam *idibus Julii* 1800. rursus occupaverint Galli, de bonis tamen Capituli unice solliciti, illa iterum abstulerunt, sed ea minime turbarunt, quæ ad præ-

præfatum Chori servitium, et ad fallentias adnotandas pertinebant. Contigit deinde, ut *anno* 1805. qui summa rerum potiebantur, numerum unius, et viginti Canonicorum Metropolitanæ Ravennatensis Ecclesiæ ad *decem* tantum reduxerint, quorum singulis annua *scuta* 257. assignarunt, ideoque ipsos *Canonici assegnatari*, pensionem autem *Trattamento individuale* nuncuparunt. Cæteros Canonicos, quos inter Canonicum Majoli, qualibet præstatione destitutos, dixerunt *Canonici onorarj*, eisque nil aliud tribuerunt, quam *la ragione di succedere alle prime vacanze*. Verum ut id assequerentur, opus erat, ut unusquisque successionem petens evinceret, se antiquiorem esse aliis Canonicis honorariis, simulque exhiberet *un Certificato di avere lodevolmente servita la Chiesa, e che non risultasse alcun pregiudizio contrario alla di lui condotta*.

Omnia hæc implevit Canonicus honorarius Majoli, quum *die* 10. *Julii* 1817. obiit Canonicus assignatarius Joseph Lovatelli; se enim antiquiorem esse Canonicum honorarium docuit, et Canonicum Aloysium Lovatelli *Deputatum*, Canonicum Josephum Galletti *Camerarium*, nec non Mansionarium Petrum a Turre *Punctatorem* testes induxit asserentes, ipsum *da venticinque anni a questa parte, ora Canonico Coadiutore, ed indi Canonico principale, avere sempre lodevolmente servito, come rilevasi dai Libri d'appuntazione dell'accennato tempo, e segnatamente nei giorni di festa essere con assiduità intervenuto ai divini uffizj*. Igitur defuncto Canonico assignatario Lovatelli successit Canonicus Majoli, cumque a *die* 8. *Martii* 1783 jam anni quadraginta et ultra defluxerint, Jubilationis indultum imploravit; ejusque preces Ravennatensi Archiepiscopo remisi, ut audito Capitulo, de continuo, et laudabiliter expleto a Canonico Majoli 40. *annorum* servitio referret.

Capitulum diligenter inspectis Libris, *in cui si contengono le Puntature Capitolari*, hæc Archiepiscopo exposuit. *Il Sig. Canonico Domenico Majoli fino dal Mese di Marzo del* 1783., *in cui fu fatto Canonico, ha sempre servito fedelmente, senza oltrepassare li punti, che vengono accordati dalle Leggi, eccettochè*

dal Maggio 1798. fino al Settembre 1800., nel qual tempo non apparisce nei Libri alcuna puntazione, perchè a forza impedita dalle circostanze a tutti note in quegli anni; il perchè in questo frattempo non si può ricavare notizia alcuna nè per Lui, nè per verun'altro. Nella nuova organizzazione poi del Capitolo, avvenuta nel 1805 egli rimase escluso dal numero degli Assegnatarj; ciò non ostante Egli seguitò a servire la sua Chiesa, non sorpassando nel corso di tre anni, cioè dal 1805. al 1807. inclusive le permesse vacazioni, che di soli punti 860. Da quell'epoca in poi Egli ha servito fino alli 22. Maggio 1823. per modo, che fatto il computo ha donati punti 3850.

Archiepiscopus autem ea retulit, quæ breviter superius collegi, nec non ea, quæ Capitulum narravit, demumque hæc addidit. *Essendo state impedite le puntazioni nei Libri dal Maggio 1798. fino al Settembre del 1800., non si può ricavare notizia alcuna nè per il Canonico Majoli, nè per verun' altro in quel frattempo, e perciò non può dirsi provato tal continuato servizio dal 1783. fino al Settembre del 1800. Il Sig. Canonico Majoli però risponde, che in quel frattempo i Canonici si distinsero singolarmente nel frequentare il Coro . . . . . . I Canonici videro bene, che il compenso dato loro di percepire un'annua pensione vitalizia era troppo tenue, ma ciò non ostante continuarono a prestare il loro servizio nel modo stesso, che avevano fatto prima del 1798. Questa loro condotta edificante m' indusse a non oppormi alla regola, che nel computare li 40. anni, entrassero nella computazione anche li suddetti due, ovvero tre anni, ne' quali l'appuntazione restò impedita. Di tale regola si prevalsero i Canonici nell'occasione, che si dovettero computare gli anni del servizio prestato dal Sig. Canonico Rossi, e non trovo motivo, per cui la medesima regola non debba applicarsi anche al Canonico Majoli, che in questo non fu inferiore al merito del Canonico Rossi.*

Non istando a me il decidere, mi restringo a dire, che attese le vicende straordinarie de' tempi passati, e la lodevole condotta tenuta dai Canonici dal 1798. fino al 1800. di pubblica notorietà, opinerei, che si te-

tenesse la regola stessa nel computare gli anni di Corale servizio, che si tenne nel computarli relativamente al Canonico Rossi, in guisa che il suddetto frattempo neppure rispetto al Canonico Majoli potesse formare ostacolo al conseguimento dell'Indulto da lui richiesto di Giubilazione.

Quanto all'altro intervallo dal 1805. *al* 1807., *opinerei, che si dovesse stare al giudizio dei fu Canonici Lovatelli, Galletti, e Mansionario della Torre appuntatore per la ragione, che avendo il Capitolo dichiarato, che il Canonico Majoli avea prestato un lodevole servizio anche relativamente al suddetto secondo intervallo, il Canonico Majoli ha diritto di pretendere, che si stia al giudizio de' suddetti Canonici Lovatelli, Galletti, e Mansionario della Torre già accettato, ed eseguito almeno finchè non consti, che prendessero un abbaglio. Finora non apparisce tale errore, e quindi si deve presumere, che il Certificato sia regolare, e veridico.*

Che poi dal 1807. *fino alli* 22. *Maggio* 1823. *abbia il Canonico Majoli prestato un lodevole servizio continuo; è comprovato dai Canonici, che furono deputati dal Capitolo a rivedere i Libri delle puntazioni Canonicali, e fecero risaltare il merito del Canonico Majoli col notare nel loro rapporto, ch'egli avea donati alla Chiesa punti* 3850. *Quindi nel caso, che pure considerato l'affare a tutto rigore insorgesse qualche dubbio, se sia luogo all'Indulto di Giubilazione in favore del Canonico Majoli, inclinerei piuttosto a favorirlo, anche perchè egli stesso ha dichiarato d'essere ben contento, che l'effetto dell'Indulto della Giubilazione soltanto dopo il* 22. *Maggio* 1825. *avesse luogo, nel qual caso potrebbe egli vantare più di* 40. *anni di servizio*

Nullo Ecclesiæ Canone sancitum fuit, ut Canonicis, et Beneficiatis, qui in Cathedralibus, vel Collegiatis Ecclesiis spatio 40. *annorum* inservierunt, Jubilationis indultum esset concedendum. Verum hæc Sac. Congregatio nunquam particularia Ecclesiarum Statuta reprobavit, quibus Jubilatio post quadragenarium servitium indulgeatur, et constans apud ipsam inolevit praxis concedendi Jubilationis indultum iis, qui

continuum, et laudabile quadraginta annorum servitium præstiterint, uti testantur dubia jubilationum 24. *Septembris* 1718., *Montis Alti Jubilationis* 14. *Junii* 1817, *Romana Jubilationis* 9. *Februarii* 1822. *et Amerina novæ Dotationis* 27. *Julii* 1822.

Neque dubitandum quin conjungenda sint tempora, quibus quis Coadjutor, ac deinde verus Canonicus fuit; cum indicato *anno* 1718 hæc Sac. Congregatio definiverit, *Indultum esse concedendum etiam iis Canonicis, vel Beneficiatis, qui partim tamquam Coadjutores, et partim tamquam Principales, et Titulares quadragenarium servitium præstitissent*, uti habetur ex indicatis *Dub. Jubilat. in resolut. Dub. II.*, et monet eadem Sac. Congregatio *in citata Romana Jubilationis* 9. *Februarii* 1822. *§. Canonicis.*

Omnis igitur est quæstio de continuo, et laudabili servitio a Canonico Majoli præstito, de quo necessaria deesse videtur probatio, cum *ab anno* 1798. *ad mensem Septembris* 1800., ideoque fere per triennium desint fallentiarum Libri; cumque præterea *ab anno* 1805. *ad annum.* 1807. *inclusive* Canonicus Majoli vacationes a jure indultas excesserit *di punti* 860. Itaque sive perpendantur fallentiæ, de quibus constat, sive defectus monumentorum, quæ requiruntur; non constare de expleto servitio erit dicendum. Quin præsidio esse valeat Canonico Majoli redditum *anno* 1807. testimonium a Canonicis Deputato, et Camerario, nec non a Mansionario punctatore; hi siquidem de laudabili, non autem de continuo servitio testati sunt; ac præterea addiderunt, *come rilevasi dai Libri d'appuntazione dell' accennato tempo*: cumque fere per triennium desint hujusmodi libri, ad quos expressam relationem habuerunt, nihil de præfato triennio asserere voluisse sunt censendi.

At Canonico Majoli favet Archiepiscopi relatio, ex qua patet, quod triennio mox indicato Ravennatenses Canonici *si distinsero singolarmente nel frequentare il Coro.* Nihil itaque obesse videtur defectus Librorum, in quibus adnotari fallentiæ debuissent, quia Canonici, uti pergit idem Archiepiscopus, *continuarono a prestare il loro servigio nel modo stesso, che avevano fatto prima del* 1798. Plurimi quoque facienda est statuta, sciente Archiepiscopo, norma quadragena-

narium habendi Chori servitium, imputatis *li due, ovvero tre anni, ne'quali l' appuntazione restò impedita*: juxta quam normam calculus annorum pro Canonico Rossi fuit initus; eique tributum, eodem Archiepiscopo testante, fuit Jubilationis indultum. Nulla siquidem adest ratio, ob quam Canonicus Majoli, qui in Ecclesiæ servitio *non fu inferiore al Canonico Rossi*, in impetranda Jubilatione sit diverso jure censendus. Quod si ipse *ab anno* 1805. *ad annum* 1807. vacationes excessit *di punti* 850; sequentium tamen annorum servitio has fallentias ita compensavit, ut *fatto il camputo ha donati punti* 3850. Denique ad omnes tollendas ambiguitates, ac omnia eliminanda obstacula, declaravit Canonicus Majoli, sibi satis esse, si concedendum jubilationis indultum solummodo post diem 22. *Maji anni* 1825. effectum sit habiturum.

Itaque ea, qua pollent sapientia, EE. PP. respondere dignentur:

Dubio

An sit concedendum Indultum Jubilationis in casu etc.

AQUILANA SERVITII CHORI. Capitulo Cathedralis Ecclesiæ quoad Chori servitium *anno* 1813. Aquilanus Episcopus Indultum ad biennium concesserat, quod hæc Sac. Congregatio die 23. *Novembris* 1816. prorogandum censuit, edito responso = *Attentis peculiaribus circumstantiis affirmative ad triennium* = Labente triennio, Capitulum preces obtulit ad indulti perpetuitatem obtinendam, ejusque petitio die 26. *Februa-*

Sess. 24. *cap* 12. *de Reform*

bruarii 1820 proposita, solummodo die 15. *Aprilis ejusdem anni* dimissa fuit rescripto = *affirmative ad aliud triennium ad formam præcedentis* = Nunc autem Capitulum denuo implorat, ut Indultum in perpetuum confirmetur.

Datis ad Aquilanum Episcopum litteris, hæc ipse de Capituli postulatione retulit = *Triennale Indultum commutationis Servitii Choralis in hac mea Cathedrali Ecclesia, cujus legalem copiam transmitto, jam expiravit: supervacaneum quidem foret denuo subjicere EE. VV. pergraves rationes, ex quibus hujusmodi concessio ortum duxit, quoniam eædem tum ab Episcopo Prædecessore meo, tum a me isti S. C. fuerunt pluries expositæ. Utinam ipsæ si non penitus remotæ, saltem aliqua ex parte essent imminutæ. Ast, proh dolor animi mei! Numerus operariorum tam in Civitate, quam in Diœcesi de die in diem magis, magisque decrescit, præcipue ob maximam dificultatem, qua premuntur Clerici sibi comparandi Sacrum Patrimonium juxta novam taxam in hoc Regno non leviter adauctam, ac etiam propter interdictam, pluribus ab hinc annis, collationem Canonicatuum, aliarumque præbendarum in Ecclesiis Collegiatis, quibus scatet Urbs Aquilana.*

Ad tales extremitates hic reducti sumus, ut in multis Collegiatis solus modo superest Parochus, et in aliis istequoque deest, æque ob suspensam provisionem Primarum Dignitatum in Collegiatis antedictis, ac Animarum cura exercetur per Æconomos, quos pariter non sine labore reperire est.

Hisce igitur permotus deflendis calamitatibus, permagno cordis conatu exoro EE. VV., ut tandem dignentur, pro bono Ecclesiæ dumtaxat, favore mei Capituli Cathedralis indultum, de quo agitur, in totum, et perpetuo confirmare, ac elargiri =

Reassumptis foliis dierum 23. *Novembris* 1816., *et* 26. *Februarii* 1820., vestrum erit EE. PP. dirimere quod proponitur.

Dubium

An, et quomodo sit prorogandum Indultum in casu etc.

SU-

SUTRINA EMPHYTHEUSIS = Sacerdoti Angelo Rogerio Cacciati Roncilionensi, Rectori simplicis Benecii erecti sub titulo S. Josephi in Ecclesia Collegiata Rencilionis Sutrinæ Diæcesis, facultatem hæc Sacra Congregatio tribuit *die* 13 *Julii* 1816. incundi contractum Emphytheusis omnium bonorum rusticorum, ac urbanorum prædicti Beneficii = *favore Joachimi Casini, ad tertiam ejus generationem masculinam tantum, pro annuo Canone scut.* 50. *in moneta aurea, vel argentea; libero, et immuni ab omnibus oneribus, et impositionibus ordinariis, et extraordinariis, præsentibus, et futuris ad formam ejus oblationis, præstita per eumdem Casini idonea fidejussione, extrajudicialiter ab Emo Episcopo approbanda, et cum onere meliorandi, et dummodo melioramenta cedant solo, et cum aliis pactis etc. salvo jure vigesimæ, et sextæ per Bullas* = Expeditæ quidem fuerunt Apostolicæ Litteræ, sed res ad exitum perduci nunquam potuit; ac præterea *anno* 1821. oblata vigesima ab Ansuino Verzaschi auctus est canon usque ad *scuta* 52. 50., et Joachimus Casini solemniter declaravit, se nolle vigesimam ab Ansuino oblatam acceptare, neque posse fidejussionem præstare, ideoque omnibus, et singulis juribus pro obtinenda Emphyteusi acquisitis renunciavit.

Verum Sacerdos Cacciati, qui Joachimo Bona sui Beneficii eodem anno locaverat ad triennium; solemnem apud Acta Sutrinæ Curiæ Episcopalis emisit protestationem contra vigesimæ oblationem, se inscio, ab eadem Curia admissam; declaravitque, se prosequi velle contractum affictus, bona fide cum Joachimo initi. Promothor autem Fiscalis prædictæ Curiæ hanc Sac. Congragationem adiit, et novissimam Ansuini exponens oblationem, ac Sacerdotis Cacciati protestationem, facultatem instanter petiit, favore ejusdem Ansuini Emphyteusim stipulandi, quam in maximam Beneficii utilitatem cedere asseruit: et *die* 9. *Februarii* 1822. rescriptum obtinuit = *Procedatur ad ulteriora in stipulatione Instrumenti favore Ansuini Verzaschi pro annuo canone scut.* 52. 50., *et in reliquis ad formam Litterarum Apostolicarum, ac salvo jure sextæ* = Solemnes deinde Emphyteusis tabulæ *die* 4. *Mar-*

4 Martii sequentis obsignatæ sunt, et Ansuinus Verzaschi Bonorum possessionem est adeptus; quæ omnia gravate ferens Sacerdos Cacciati ab EE. VV. poscit, ut Emphyteusim irritam declarare, ac penitus delere velitis.

De informatione, et voto pluries rogatus Episcopus, necessaria documenta, et acta omnia transmisit in sua Curia ab initio usque ad executionem contractus expleta; demumque animi sui sensus ita aperuit = *Quod pertinet ad substantiam, seu ad utilitatem contractus, nimium sibi ipsi* incohærens est Orator. Ipse enim jam *ab anno* 1815 *exquisivit emphyteusis contractum ineundum favore Joachimi Casini pro annuo Canone scut.* 50. *sub obtentu, quod cederet in evidentem Beneficii sui utilitatem, eaque utilitate ab Emo Prædecessore meo comprobata amplissimo huic Vestro Senatui, die* 11. *Junii* 1817. *expeditæ sunt Litteræ Apostolicæ in forma Brevis, quibus contractus ineundi tribuebatur facultas, adjecta cautione idoneæ fidejussionis a Casini præstandæ, cui conditioni pauper Casini quatuor annorum spatio satis non fuit facere. Illa igitur utilitas, quæ relate ad Casinium nec fundo, neque cautioni præstandæ idoneum, et pro Canone* 50. *scutorum respondentem, agnoscebatur ab Oratore ampla, et evidens, ita ut ad nauseam usque urgeret pro stipulatione contractus; considerata ab Oratore relate ad Verzaschium, qui Canonem auxit in* 25. *julios, qui pro contractus securitate cavit hypothecando fundum mille circiter scutorum; non utilitas judicanda, sed irreparabilis Beneficii pernicies improbanda. Quo quæso fundamento tam impudenter sibi incohærens, tam manifeste, Prædecessoris mei relationi, et Peritorum judicio contradicens.*

Verum contendit Sacerdos Cacciati subreptum fuisse, ideoque omni carere vi rescriptum hujus Sac. Congregationis, quo emphyteusis ineunda cum Verzaschio approbatur, quia nempe Promothor Fiscalis in sua petitione multa siluerit, quæ omnino erant narranda, et quibus cognitis, præfatum rescriptum nunquam fuisset editum. Tacuit scilicet, triennio circiter elapso post obtentum beneplacitum Apostolicum, oblatam a Verzaschio fuisse vigesimam, ac interea fundos Beneficii

me-

meliorationibus ita fuisse auctos, ut pro annuis *scutis* 50. locari potuerint, excluso nivis puteo, qui in singulis annis, quando nives decidunt, pro *scutis* 10. locatus est: adeout annuus reditus, ex locationibus habitus, excesserit canonem emphyteuticum a Verzaschio oblatum in *scutis septem cum dimidio*, præter munera vulgo *regalie*, quæ ad alia *scuta septem*, Sacerdote Cacciati asserente, ascendunt. Quapropter contractus Emphyteusis non modo Ecclesiæ utilis non est, sed in *scutis* 14. 50. annuos Beneficii reditus imminuit.

Addit etiam Sacerdos Cacciati, narrandum fuisse, quod emphyteusis stipulari minime potuerit cum primo oblatore Casini, neque aliæ oblationes in Cancellaria Episcopali comparuerint; indeque factum esse; ut ipse jure suo usus de fructibus Beneficii disposuerit, Fundos locando eidem Casini, qui Christophorum Salza fidejussorem dedit. Neque enim cognitis juribus Conductoris, ejusque Fidejussoris, permisisset hæc Sac. Congregatio, ut Emphyteusis contractu læderentur.

Urget demum, non eam esse indolem ac mores Verzaschii, ut Emphyteusis eidem concedi potuerit absque Beneficii pernicie: idque ex factis erui asserit, cum vix in emphyteuticorum prædiorum possessionem deductus, qualitatem, ac finem initi contractus omnino oblitus, quin ea meliora faceret, ut debebat, more Vandalico illa vastaverit, utiliores arbores exciderit, sepes disjecerit, terminos amoverit, terras cum finitimis suis Fundis conjunxerit, ut iis arbitratu suo uteretur. Concludit proinde Sacerdos Cacciati, tam aperto subreptionis vitio infectum rescriptum nullius roboris esse habendum, ac proinde contractum Emphyteusis cum Verzaschio celebratum omnino esse infirmandum, *Cap. super literis. de rescript. et Sac. Cong. in Reatina* 22. *Decembris* 1821. *et in Alatrina* 21. *Septembris* 1822.

Meliorationes tamen Fundis Beneficii additas asseruit Sacerdos Cacciati, sed nullo prorsus facti monumento probavit; de illis autem requisitus Episcopus Sutrinus respondit = *In bonis rusticis nullum percipitur melioramentum, prout a Casinio didici, prout ego ipse oculis meis percepi dum vineam cum plerisque Cano-*

 ni-

nicis meis videndam adivi. Circa domum autem urbanam tanta congessit Orator melioramenta, ut nisi Verzaschius 150. *circiter scuta in eam restaurandam jam profudisset, prout mihi constare fecit, domus illa nunc fortasse corruerit.*

Idem Episcopus de utiliori locationis contractu cum Casinio, et Salza fidejussore a Sacerdote Cacciati inito addit = *Ab examine prædictorum Salza, et Casini, nisi* (locationis tabulæ) *habendæ sint suspectæ, cum editæ sint post protestationem Oratoris, intenti a declinando contractu cum Verzaschio, didici ex puteo nivis retrahi scuta decem, cum nives in sufficienti copia illabuntur, aliter nihil; ex cæteris autem omnibus bonis scuta* 50., *ita tamen ut restauratio domorum quoad substantialia ad proprietarium, non ad conductorem pertinere debeat. Iis sub conditionibus si spectetur præsens qualiscumque illa locatio sit, etiamsi vera, et non facta ad opportunitatem, ambigua prorsus res est, utrum retrahi possint libera scuta* 50., *nisi domus ruinæ periculo se voluisset objicere beneficiatus Orator de reditu percipiendo majorem præseferens sollicitudinem, quam de bonis tuendis* =.

Tandem de prædiorum damnis a Verzaschio illatis, atque de aliorum juribus læsis, ita scribit Sutrinus Episcopus, et epistolam absolvit = *Conqueritur quoque de præjudiciis illatis, de finibus exturbatis, de plantis frugiferis recisis. Præjudicia illata fortasse censebit centum illa, et quinquaginta scuta in domus restaurationem jam profusa. Circa bona rustica a Casini Conductore didici, nihil præjudicii illatum fuisse. Vineam Civitati proximam oculis meis perlustravi, nihilque occurrit, fuisse recisum, excepto tractu quodam tribulornm cum una valde misera planta paxillorum, ex quibus nihil commodi, incommodi autem plurimum prædii fertilitas consequebatur. Finibus autem satis consultum est tum terminis lapideis, tum plantæ insertione. Nihil denique damni vereatur ex locationis contractu imprudenter* (pendente altero emphyteusis contractu) *cum Christophoro Salza circa puteum nivis, et cum Joachimo Casini circa reliqua bona ab Oratore inito, utrumque enim audivi, utrumque examini supposui, atque uterque sive de lite cum Verza-*

zaschio, agenda, sive de contentione Oratori movenda prorsus alienus est, prout apparet ab eorum explorata voluntate, quam huic relationi connexam adjungo. Universus igitur ille rumor, quo Orator effervescens EE.VV. molestiam, mihi laborem, Curiæ contumeliam, Verzaschio contentionem infert, ab eo proficiscitur, quod emphyteusis non fuerit cum Casinio, quo cum erat utillima, licet in scutis duobus cum dimidio minor; sed inita fuerit cum Verzaschio, cui desunt dotes non morales tantum, sed et physicæ constituentes hominem honestum, quod satis, ut intelligatur Oratoris proclivitas in effundenda verba sine intellectu.... Mihi enim æque ac cæteris ignotæ sunt dotes physicæ honestum hominem constituentes: de moralibus autem accepi a pluribus testibus fide dignis, eas Ansuino Verzaschi non deesse.

Dignentur itaque EE. PP. dirimere.

Dubium

An, et quomodo sit infirmandus contractus Emphyteusis in casu etc.

ARIMINEN. BENEPLACITI = Hieronymus Leonardelli Cathedralis Ecclesiæ Ariminensis Canonicus *die* 25. *Maii* 1636. Codicillos condens ita disposuit = *Voglio, che la possessione di Cerasolo venga segregata, e separata dal mio asse, e a titolo di Legato, ed in ogni miglior modo, lascio l' usufrutto della medesima al Sig. Enrico Rigazzi mio Cognato, se sarà vivo, col peso, ed obbligo di far celebrare in suffragio dell' anima mia, della defonta mia Consorte, e mie figlie, all' Altare privilegiato della Cattedrale di Rimini tre Messe la settimana, e dopo la di lui morte, o se egli non sarà vivo in tal tempo, lascio, che ne sia usufruttuario il Signor Gio. Antonio suo Figliuolo.* Primogenitum deinde masculum Joannis Antonii ad usumfructum vocavit, ac post ipsum primogenitos omnes masculos ab Henrico descendentes ordine successivo invitavit = *finchè vi sarà la linea mascolina di detto Signor Conte Enrico, sempre però col peso perpetuo di tre Messe la settimana come sopra.* =

Sess. 22. Cap. 11 *De Reformat.*

 Non-

Nonnullas quoque ad conservandum fundum conditiones adjecit, sub pæna caducitatis *ipso facto* incurrendæ, a vocatis omnibus implendas, jussitque demum =*Estinta poi che sarà la linea mascolina di detto Sig. Conte Enrico chiamata all' usufrutto di detta possessione, come sopra, voglio che la detta Possessione di Cerasolo vada intieramente colla Proprietà, ed usufrutto alla Cattedrale di Rimini mia Patria, coll' annuo, e perpetuo peso di far celebrare in detta Chiesa sei Messe alla settimana all' Altare privilegiato in suffragio dell' anima mia, e de' miei congiunti.*

Henrici lineam masculinam postremus clausit Comes Franciscus Rigazzi, qui Gallis eas regiones occupantibus, Fundum *Cerasolo* cum infixo onere trium Missarum qualibet hebdomada celebrandarum vendidit Cómiti Joanni Cisterni: hic autem Fundum ab hujusmodi vinculo liberare cupiens *scuta* 450. Capitulo Ariminensi obtulit, ut Missas celebrandas susciperet, ac sa. me. Pium VII. supplex adiit, ut ineundum contractum Apostolico Beneplacito roboraret.

Precibus ad hanc Sac. Congregationem ablegatis, Vicarium Apostolicum requisivi, qui, auditis interesse habentibus, ac præsertim Capitulo, et Promothore Fiscali, annuos fructus Fundi ad *scuta* 90. pertingere indicavit, contractumque in Ecclesiæ Cathedralis, et Capituli utilitatem redundare arbitratur, dummodo favore Legati Rigazzi oblatæ pecuniæ tuto collocantur investimento, *quod si supponatur* (sunt ejus verba) *exequendum sub fænore ad sex pro centenario, quo licite, et commode his in partibus locari potest pecunia, fructum singulis annis immunem, et liberum reddent scutorum 27. Et Missæ in toto anno applicandæ trinæ singulis hebdomadis 52. eleemosynam synodalem obolorum 15. pro numero 156. summa sc. 23. 40., pro utensilibus scut. 3. 90., in totum scut. 27. 30., parem fere computum reddunt.*

Capitulum vero Cathedralis, quod in præsentiarum possidet Fundos nonnullos sibi assignatos sub gravamine censuum, partim ad novem, partimque ad octo centenarios, si quotam oblatorum scut. 450. investiat in dimissionem hujusmodi gravaminum, tertiam partem lucri sui superaddet, sicque in evidentem œconomiæ utilitatem eveniet =.

Unum

Unum hoc est, in quo tota difficultas pendet, maxime adducta a Capitulo, quod scilicet admissa redemptione Legati, via præcludatur substitutioni in possessionem ejusdem Fundi gravati, ad quam in Codicillo vocabatur, in casu extinctionis lineæ hæredum Leonardelli, et Rigazzi: quodque pendet ab effectu extinctionis ejusdem, Missæ in eo casu celebrandæ in Metropolitana Ecclesia non tres numero tantum, sed sex celebrari deberent =.

Sed hæc omnia leves transisse in auras videntur, qua hodie lege vivimus. Postremus in linea Testatoris gravatum Fundum distraxit, et alienavit eo infausto tempore, quo prævalens Legislatio vincula hujusmodi penitus sustulerat; nobis legitimum, et solemne factum est Edicto postliminii, ea omnia rata habenda esse, et servanda fideliter, quæ juxta illius temporis leges celebrata, firmataque reperiantur. Nullius propterea pretii censenda videtur futura Capituli vocatio, duplicatusque, qui ab ea pendet, numerus Missarum præscriptarum . . . . Certo insuper constat de adimplemento præteriti oneris usque in præsens.

Promothor vero Fiscalis propositam a Comite Cisterni transactionem adprobat = *semprechè non abbia più dritto il Capitolo di andare al possesso della suddetta possessione, e non siavi più luogo alla celebrazione di sei in luogo di tre Messe la settimana, sebbene sia rimasta estinta la linea Rigazzi, che giusta la mente del Codicillante era chiamata al solo usufrutto =.*

Quæstio igitur instituenda est de Capituli juribus quoad Fundi proprietatem, et Missarum augmentum. Nihil sane vulgatius, quam Gallorum copiis Italiam occupantibus, omnia fideicommissorum vincula fuisse deleta, et Lege 7. *Fiorile anno VI.*, nempe *diei* 2. *Aprilis* 1798. cautum fuisse = *gli usufrutti progressivi*, o *sia transitorj con ordine successivo in più generazioni, o famiglie cadono sotto le prescrizioni della Legge* 6. *Termidoro anno V*: hujus autem notissimæ Legis *Articulo* 3. statutum fuerat = *Le sostanze s' intendono fatte libere nella persona dell'attuale possessore*. Itaque Comes Franciscus Rigazzi, qui titulo usustructus progressivi = *con ordine successivo in più generazioni* = Fundum tenebat, plenam, liberamque illius proprieta-

tatem assequutus, omnisque Capituli spes inanis facta videtur. Quidquid enim de hujusmodi vinculorum abolitione Gallicis Legibus fuerat constitutum, legitimo redintegrato Summi Pontificis imperio, fuit publicæ utilitatis ratione confirmatum, uti perpendit Rota in *Auximana Primogeniture* 4. *Julii*, *et* 12. *Decembris* 1817. *utr.* §. 4. *et seq.*, *et* 2. *Martii* 1818. §. 2., *et* 6. *cor. Zinanni*.

Inde vero consequi arbitratur Comes Cisterni Fundi emptor, se ad sex Missarum adimplementum non esse cogendum. Nunquam enim Testator hoc onus suis successoribus imposuit, antequam Fundus ad Cathedralem perveniret; quod cum impossibile evaserit, corruisse censet dispositionem, quæ ab hujusmodi transitu Fundi ad Ecclesiam pendet.

Longe tamen aliter sentit Ariminense Capitulum, quod oblatas a Comite Cisterni conditiones esse Ecclesiæ damnosas asserit. Nam ex calculo a Vicario Apostolico inito patet, *scutis* 450. investimento ita collocatis, ut annui fructus scutorum sex in singula centum habeantur, aliquid deesse ad implendum Missarum onus, statuta Synodali eleemosyna *obolorum* 15., pro qua nullus jam Sacerdos reperitur, qui Sacrum faciat. Præterea Legati securitati consultum nunc est integro, nunquam perituro Fundo *Cerasolo*, ex quo annua redeunt *scuta* 90.; investimentum vero indole sua pluribus infortuniis obnoxium, et perire potest, et fructus facillime imminui, ac magis etiam impares fieri Missarum oneri ferendo. Quod si Capitulum oblatis a Comite Cisterni pecuniis æs alienum, quo sub usuris octuncibus, aut dodrantibus premitur, dimittere poterit; aliunde quoque pecunias, nullo assumpto Missarum onere habebit, quibus versuram faciendo usuras minuat: hinc ex indicati æris alieni dimissione, non Ecclesia utilitatem sentiret, sed unus Comes Cisterni, qui suas pecunias perpetuo investimento sub gravissimis usuris collocaret, et Fundum conspicui valoris ab onere, quo in sua totalitate gravatur, solutis *scutis* 450. liberaret.

Contendit quoque Capitulum, a Testatore Leonardelli conditum non fuisse Fideicommissum, sed duplex Legatum fuisse scriptum, alterum *ususfructus* favore li-

lineæ masculinæ Henrici Rigazzi cum onere trium Missarum, qualibet hebdomada celebrandarum; alterum vero *proprietatis* favore Cathedralis Ecclesiæ cum graviori onere sex Missarum, quæ tamen celebrandæ tunc forent, quando ususfructus cum eadem proprietate consolidaretur. Fideicommissi enim indoles postulat, ut quis ex Disponentis voluntate aliquid Successori fideicommissario restituat, *Ulp. in Fragm. tit.* 25., *Instit. De Fideicomm. §. In primis.2.*, *Rota in Forolivien. Fideicommissi* 14. *Aprilis* 1820. *§. 3. cor. Me.* Nihil autem rogatus fuit restituere Capitulo ultimus vocatus ex masculina linea Comitis Henrici Rigazzi; neque reapse restituere potuit aut proprietatem Fundi, quam nunquam habuit, aut usumfructum, qui cum servitus sit personalis, usufructuarii morte finitur, *Instit. de usufruct. §. Finitur* 3., et proprietarius jure sui dominii fructus deinde percipit. Testator quoque Legati vocabulum semper usurpavit, verbis directis est usus, ac Legatum directe tam præfatæ lineæ masculinæ, quam Ecclesiæ respective adscripsit. Igitur ex ipsa Testatoris hæreditate Capitulum accipit Legatum, quod conditionale quidem est, sed a Legibus nunquam improbatum.

Diversa vero, ac distincta esse Legata tum *ex re* patet; cum masculis Rigazzi ususfructus formalis tantum, Capitulo proprietas tributa fuerit; tum *ex modo*, quia præfatis masculis pure, Capitulo conditionate legavit Testator; tum demum *ex fine*, cum primo Legato Canonicus Leonardelli, et consanguineos ditaverit, et suæ, suorumque animarum expiationi consuluerit, secundo vero suffragia tantummodo sibi, suisque paraverit.

Quod si ususfructus a Gallica Lege fuit deletus, illius Legis dispositio ad proprietatis Legatum omnino diversum non est amplianda. Idque ex ipsa Legis ratione probari posse, Capitulum arbitratur. Leges enim Gallicæ id unum voluere, ut, soluto quovis restitutionis vinculo, de Bonis libera esset in civili Societate contrahendi facultas; cui sane vinculum reale prædio inhærens minime opponitur, ac solummodo ipsius prædii valorem imminuit. Hinc in Gallici Codicis Articulis 896. 898., *et* 900. dum fideicommissariæ prohiben-

bentur dispositiones plenum tribuitur arbitrium conditiones apponendi, ac vulgares ordinandi substitutiones, uti perpendit Rota in *citata Forolivien. Fideicommissi* 14. *Aprilis* 1820. §. 4. *et* 7. *cor. Me.* Inde vero concludit Capitulum, deberi Cathedrali Fundum *Cerasolo*, neque audiendum esse illius emptorem, dum oblatis *scutis* 450. illum retinere præsumit.

Addit denique Capitulum, a Testatore et Legatum Fundi relictum Cathedrali, et Missas auctas fuisse; duas idcirco esse dispositionis partes, quarum altera si caderet, altera nullo modo esset irritanda, præsertim cum nemo ignoret = *summam esse rationem, quæ pro Religione facit.* Ad Textum in *L.*43. *ff. De Religiosis, et Sumptibus funerum.* Igitur perempta masculina linea Rigazzi, atque ita conditione impleta, dicendum saltem erit, sex Missas qualibet hebdomada esse celebrandas; cum in quavis etiam ambiguitate, eam partem eligendam esse, quæ plenius favet animæ Testatoris, nemo dubitet, et innuerit hæc Sac. Congregatio *in Cathacen. Legati Pii* 21. *Septembris* 1822.

Cæterum si Oratoris precibus annuendum EE. VV. censeant; statuant quoque oportet, quomodo providendum sit tum Legati securitati, tum ne illius memoria futuris temporibus pereat, atque ita implementum negligatur, aut etiam penitus deficiat. Dignentur itaque pro sua sapientia definire.

Dubium

An, et quomodo consulendum SSmo pro concessione Beneplaciti in casu etc.

Die

Die Sabathi 21. Februarii 1824. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

LAURETANA MATRIMONII SUPER ALIMENTIS

Sess.24.de Ref Matrim. cap.1

Dubium

An, in qua summa, et a quo tempore sit locus subministrationi alimentorum in casu etc.

Affirmative pro summa scutorum viginti quinque quolibet mense a die motæ litis.

RAVENNATEN. JUBILATIONIS

Sess.24.cap.12. de Reformat.

Dubium

An sit concedendum Indultum Jubilationis in casu etc.

Affirmative cum solitis clausulis.

Sess.24.cap.12. de Reformat.

AQUILANA SERVITII CHORI

Dubium

An, et quomodo sit prorogandum indultum in casu etc.

Affirmative ad aliud Triennium ad formam præcedentis.

Sess.25.cap.11. de Reformat.

SUTRINA EMPHYTHEUSIS

Dubium

An, et quomodo sit infirmandus contractus Emphytheusis in casu etc.

Iterum proponatur.

Sess.22.cap.11. de Reformat.

ARIMINEN. BENEPLACITI

Dubium

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro Concessione Beneplaciti in casu etc.

Negative in omnibus, et Vicarius Apostolicus curet fieri inscriptionem hypothecariam super fundo *Cerasolo* ad formam Testamenti Canonici Leonardelli.

SU-

SUTRINA COLLEGII ECCLESIASTICI. Disputatum in Comitiis *diei 22. Novembris superioris anni* fuit Dubium = *An, et quomodo Decreta Episcopi sint exequenda in casu etc.*, cui EE. VV. responderunt *Affirmative in omnibus.* Beneficium novæ audientiæ Capitulum, et Communitas Sutrii impetrarunt, et instaurando certamini hodierna dies fuit constituta. Interea Sutrinorum Defensor nova Dubia concordari petiit de juribus ad Sutrinum Seminarium pertinentibus, ac præsertim de jure privativo Clericos in eodem Seminario Ecclesiasticis scientiis instruendi. Cum autem Episcopus *prævia reservatione omnium, et singulorum redituum, jurium, bonorum, privilegiorum ad Ven. Seminarium Sutrinum quomodolibet spectantium* Roncilionense Collegium Ecclesiasticum erigendum decreverit; nihil ab hodierna controversia magis alienum proponi poterat, quam ut separatis Dubiis de prædictorum jurium existentia, et qualitate, sive in genere, sive in specie disputaretur. Itaque petitionem rejeci: eoque pronius, quia juxta Originarii Dubii formulam decernendum est ab EE. VV. non modo *an*, sed etiam *quomodo* Sutrini Episcopi Decreta sint confirmanda. Aditus ergo patet statuendi de reservatis Sutrino Seminario juribus, quidquid opportunum fortasse videri possit. *Sess. 23. cap. 18. de Reformat.*

Quæstionis speciem, et utriusque Partis rationum momenta habent EE. PP. in citato Folio *22. Novembris*; et in præteritis Allegationibus tunc utrinque distributis, quas resumere precor. Nihil sive in facto, sive in jure addam, cum Episcopus ad præcedentes se referat Allegationes, idque unum addat in suo Memoriali hodie circumferendo, nullo modo impediri posse, quominus in Ecclesiastico Roncilionensi Collegio scientiis etiam Ecclesiasticis adolescentes imbuantur. Sutrini vero, quamvis diu expectati, nihil novi protulerunt. Vestrum igitur erit PP. EE. ea, qua soletis, jurisprudentia dirimere.

Dubium

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.

In decisis.

ess.24.cap.12. de Reform.

THELESINA, ET CERRETANA. Proponenda hæc erat causa *die* 6. *Maji* 1820. sub triplici forma Dubiorum, videlicet *I. An Missæ Canonicalibus præbendis infixæ ad tot reducendæ sint, quot celebrari possunt ad eleemosynam carolenorum quinque pro unaquaque in casu etc. II. An sit locus reductioni anniversariorum, ita ut eleemosyna ducatorum quinque sit assignanda pro unoquoque anniversario in casu etc. III. An sit concedenda nova reductio Missarum Conventualium pro benefactoribus ad medietatem Festorum in casu etc.* Verum ob aliarum causarum gravitatem in sequentibus tantum comitiis *diei* 17. *Junii* de illa est actum, responsumque prodiit: = *Dilata in omnibus, et transmittatur status activus, et passivus Massæ, et præbendarum, et notula distincta onerum Missarum, sive cum cantu, sive lectarum* =

Quartum deinde additum fuit Dubium = *An, et quomodo sit providendum, quoad celebrationem Missarum pro Matthæo di Lella in casu etc.* novumque institutum fuit examen *die* 16. *Decembris ejusdem anni* 1820., ac singulis quæstionibus accuratissime perpensis, rescripsit Sac. Congregatio. Ad I. *Affirmative pro reductione ad triennium, nempe celebratis a quolibet Canonico annuis Missis centum. Ad II., et III. Negative; ad IV. Dilata, et videatur particulariter.* = Cum triennale indultum jam expiraverit; instante Capitulo Cathedralis Cerretanæ, ac ejusdem indulti prorogationem petente, causa quoad *primum Dubium* reproponitur.

Capituli preces remisi Episcopo pro nova informatione et voto, audito eodem Capitulo, ut referret, si causæ necessitatis olim expositæ adhuc perseverent. Asserit Episcopus, *che durano tutto giorno le medesime cause di necessità; giacché i pesi publici, che dal Capitolo si portano, sono gli stessi, l'esazione delle tenui rendite della Chiesa è difficile, e litigiosa per la scarsezza delle stagioni, e niun supplemento si è finora ai Canonici assegnato.* Sententiam deinde suam pandens concludit = *che persistendo i medesimi bisogni del Capitolo possa prorogarsegli la grazia fino a che le circostanze de' tempi*

pi

pi non si migliorino, e sino a che non se gli dia il supplemento promesso nell' ultimo Concordato.

Facti seriem habent EE. PP. in Foliis *dierum 6. Maji., et 16. Decembris* 1820., quæ resumere precor: egregie autem norunt, spem adesse, ut exoptatum a Capitulo supplementum aliquando, ac cito forsan concedatur. His ergo perpensis definire dignentur.

Dubium

An sit prorogandum Indultum reductionis Missarum in casu etc.

Affirmative ad aliud Triennium ad formam præcedentis.

SPOLETANA RESTAURATIONIS ECCLESIÆ ET DOMUS PAROCHIALIS = Reparatione indigent ruralis Ecclesia, et Domus Parochialis S. Venantii Spoletanæ Archidiæceseos, atque ex relatione Fabri Murarii scuta septem supra centum nonaginta sunt impendenda. Parochus ex reditibus Ecclesiæ ne congruam quidem percipit: desunt Beneficia, aliique Ecclesiastici proventus; populus alienos fundos colit, et prædiorum domini in aliis morantur Paræciis. Itaque Archiepiscopus Spoletanus, antequam ullum edat Decretum pro restauratione dictæ Ecclesiæ, ac ædium Parochialium, ab EE. VV. implorat, ut dirimatis Dubia, quæ in calce hujus Folii leguntur. *Sess. 7 cap. 8., et sess. 21. cap. 7. De Reform*

Oblatas preces ablegavi *eidem Archiepiscopo pro informatione, et voto, auditis præsertim Promothore Fiscali, Parocho, et Patribusfamilias in scriptis, ut referret de annuo reditu, et oneribus Paræciæ, comprehensis incertis stolæ, ducto calculo per decennium, impensa vere necessaria ad reparationem per Peritum*

ex

ex officio, transmissis particulis Synodorum, et Decretis SS. Visitationum ad rem facien. =

Archiepiscopus autem hæc retulit = „ omnibus et singulis interesse habentibus auditis, eruitur 1. quod Patresfamilias, cum uno excepto, sint omnes Coloni, se minime impensis supplere posse fatentur; 2. quod inter se discrepantes agrorum Domini putant non sumptuum participes esse; 3. Parochum denuo Ecclesiæ, Domusque collabentis alterius, sumptui reparationem flagitasse. Miseriæ enim, et ærumnæ hunc die, noctuque premunt, et obruunt. Testis est Promothor Fiscalis, a quo eadem petitio facta est, et nullos habere proventus accepimus, dum si aliqui sint, vel superentur, vel æquentur expensis; ducto enim calculo per decennium, incertis stolæ comprehensis, stat numerus pro annuali reditu scut. 47. 32., ex quibus sublatis oneribus, et pro populo applicatione, notatis scutis 47. 26., summa pro congrua Parochi manebit obolorum sex; Parochus ergo impossibile est, ut proprio reparet sumptu Ecclesiam, et Domum.

„ Sed adest fructus vulgo nuncupatus *dell' opera*: affirmative. Poterunt vero isti nos ducere ad finem, si ducto pariter calculo per decennium dant summam quotannis scut. 8. 07. pro reditu, et summam scut. 9. 83. 3. pro impensis. At erunt in dicta Paræcia Beneficia Ecclesiastica, vel simplicia, vel jurispatronatus, sumptui quorum juxta S. Congregationis Concilii decreta et possit, et debeat reædificari Domus et Templum? Minime Patres. Suadentibus igitur S. Tridentino Concilio, ac Diæcesana Synodo (cujus verba mox referam) deveniatur ad populum necesse est. At Patresfamilias contestando denunciarunt ut supra: videtur ergo, quod taxandi sint Domini bonorum, et quod opus manuale debeat præstare Populus.

„ Per Peritum ex officio deputatum constat necessariam esse summam scut. 197. 97.

Decreta sacrarum Visitationum ad rem spectantia, cum nullo modo reperire potuerit, geminas Archiepiscopus transmisit particulas Synodorum Castrucci, et Gaddi. Patet ex *cap.* 34. §. 2. Synodi *anno* 1621. ab Epi-

Episcopo Castrucci habitæ, statutum fuisse, quod *Parochialis Ecclesia, si pro Rectoris habitatione non habuerit ædes, et Ecclesiastici reditus eas construi non patiantur; Populus Parochiæ pro Rectoris habitatione prope Ecclesiam domum providere, vel ædificare teneatur.*

Particula vero Synodi *anno* 1706. ab Episcopo Gaddi celebratæ, deprompta *ex cap.* 24., hisce verbis continetur = *Si ergo contigerit, aliquid vitiatum, corrosum, vel labefactatum in Ecclesiarum fundamentis, parietibus, tectis, et fornicibus reperiri; statim reaptari, et refici volumus expensis fabricæ, vel operæ ipsarum, quatenus adsint, vel suppetant reditus . . . respectu ad Parochiales, vel inferiores Ecclesias expensis Rectorum, curamque animarum gerentium: subsidiarie autem ad ipsos Parochianos, qui arbitrio Ordinarii, vel per æs, et libram, aut aliter collectabuntur.*

Fatiscentes Ecclesias, præsertim Parochiales, omnino esse restaurandas præscribitur *in Can.* 30. *Dist.* 12. *q.* 2., *cap. Quicumque De Eccl. ædific.*, idemque decrevit Tridentina Synodus *sess.* 21. *cap.* 7. *de reform.*, cui Decreto inhærentes Doctores, ordinem, ac veluti gradus constituunt eorum, qui Ecclesias reparare tenentur, uti late disserit Bened. XIV. *Inst. Eccl.* 100. Verum eadem Trid. Synodus *loco citato* Episcopis mandat, ut *in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacumque appellatione, exemptione, et contradictione remota. Quod si nimia ægestate omnes laborent, ad matrices, seu viciniores Ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas Parochiales, quam alias Ecclesias dirutas in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi Cruce, convertendi.*

Pro reparanda Ecclesia S. Venantii, Spoletanæ Archidiæcesis, omnia ex testimonio Archiepiscopi deficiunt media a sacris Canonibus statuta, atque unus superest populus: hinc necessario ad eum erit confugiendum. Disquirere autem oportet, an qui fundos possident, licet alibi degant, an potius Parochiani impendere debeant quidquid ad Ecclesiam, ædesque Parochiales instaurandas requiritur. Nihil est in jure exploratius, quam cujusque rei, eum sequi incommoda, quem se-

sequuntur commoda, *R. I. 56. in 6.*, *et L. 10. ff. de R. I.* At commodo Ecclesiæ Parochialis tantummodo perfruantur, qui intra ejus limites sedem habent; nam qui alterius loci utuntur domicilio, neque Sacramenta percipere, neque Missam in eadem Ecclesia audire queunt. Atque id prospexisse videtur Tridentina Synodus, dum non bonorum possessores, sed Parochianos ad reficiendam Ecclesiam compelli, et nimia ægestate omnibus laborantibus, Paræcias ad matrices, seu viciniores Ecclesias transferri voluit. Reque vera si fundorum dominis, quamvis alibi domicilium habentibus, onus immineret restaurandæ Ecclesiæ, numquam fieri posset, ut propter nimiam ægestatem Parochianorum Ecclesia ad matricem, seu viciniorem transferenda foret; cum quælibet Paræcia certum habeat territorium, cujus prædia aut a Parochianis, aut ab aliis jure dominii possidentur. Quocirca non domini agrorum, sed Coloni, uti Parochiani, ad reficiendam Ecclesiam, et ædes Parochiales S. Venantii cogendi videntur; et si inopia premantur, Paræcia ad viciniorem Ecclesiam erit transferenda.

Præterea collecta pro reparandis Ecclesiis inter onera realia recenseri nequit, cum prædiis nulla obveniat utilitas ex refectione Templorum, *Mena Variar. lib. 1. quæstione 21. num. 90.*, *Amostaz De caus. piis lib. 5. cap. 6. num. 47.*, sed pertinet ad onera personalia, quia ad animarum salutem Ecclesiæ ædificantur; atque ideo ad Ecclesias reparandas dumtaxat cogendi sunt, qui in Paræcia domicilium habent, non autem qui bona in ejus territorio possident, sed alteri subsunt Paræciæ, *Pekius De Reparand. Eccl. cap. 11. n. 4.*; *Tondutus quæst. benef. tom. 1. cap. 38. n. 4.*; *Thesaur. decis. 149.*

Forenses tamen, si bona possideant in loco reficiendæ Ecclesiæ, a solvenda collecta immunes non videntur, non solum quia non desunt, qui asserant, hujusmodi collectam esse onus rebus inhærens, quos inter *Cencius de Censib. quæst. 1. num. 15.*, *Cancerius Var. resol. part. 2. cap. 6. num. 198.*, sed etiam quia bona quælibet sunt tacite hypothecata pro necessitatibus publicis illius loci, in quo sita sunt, *L. 1. Cod. Quib. in caus. pig. tacit. contrah.* Labentium vero Ecclesiarum

rum restauratio est necessitas publica, quoniam religio, quæ Templorum ædificatione fovetur, ac servatur, publicum respicit bonum *L. 1. §. hujus studii. ff. de justit. L. Sunt personæ ff. De relig., et sumpt. funer.* Omnes igitur prædiorum dominos, tametsi aliis subsint Paræciis, contribuere debere pro instaurandis Ecclesiis, docent *Barbosa part. 3. alleg 61. n. 11., Francez. de Eccl. Cath. cap. 17. num. 72.* quemadmodum forenses quoque ad collectam obstringuntur pro reparatione murorum, viarum, pontium territorii, in quo bona possident stabilia, *Abbas in cap. non minus 4. de immun. Eccles. n. 38, Barbosa loc. cit., Alex. lib. 2. consil. 70.*

Nec mirum, quod Tridentina Synodus non possessores bonorum, sed Parochianos dixerit cogendos pro restauratione Ecclesiarum: qui in Parochia degunt, Fundos, ut plurimum, possident; idcirco S. Concilium Parochianos adigendos esse sancivit. Cum aliquando Paræciarum territorium, adeo sit angustum, tamque steriles sint agri, ut qui in eo bona possident, sint nihilominus pauperes; hac de causa, non vero ad immunitatem collectarum dominis prædiorum tribuendam, Paræcias ad viciniores Ecclesias transferri jussit.

Accedit in themate, quod si ruralis Paræcia S. Venantii non istauraretur, agrorum Domini detrimentum inde caperent; nam Coloni, nisi Ecclesiam haberent, in qua Sacramentis refici, Sacrum, et catechesim audire possent, facile Rure discenderent, agrique deserti manerent.

Quidquid autem de hujusmodi quæstione sentiendum sit, quæ ad tramites juris communis utrinque suos habet patronos, cum in Italia, testante Bened. XIV. *Inst. Eccl. 100. n. 15.* mos obtinuerit, ut forenses solvant tantum pecuniam pro his bonis, quæ possident in loco, ubi collectiones a Magistratu præscribuntur; ideo in discrimen vocari minime potest, quod bonorum Domini, sive intra, sive extra Paræciam moram ducant, compelli possint ad reficiendas Ecclesias. Quamobrem hæc Sacra Congregatio *in Imolen- Restaurationis Ecclesiæ Parochialis* 6. *Septembris* 1783. consulta = *An, et quis teneatur ad reparationem Ecclesiæ Parochialis. et respective ad extinctionem*

 cen-

census, ejusque fructuum solutionem in casu etc. rescripsit = *Teneri Populum, et possidentes in districtu Parochiæ per æs, et libram* = Quod apprime consonum est Synodo Spoletanæ Gaddi supra relatæ statuenti reparationem Paræciarum pertinere = *subsidiarie ad ipsos Parochianos, qui arbitrio Ordinarii, vel per æs et libram, aut aliter collectabuntur*.

taque in eo tantum controversia esse potest, utrum præter agrorum dominos, ad reficiendam Paræciam S. Venantii, teneantur quoque coloni. Profecto ipsi ab omni onere exempti videntur: quum enim S. Congregatio in memorata *Imolen.*, cui concinit Synodus Spoletana, responsum dederit, teneri Populum, et possidentes in districtu per æs, et libram, idest secundum cujusque facultates, ut docent *Pekius De Reparand. Eccles cap.* 10. *n.* 2., *Francez de Eccl. Cath. cap.* 14. *n.* 131., aliique apud *Amostaz. De caus. piis lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 39., inde sequitur immunes eos esse a qualibet præstatione, qui nullis fruuntur bonis stabilibus. Quod confirmatur ex Sa. Congregatione Episcoporum apud *Bened. XIV. loc. cit. n.* 16. ad quemdam Parochum Placentinum rescribente = *Curam omnem adhibe, ut Inquilini pro Dominis pecuniam ad id* (nempe ad restaurationem Paræciæ) *impendant, ac deinde quidquid ob hanc causam expenderint, sibi retineant ex pretio, quod pro domo conducenda persolvunt* =.

Quia vero Parochiani omnes utilitatem spiritualem ex reparatione Templi sentiunt; ideo si minus ad pecuniam conferendam propter inopiam, at saltem ad aliquas operas præstandas, uti pro exportatione cæmetorum, calcis, tignorum, aliisque hujusmodi, compellendi Parochiani non possidentes videntur. *Borellus de SS. Eccl. n.* 3., *Bellius consil.* 144., *Francez, loco cit. cap.* 13. *n.* 120.

Hisce in jure animadversis erit Eminentissimorum PP., qua præstant sapientia, decernere.

I. *An, et quomodo possidentes teneantur ad reparandam Paræciam in casu etc.*

II. *An, et quomodo teneantur Coloni in casu etc.*

Non proposita cum sequenti.

ÆSI-

ÆSINA REDUCTIONIS, ET ABSOLUTIONIS = Paræcia S Petri Æsinæ Civitatis pluribus oneribus Missarum gravatur, ejusque Rector congrua ad propriam sustentationem caret. Plebanus prædictæ Ecclesiæ Joseph Baldelli supplici Libello ab hac Sac. Congregatione absolutionem quoad præteritas omissiones, et ad obtinendam congruam, Missarum reductionem in futurum implorat. *Sess 7. Cap. 7., et Sess. 24. Cap. 13. De Reform.*

Preces remissæ fuere Emo Episcopo pro informatione, et voto, ut audito præsertim Promothore Fiscali, transmissa notula onerum, et copia respectivarum fundationum, referret de annuo cujusque Legati reditu, et eleemosyna manuali; utrum reditus Oratoris culpa decreverint, vel augeri possint, aut sint qui teneantur ad supplementum, de Missis hactenus non adimpletis, et vera impotentia supplendi quoad præteritum, et futurum. Respondit autem Emus Episcopus, se Promothorem Fiscalem interrogasse, uti unice audiendum, quia Ecclesia Legatorum Bona possidet, et nulli sunt Patroni; ipsum autem, re mature perpensa, audita relatione Periti agronomi, expunctisque oneribus, et reditibus, ita mentem suam aperuisse. *Cum modo desit Parocho congrua scutorum centum a S. Tridentina Synodo præfinita, crederem annui posse prædicti Parochi precibus, tam pro absolutione a nondum sequuta celebratione Missarum, quam pro diminutione perpetua tertiæ partis Legatorum.* =

Neque, prosequitur Emus Episcopus, *irrationabilis fuit Promothoris Fiscalis sententia; ex citata enim Agronomi peritia, et ex computo activi, et passivi, Parocho quolibet anno libera supersunt scuta tantum triginta circiter, cum Bona Legatorum integrum fere conficiant hujus Ecclesiæ patrimonium. Hanc tamen minime sequi reor, ex eo quod major pars Legatorum suos habeat reditus exuperantes manualem eleemosynam obulorum quindecim pro quolibet Sacro, ut hic modo moris est.*

Et sane Legatum Sanctiæ Pesciotti viginti duarum Missarum annuarum domum habet, pro cujus conductione scuta septem, et oboli quinquaginta annuatim solvuntur.

Legatum duodecim Missarum a Petro, et Laura Conjugibus Colini relictum habet Censum scutorum 50. ad rationem scutorum quatuor pro quolibet centenario, et anno, unde scuta duo sufficiunt pro celebratione dictarum Missarum.

Similiter Censum scut. 200. ad rationem scutorum quatuor possidet Legatum a Persona pia relictum in Missis quadraginta.

Item Censum scut. 300., ad rationem, ut supra, reliquit alia Persona pia pro satisfactione Legati quinquaginta duarum Missârum.

Antonius Porfiri pro missis annuis centum quatuor Censum dedit scutorum 110. ad rationem scutorum quatuor, et parvum Fundum, cujus reditus, dectractis oneribus, ex citata peritia assurgant ad scuta 22. 81.

Fabius Baldassini hæredem ex Testamento nunc Orphanotrophium Puellarum subjecit ad solutionem juliorum sex, et trium Frumenti Cupparum, quæ saltem alios julios duodecim conflant, pro celebratione decem Missarum.

Tandem Catharina Bustolungo unicam Missam quolibet anno celebrandam voluit; sed non noscitur, quam dotem dederit. Cum autem de paupere regno agatur, non gravabitur Parochus si onus relinquatur.

De his igitur quamvis attenta Parochi inopia tam ex deficientia congruæ, quam rei familiaris, absolutionem Missarum 82. non celebratarum ad totum annum 1822. concedi posse sentirem, nullam tamen reductionem quoad futurum indulgerem, nimis enim justitiæ adversaretur.

Quo vero ad alia Legata relicta a Marco Mucci, a Petro Antonio, et Fabio Baldassini, quorum primus præscripsit vigintiquinque Sacra, octogintaduo secundus, et viginti tertius quibusdam statis diebus, quorum Fundi antiquitus ita confusi fuere, ut de his tribus Legatis parva tantum Possessio gravata putetur, cujus annui fructus minime sufficiunt, cum ex citata peritia assurgant tantummodo ad scuta 8. 61.

Et quoad aliud relictum a Sacerdote Christoforo Agostinelli Missarum 208., quatuor nempe pro qualibet hebdomada, cujus Fundus ex repetita peritia reddit solum scuta 9. 22., quæ quidem nemo non videt esse prorsus in-

insufficientia ad onera subeunda; super his cum nullum detrimentum in reditibus adsit ex culpa Oratoris, non solum ad absolutionem Sacrorum 365. inadimpletorum usque ad annum 1822., sed ad perpetuam eorumdem reductionem ad rationem eleemosynæ manualis obolorum quindecim, si sic EE. VV. placitum erit, deveniri posse tuto crederem.

Emus Episcopus duo prætermisit Legata ab Ubaldo Ubaldi olim Ecclesiæ S. Petri Plebano relicta, quæ tamen in transmisso indice Plebanus Baldelli exacte recensuit. Horum primo Ubaldus domum concessit, cujus locatione annua scuta sex percipiuntur; et onus adjecit sex Missarum *die 2. Octobris* celebrandarum, et libræ unius ceræ eadem die exurendæ in Altari SS. Angelorum Custodum: secundo vero Legato alias domos reliquit, quæ locantur annuis *scutis* 13. 75., jussitque, ut lampas quotidie ante Altare B. Mariæ = *della Vita* = nuncupatæ accensa maneret; quidquid autem deductis indicatis oneribus, nec non sumptibus manutentionis domorum superesset, ita dividi præcepit, ut dimidium in Missarum celebrationem erogaretur, dimidium in Plebani utilitatem cederet.

Hisce cognitis, ad rem omnem illustriori in loco ponendam, Eminentissimum Episcopum rogavi, ut referret de annuo reditu, et oneribus Paræciæ ducto calculo per decennium, compræhensis incertis stolæ, transmisso ejusdem statu activo, et passivo: Ipse vero adhibita Periti opera statum activum confici curavit, ex quo patet, reditus Paræciæ non superare summam *scutorum* 148. 95. $2\frac{1}{3}$, antiquitus autem consuevisse Plebanos S. Petri percipere decimas nuncupatas = *a carlini* =, sed jamdiu consuetudinem hanc fuisse sublatam, neque hodiernum Plebanum Baldelli audere hujusmodi Decimas poscere, tum quia odium Parochianorum in se concitaret; tum quia maxima ipsorum ægestas non patitur, ut hujusmodi onere graventur.

Statum autem passivum exhibuit idem Plebanus Baldelli, ex quo eruitur oneribus ferendis annuatim necessaria esse *scuta* 141. 99 4.; ideoque Parocho vix superesse *scuta* 6. 95. 3. In antedicto tamen Statu passivo compræhenduntur *Missæ* 82. pro populo, quibus singulis eleemosyna *obolorum* 15. assignatur.

Tri-

Tridentina Synodus *Sess. 7. Cap. 7. de Reform.* congruam Parochi arbitrio Ordinarii super re certa definiendam permisit. Pontifex autem S. Pius V. sua Constitutione incipien. = *Ad exequendam* = statuit, congruam non minorem esse debere *scutis* 50., nec majorem *scutis* 100. Hujus vero Sac. Congregationis constans est praxis, ut *scuta* 100., quantum fieri possit, Parochis assignentur, ad tradita *in Civitatis Castellanæ* 24. *Novembris* 1821. *ad II. Dubium*, *et in Tudertina* 27. *Aprilis* 1822. *§. Ut hæc.*

Quilibet autem, cui animarum cura sit commissa, oves suas pascere, et Sacrum pro iis offerre teneri decrevit Concilium Tridentinum *Sess. 23. Cap. 1. de Reform.* omnibus diebus, in quibus Missam audiendi præceptum Populo incumbat; idemque jussit Benedictus XIV. celebri Constitutione = *Cum semper oblatas*, et respondit hæc Sac Congregat. in *Senogallien.* 20. *Martii* 1790. *et in Messanen. Reductionis Onerum* 14 *Decembris* 1822. Idque non obstante redituum defectu, cum hujusmodi oneri satisfacere teneatur animarum Pastor non causa redituum, sed ratione officii, veluti monet Benedictus XIV *loc. cit.*, et *de Synod. Diœc. cap. fin. n.* 24. *et seq.*, et hæc Sac. Congreg. *in Neocastren. Missæ pro populo ad I. Dub.* 26. *Januarii* 1771., et in citat. *Senogallien.* 20. *Martii* 1790. Itaque ad augendum Statum passivum nequaquam supputandæ sunt *Missæ* 82. pro populo: cum tamen earum eleemosyna in *obolis* 15. fuerit statuta, ideoque summam conflet *scutorum* 12. 30., Plebanus Baldelli annua *scuta* 19. 25. 3. habebit, quæ a congrua scutorum centum quammaxime distant.

Assignationem congruæ postulat Plebanus ope reductionis Missarum, quæ ob pia Legata ejus Ecclesiæ relicta sunt celebrandæ. Complura vero sunt Legata, quorum reditus ad onerum implementum sufficiunt, imo aliquid etiam superest: ejusmodi sunt Legata Sanctiæ Pesciotti, Conjugum Colini, Antonii Porfiri, Fabii Baldassini, Plebani Ubaldi, et duo Legata ab ignotis piis Benefactoribus relicta. Sane consuevit hæc Sacr. Congr. denegare Missarum reductionem, si reditus non desint ut *in Ostunen. Reductionis Missarum* 4 *Decembris* 1784., *et in Capuana Reductionis Missarum*

4 De-

4. Decembris 1792. Concedenda tamen in præsenti casu reductio videtur, cum Parocho ex Ecclesiæ reditibus congrua sit constituenda, *Conc. Trid. Sess. 7. Cap. 7.*, nec alii sint fructus, quam Legatorum, quorum onera, cum exacte fuerint adimpleta, pene nihil pro Parocho superest.

Quoad cætera Legata, nempe Marci Mucci, Petri Antonii, et Fabii Baldassini, ac Sacerdotis Agostinelli, cum eorum reditus absque Plebani Baldelli culpa decreverint, et oneribus ferendis impares evaserint, nec sint qui ad supplementum teneantur; deneganda non videtur reductio, quam imo easdem ob causas elargiendam esse respondit, ac sæpe indulsit hæc Sac. Congreg., præsertim *in Papien. Reduct. Miss. 27. Martii* 1776., *in Romana Reductionis 21. Julii* 1803., *et in Romana Reductionis 2. Maji* 1818. De Legato vero cum onere unius Missæ a Catharina Bustolungo relicto, cum ignoretur quam Dotem dederit Catharina, et nulli sint reditus ad hujusmodi Legatum spectantes; nil obstare videtur, quominus hoc onus penitus abrogetur, cum deficiente fundo quodvis cesset superimpositum onus, ut in terminis respondit hæc Sac. Congr. *in Cusentina 26. Junii* 1738., *in Senogallien. Legati 16. Junii* 1779., *et in Taurinen. Absolutionis, Suspensionis, et Reductionis 1. Martii* 1817.

Verum pro ea, qua pollent sapientia, illud quoque perpendere EE. PP. dignentur; an reductione tantum Legatorum, an aliis quoque mediis providendum sit, ut congrua Plebanus Baldelli non careat. Antiquitus enim, ut ipsemet Plebanus monuit, decimæ a Parochianis solvebantur, Tridentina vero Synodus Episcopo facultatem tribuit, ut *si necesse fuerit compellere possit populum ea subministrare, quæ sufficiunt ad vitam dictorum Sacerdotum substentandam=Sess.21.cap.4.de Ref.* quod fieri præcipitur *etiam invitis Rectoribus*; et consonat judicium sæpe a Sac. Rota redditum, ac præsertim *in Recent. part. 1. decis. 420. num. 8., et part. 2. decis. 449. num. 4.*, ubi definitum fuit, quod *Congrua debetur a Parochianis, quibus Sacramenta administrantur*. Parochianos maxima ægestate urgeri asserit Plebanus Baldelli, ac addit, se minime audere antiquas decimas *a carlini* exigere, quia odium eorumdem Paro-

rochianorum timet: at congruæ parochialis tenuitati Sac. Concilium *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.* providendum ita esse censuit = *In parochialibus Ecclesiis, quarum fructus æque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus, si per Beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbola, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro Rectoris, aut Parochiæ necessitate decenter sufficiat.*

Quod autem spectat ad Missas in præteritum inadimpletas, Parocho favet tenuitas redituum, quæ si fraus absit, prout illam in themate abesse res ipsa, et Emi Episcopi votum ostendunt, pluries absolutionem concedendam esse suasit, prout illam concedendam rescripsit hæc Sac. Congregatio *in Anconitana Missarum* 16. *Martii* 1782., *et in Januen. Commutationis voluntatis, et Reductionis* 29 *Junii* 1822. *ad IV. Dub.*

Quare dignentur EE. VV. definire

Dubia

I. *An, et quomodo sit providendum tenuitati congruæ Plebani S. Petri in casu etc.*

II. *An, et quomodo reducenda sint Legata Pesciotti, Colini, Porfiri, Fabii Baldassini, Plebani Ubaldi, et ab ignotis piis Benefactoribus relicta in casu etc.*

III. *An, et quomodo reducenda sint Legata Mucci, Petri Antonii, et Fabii Baldassini, et Sacerdotis Agostinelli in casu etc.*

IV. *An sit exequendum Legatum Catharinæ Bustolungo in casu etc.*

V. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad Missas in præteritum non celebratas in casu etc.*

Die Sabathi 20. Martii 1824. in Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

SPOLETANA RESTAURATIONIS ECCLESIAE, ET DOMUS PAROCHIALIS.

Sess. 7. Cap. 8., et Sess. 21. cap. 7. De Reform.

Dubia.

I. *An, et quomodo Possidentes teneantur ad reparandam Paræciam in casu etc.*

II. *An, et quomodo teneantur Coloni in casu etc.*

Ad I. Affirmative per æs, et libram.

Ad II. Affirmative, et operas præstare teneri prudenti arbitrio Archiepiscopi.

ÆSINA REDUCTIONIS, ET ABSOLUTIONIS.

Sess. 7. cap 7., et Sess. 24. cap. 13. De Reform.

Dubia.

I. *An, et quomodo sit providendum tenuitati congruæ Plebani S. Petri in casu etc.*

II. *An, et quomodo reducenda sint Legata Pesciotti, Colini, Porfiri, Fabii Baldassini, Plebani Ubaldi, et ab aliis ignotis piis Benefactoribus relicta in casu etc.*

III. *An,*

III. *An, et quomodo reducenda sint Legata Mucci, Petri Antonii, et Fabii Baldassini, et Sacerdotis Agostinelli in casu etc.*

IV. *An sit exequendum Legatum Catharinæ Bustolungo in casu etc.*

V. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro absolutione quoad Missas in præteritum non celebratas in casu etc.*

Ad I. Affirmative computato in augmentum congruæ quidquid superest ex reditibus legatorum Missarum ultra eleemosynam manualem.

Ad II. Negative in omnibus, et Emus Episcopus curet, fieri inscriptionem super fundis gravatis, et descriptionem in tabella.

Ad III. Affirmative ad manualem, detractis utensilibus, et Emus Episcopus curet ut in secundo.

Ad IV. Negative.

Ad V. Affirmative celebratis tribus Missis pro omnibus omissionibus.

Sess.25.cap.13. De Regul., et Monial.

VERULANA STALLI. Tria in comitiis *diei 20. Decembris superioris anni* proposita fuere dubia in hac Causa: verum scissis tunc EE. VV. suffragiis, responsum in omnibus prodiit = *Iterum proponatur* =

Quamvis Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Frusinonis veniam certaminis instaurandi statim petiisset, ob aliarum tamen Causarum gravitatem repropositio ad hodierna comitia proroganda fuit. Nova Allegatione jus suum tuentur Canonici, in qua excludunt, quæ de stallo fixo a Coadjutore asserebantur, Afferunt enim exemplum Præpositi Josephi Gasparri, qui ultimum post Canonicos tenuit locum, donec in minoribus ordinibus fuit constitutus. Quod si Præpositus verus ultimam sedem occupavit, asserta consuetudo evanescit; ideoque Coadjutorem, seu fictum Præpositum, Canonicos veros præcedere minime posse videtur. Cætera tum ad factum, tum ad jus pertinentia, habent PP. EE. in indicato Folio diei 20. *Decembris*, quod resumere precor, et in Allegationibus tunc utrinque distri-

stributis, nec non in nova Capituli Allegatione, ut respondere possint.

Dubiis.

I. *An intret arbitrium pro aperitione oris in casu etc.*

II. *An Litteræ Apostolicæ sint exequendæ in casu etc.*

III. *An Canonico Coadjutori Colotio competat stallum Coadjuti in casu etc.*

Ad I. II. III. Non proposita attenta renunciatione Capituli.

CASERTANA. Facti speciem habent EE. PP. in Folio Congregationis diei *2. Augusti superioris anni*, in qua duo fuere proposita Dubia: I. *An Canonicis Ecclesiæ Collegiatæ Magdaluni competat jus assistendi Episcopo in sacris functionibus intra ambitum dictæ Civitatis, etiam prælative ad Canonicos Ecclesiæ Cathedralis non capitulariter, sed uti singulos cum Episcopo intervenientes, vel ab eodem invitatos in casu etc.* II. *An qua die, et quomodo quotannis obedientia præstanda sit Episcopo in casu etc.* Quibus responsum fuit, ad I. *Negative*, ad II. *Affirmative die octava Maji per Deputatos*, Capitulum, et Canonici Magdaluni beneficium novæ Audientiæ impetrarunt: ideo in hodiernis comitiis Causa Allegationibus utrinque distributis iterum proponitur. *Sess.24.cap.12. De Reformat.*

Omnis tamen quoad primum dubium contentio nunc est, utrum Episcopo singulos Canonicos invitare liceat; Canonici enim Cathedralis Casertanæ prælationem Magdalunensibus concedunt, si non invitati, et singulariter ipsi Collegiatam Magdaluni Ecclesiam adeant; et vicissim Canonici Magdaluni ad Capitulum Cathedralis digniorem locum pertinere non negant, si ejusdem Cathedralis Canonici ab Episcopo invitati capitulariter interveniant. De his igitur, quæ pacifica sunt, nulla exquiritur definitio.

Jus suum Collegiatæ Canonici a consuetudine desumunt: probare siquidem conantur, hanc semper in Magdalunensi Civitate consuetudinem viguisse, ut ipsi, prælative etiam ad Cathedralis Canonicos Episcopo Sacras functiones peragenti assistentiam præstent. Quam con-

suetudinem plurimi faciendam esse asserunt in præeminentiarum quæstionibus, uti pluries definivit Rota præsertim in *Recent. part. 2. decis. 234. num. 1.*, *et part. 8. decis. 216. num. 3.*; eamque in casu præsenti servandam esse dicunt, cum sit Juri apprime consentanea. Plures namque afferunt sacræ Rituum Congregationis resolutiones, et Doctorum auctoritates, quæ Collegiatæ Canonicis jus assistendi Episcopo concedunt, si Canonici Cathedralis non interveniant capitulariter, etiamsi adsint ab Episcopo invitati, imo etiamsi convisitatores sint: quia nempe tunc neque Capitulum repræsentant, neque unum efformant corpus cum Episcopo. Quando vero Canonici adsint capitulariter, indicat Rota in *Ampurien.*, *seu Civitaten. Præcedentiæ* 19. *Aprilis* 1660. *cor. Meltio*, quam refert *Pignatell. Consult. Canonic. tom. 3. consult.* 18. *num. 6.*, *et sequen.* quando scilicet incedunt cum Cruce, et corpus faciunt. Concludunt itaque Magdalunenses Canonici, jus Episcopo assistendi ad se pertinere, nisi Canonici Casertani capitulariter interveniant; ideoque recedendum esse a decisis.

Qui vero Episcopi, et Cathedralis jura tuetur, assertum Collegiatæ privilegium a consuetudine petitum omnino negat; cum illud non probent Canonici Magdalunenses, et actore non probante, reus sit absolvendus *Leg. 2. ff. De Probat.* Quo vero ad jus contendit, Episcopo jus esse Cathedralis Canonicos, quos velit, invitandi, qui si intersint, cum digniores sint, assistere Episcopo tenentur. Pluries enim S. Rituum Congregatio declaravit, in Ecclesiis Parochialibus, vel Collegiatis assistentiam Episcopo ad Canonicos Cathedralis pertinere, si cum Episcopo sint, non ad Presbyteros, vel Canonicos Collegiatæ in qua Episcopus Pontificalia exerceat, et præsertim in *Brundusina* 15. *Julii* 1617., *in Urbevetana* 17. *Septembris* 1639. Idque valere quoque dicit, si Episcopus singulos invitet, *eadem S. Rituum Congregatio in Aliphana* 9. *Januarii* 1743.; hinc Cathedralis ejusque Canonicorum favore respondendum esse concludit.

Quoad secundum Dubium obedientiam Episcopo præstandam respiciens, Canonici Collegiatæ novam ab Episcopo Rogadei inductam methodum servandam

esse

esse dicunt; quæ cum sit consuetudine firmata jus tribuit, ac titulum ad rem. Antiquam vero methodum Episcopus Rogadei mutavit accedente Capituli consensu, saltem tacito, et novam Synodali constitutione roboravit: non licet igitur hanc intervertere, nisi ex illis alterutrum saltem accedat. Legitime namque ab antecessore præscripta, sunt a successore servanda, nisi ea legitime abroget. Addunt denique Magdalunenses numquam præstandam fuisse obedientiam *die 14 Octobris 1821*; cum certa esse debeat ejusdem obedientiæ præstandæ dies, neque quotannis eam mutare liceat: indeque inferunt, injuria illa die Episcopum obedientiam sibi præstari petiisse.

Cathedralis vero Defensor in decisis respondendum esse propugnat, cum antiqua methodus numquam legitime fuerit abrogata; et quamvis eam ab Episcopo Rogadei mutatam fuisse concederetur, suo proprio jure successor Episcopus Gualtieri, qui eadem auctoritate pollet, illam revocare ad observantiam potuerit. Cætera vero habent EE. PP. in citato Folio *2. Augusti superioris anni*, quod resumere precor, et in distributis utrinque Allegationibus, ut dirimere valeant quæ proponuntur.

Dubia

I. *An sit standum vel recedendum a decisis quoad primum dubium in casu etc.*

II. *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad secundum dubium in casu etc.*

Ad I. In decisis, dummodo Canonici Cathedralis accedant ab Episcopo invitati.

Ad II. In decisis, et amplius.

BAJONEN. Joannes Petrus Labarraque, Vicarius loci vulgo = *Guiche* = Diæcesis Bajonensis, cum ad parochialia munera obeunda iter faceret, ex equo, quem ascenderat, miserrime decidit, ac tam graviter est læsus, ut dexterum ejus brachium fuerit amputandum: hinc dispensationem ab irregularitate suppliciter implorat. *Sess. 14. cap. 7. de Reform.*

Re-

Requisitus de more Episcopus hæc distincte retulit. *Peroptantes optimæ conversationis, nec non probatæ virtutis presbyterum, ad fidelium ædificationem, et Ecclesiæ bonum, in tanta Sacerdotum penuria, omnino inutilem non remanere, commisimus unum ex Vicariis nostris Generalibus, cum duobus Seminarii nostri diœcesani moderatoribus, ad experimentum peragendum; quo peracto, ad nos retulerunt, Oratorem solo adjutum brachio sinistro, coram se Missæ cæremonias omnes exercuisse, ita quidem solerter, ac decenter, ut asserere non dubitent, nullum exinde scandalum generandum esse in populo. Attamen animadvertunt dicti examinantes, quasdam ex præscriptis cæremoniis parumper immutari ob impossibilitatem eas præcise, ut notantur, cum unica manu observandi. Unde retulerunt 1. panem ante consecrationem, non inter digitos acceptum benedici, sed super corporale repositum. 2. fractionem hostiæ consecratæ, fieri non posse aliter, quam hostia remanente super patena, quod quidem sat expedite, et absque ullo periculo exequitur Orator duobus manus sinistræ digitis, indice nempe, et pollice, loco duplicis fractionis prius, in præparatione Calicis in sacrario, cum ora patenæ, caute signata 3.* Ad = Domine non sum dignus = *hostiam super patena positam relinqui ab Oratore, dum manu sinistra pectus percutit. 4. Ad patenæ purificationem, Oratorem particulas omnes prius colligere in unum eumdemque locum ad oram patenæ super corporale repositæ, moxque, accepta inter digitos patena, facile eas in Calicem indice æque, ac pollice, immittere. Cæteras autem cæremonias Oratorem exequi non solum cum decentia debita, verum etiam remoto prorsus omni profanationis periculo. Unde censemus, optimum quidem fore, Oratorem per aliquod tempus assistentem Præsbyterum habere, donec scilicet sat expeditus, et dexter evadat in cæremoniis sinistra manu exequendis; postea vero assistentia alterius Sacerdotis opus non habiturum, donec, per ætatem, solertiam, quam juvenis habet, amittat.*

Dispensatio ab irregularitate, ob corporis defectum, præsertim fortuito, ac miserabili casu contractum, non raro conceditur, uti monet hæc S. Congregatio, in *Gerun-*

rantina 24. Maji 1788., eamque Sacerdoti Bernardino Lopez, qui ex casu quodam accidentali, talem in brachio dextero passus erat læsionem, ut in eo flexibilitatis usum amiserit, indulgendam esse respondit in *Cosentima 13. Julii 1725.*

Regulam vero statuit, ac semper eadem S. Congregatio secuta est, ut facilius dispensatio super corporis defectu concedatur Sacerdoti jam promoto, difficilius autem Clerico promovendo, *ut in Comen 3. Maji 1775. et 11. Julii 1776.*, *ac in Firmana Irregularitatis 24. Maji 1823. §. Dispensatio.*

Favet autem Sacerdoti Labbarraque Episcopus, qui asserit, eum esse probatæ virtutis Præsbyterum, ac solerter, et decenter sacras cæremonias peragere; ideoque suum pandens votum enixe optat, eumdem ad fidelium ædificationem, et Ecclesiæ bonum *in tanta Sacerdotum penuria* omnino inutilem non remanere. Hæc quidem omnia dispensationi viam sternere solent, uti habetur in *citat. Firmana Irregularitatis 24. Maji 1823. §. Redite*,

Verum etsi Episcopus retulerit, solerter ac decenter Sacerdotem Labarraque sacras cæremonias peragere; attamen fere impossibile videtur, quod populus absque scandalo, vel saltem admiratione, hujusmodi Sacerdotem Sacrum facientem aspiciat. Quod si pro dispensatione favore Sacerdotis Lopez inflexibilitate dexteri brachii laborantis, redditum fuit responsum *in Cosentina 13. Julii 1725.*, nihilominus denegandam censuit hæc Sacra Congregatio dispensationem Sacerdoti Francisco Giustozzi, qui improvisa igneæ balistæ disruptione lævam manum integram amisit, ut in dicta *Firmana Irregularitatis 14. Junii 1823.*

Dignentur itaque EE. VV. respondere

Dubio

An, et quomodo sit consulendum SSmo, pro dispensatione ab irregularitate in Casu etc.

Negative.

SE-

Sess. 21. cap. 7. de Reform.

SENOGALLIEN. FABRICAE ECCLESIAE = In Oppido Belviderii Senogalliensis Diœcesis, in solo Capituli Lateranensis, Collegiata extat Ecclesia, B. Mariæ Virgini de Misericordia dicata: Patronatus autem jure tum quoad Ecclesiam, tum quoad Collegiatæ præbendas Sodalitium Misericordiæ ejusdem Oppidi gaudet. Pluries hanc Sac. Congregationem adierunt Canonici, et Sodales, ut Ecclesiæ temporis edacitate collabentis jamdiu inceptam reparationem possent perficere: *die 20. Februarii* 1796. proposita fuere Dubia *I. An, et quomodo sit providendum reparationi Collegiatæ Ecclesiæ Belviderii in casu etc. = Et quatenus affirmative = II. An, et quomodo sit locus suspensioni Canonicatus Tosi, et prorogationi jam concessæ Canonicatuum Ubertini, et Mei in casu etc.* Responsum vero acceperunt = *Ad I. Affirmative juxta Votum Emi Archipresbyteri = Ad II. Affirmative juxta Votum Emi Archipresbyteri, etiam quoad Canonicatus Ubertini, et Mei.*

Emus autem Archipresbyter ita suam aperuerat sententiam; = *non minus quam pro 27. annis, harum præbendarum suspensionem demandandam esse* =: Indulta itaque suspensio ad exitum jam properat, nec operi suprema imponi manus potuit ob luctuosissimas præteritorum temporum vicissitudines, quibus Ecclesiæ suis viduatæ pastoribus, ac reditibus orbatæ fuerant. Cum igitur *anno* 1822. restituta in pristinum fuerit Collegiata, denuo Canonici, et Sodales exorarunt. „ Che vogliano degnarsi l' EE. VV. accordare una nuova proroga di sospensione, ed unire altresì nella sospensione medesima la non ancora coperta Prebenda Montileo, non che il Mansionariato Gianfranchi, „ restato vacante per la morte del defonto Arciprete „ con gli annessi loro rispettivi pesi. E perchè frattanto non vengasi a pregiudicare al dritto di nomina, implorano i ricorrenti, che pendente tale loro „ istanza, venga dichiarato da cotesto Sacro Consesso „ sulle dette prebende, e Mansionaria, *tempus, et tempora non currere* „.

Exoptant quoque Sodales Ecclesiæ patroni, ut expensis parcant, omnium Præbendarum vacantium administrationem Syndico Sodalitii committi, qui reliquos ejus-

ejusdem Ecclesiæ reditus administrat. Canonici vero, quia sex tantum remanerent ad servitium Chorale alternis hebdomadis implendum „ implorano la grazia „ di restringere durante la sospensione suddetta, la Co„ rale Ufficiatura a tutte le feste di precetto, alle fe„ ste, nelle quali si celebra *pro Benefactoribus*, a tutte „ le principali feste di Maria SS^ma^, a tutta la Quare„ sima, ed ai Sabbati, nei quali incontrasi un semi„ doppio per cantare la Messa votiva di Maria San„ tissima „.

Eminentissimum Archipresbyterum Lateranensis Basilicæ rogavi, qui Capitali relationem, ac resolutionem transmisit, probavitque; ex qua patet, prædictæ Basilicæ Canonicum R. P. D. Baldini Visitatorem, Capituli Decreto Belviderium missum fuisse, ubi *mense Julio* 1822. peracta Visitatione cognovit = *Che se non si otteneva dalla Sacra Congregazione del Concilio l'ulterior sospensione delle due prebende Canonicali vacanti, della Cappellania, della Mansioneria Gianfranchi, ed il rilascio delle rendite delle altre due prebende appartenenti ai Canonici Ubertini, e Grassi* (qui ex collatione Capituli Lateranensis *mense Maii* 1820. possessionem præbendarum Tosi, et Ubertini adepti erant) *non si sarebbe potuto vedere il termine della nuova Chiesa dalla presente generazione*.

Intervenne (prosequitur in sua relatione Capitulum) *ai congressi il suddetto Canonico Ubertini, il quale agiva anche pel suo Collega Canonico Grassi, di cui aveva la Procura, ed egli convenne e per se, e pel divisato Collega, ambedue altronde sufficientemente provveduti, di rilasciare il reddito delle due rispettive prebende per il lasso di anni sette da incominciare al primo Gennajo anno corrente* (nempe mox elapsi anni 1823.) *l'Ubertini prestò il suo assenso, e ne rilasciò il documento, che in seguito fu trasmesso alla Cancelleria dell' Emo Vescovo di Sinigaglia, che lo richiese; ed il Grassi ha praticato altrettanto in Roma, come dalla di lui dichiarazione*.

Assicurato in tal guisa il reddito di anni 7. delle due anzidette Prebende Ubertini, e Grassi, e gli altri piccoli mezzi di risorsa, fu osservato, che per far fronte alle spese occorrenti, onde proseguire fino al termine

la fabbrica dell' enunciata Chiesa, era indispensabile di tener sospese per anni 14. le altre due prebende Canonicali vacanti, e la Cappellania della Mansionerìa Gianfranchi, e fu per questo che Monsignor Baldini Visitatore decretò, che l' Arciprete, ed il Sindaco della Confraternita si rivolgessero alla Sac. Congregazione del Concilio per ottenere la sospensione per anni 7. delle due Prebende Ubertini, e Grassi, e per anni 14. delle altre due prebende vacanti, e della Cappellania della Mansionerìa.

Il Capitolo Lateranense avendo pienamente approvato gli atti dell' enunciate Visite, nulla ha che aggiungere a quanto trovasi stabilito su tale oggetto, e così d'unanime sentimento nel Capitolo de' 20. Luglio 1823.

Oratorum precibus favens monet Emus Senogalliensis Episcopus, quod *summa scut. 3972. 93. adhuc requiritur ad ædificii complementum, et recensitarum præbendarum fructus, vix annua scuta biscentum* (deductis oneribus) *exæquant, quæ quantitas aucta manet usque ad scuta tercentum circiter ex largitate Canonicorum, et Confraternitatis. Quare non immerito ajebam, expostulatam suspensionis prorogationem* (omnium scilicet præbendarum) *extendi ad duo lustra oportere. Sed non minus æquitati consona est alia supplicantium petitio, reducendi scilicet Chori servitium ad dies festivos, aliosque in supplici libello designatos. Ex Collegiatæ Constitutionibus alternis vicibus Canonici Choro sistere tenentur: vilesceret maximopere psalmodia ex duorum, vel trium Canonicorum cantu, quippe modo sex Canonici Chori servitio adstringuntur; videtur igitur Supplicantium petitioni annuendum.*

De urgenti necessitate reparandi Ecclesiam B. M. Virginis de Misericordia nulla esse potest ambiguitas post edita ab hac Sacra Congregatione rescripta *anni* 1796.; neque dubitandum, quævis alia deesse media, si tunc indulta fuit ad *annos* 27. nonnullarum præbendarum suspensio, nunc autem accesserunt deploranda præteritorum temporum infortunia. Animadvertendum tamen, petitam hodie tot præbendarum suspensionem in divini cultus jacturam redundare; nimis enim imminuti numero Canonici ad servitium Chorale alternatim absolvendum prorsus impares evadunt. Maxima vero semper fuit hujus Sac. Congregationis cura, ut

ut hymnis, et canticis in Choro nomen Dei celebraretur.

Si vero Canonicorum votis pro reductione servitii Chori annuendum EE. PP. censeant; perpendendum erit, an proposita ab ipsis reductio sit approbanda. Choralis, enim servitii reductionem si quando hæc S. Congregatio indulsit, eam adjecit conditionem, ut omnes Capitulares Choro interessent tempore Adventus, et Quadragesimæ, omnibus festis, et in Octavis, quas privilegiatas vocant, ut *in Bituntina 27. Septembris* 1770., *in Tusculana 16. Martii* 1771., et innuitur etiam *in Nullius S. Martini 27. Julii* 1822.

Itaque pro ea, qua pollent, sapientia EE. PP. definire dignentur

Dubia

I. *An, et quomodo sit locus suspensioni Præbendæ Montileo, et Mansionariæ Gianfranchi, et prorogationi quoad alias jam suspensas in casu etc.*

II. *An, et quomodo sit reducendum servitium Chori in casu etc.*

Ad I. Affirmative in omnibus juxta votum Emi Archipresbyteri, et notificetur Ministris Datariæ Apostolicæ.

Ad II. Affirmative ad septennium, exceptis omnibus diebus festis etiam reductis, tempore Adventus, et Quadragesimæ, octavis privilegiatis, et festo S. Titularis, cum obligatione celebrandi omnibus diebus reductis Missam lectam pro Benefactoribus, et ad D. Secretarium cum SSmo quoad omnia.

COMEN. LEGATI MISSARUM. Fundum in Territorio Asconæ in loco nuncupato *S. Materno*, Comensis Diœceseos acquisivit, atque ab omni onere liberum diuturno triginta et ultra annorum spatio possedit Franciscus Antonius Gaja Asconensis: verum *anno* 1817. Archipresbyter Asconæ eumdem Fundum Legato sex Missarum quotannis celebrandarum gravari putans, Comensem Antistitem adivit, a quo sequens Rescriptum obtinuit = *Cum ex Voto D. Vicarii Foranei Archipresbyteri Asconæ, ejusque observationibus adjunctis,* *Sess. 22. Cap. 6. de Reform.*

ctis, satis constare videatur de obligatione satisfaciendi Legato sex Missarum, moneat Possessorem Fundi, ut suæ consulat conscientiæ.

Archipresbyter monuit illico Franciscum Antonium, qui se Fundum liberum, et nullius pii Legati oneri obnoxium emisse respondit; quamobrem aliquot mensibus inutiliter elapsis, in Ecclesiæ Sacrario ipsum uti piorum Legatorum contemptorem, Sacramentali absolutione indignum idem Archipresbyter testibus adstantibus declaravit. Antistite, qui Rescriptum ediderat, interea defuncto, contentio ad hodiernum Episcopum delata fuit, qui audito Promothore Legatorum piorum, non satis constare de onere Missarum, et Francisci Antonii obligatione respondit. Archipresbyter autem Episcopi responso minime acquiescens, ab hac Sacra Congregatione petit, ut quid sentiendum, et pro Legati Missarum implemento agendum sit, decernat.

Requisitus, ut moris est, Comensis Episcopus, hæc in sua Informatione exponit = *Trasmetto il Voto emesso dal Promotore, e da me approvato nell' affare Gaja. Non sarà sfuggito dalla penetrazione delle EE. VV., che non è tutto zelo, che mosse l'Arciprete a reclamare contro detto Voto; ma che vi è mescolata una buona dose di amor proprio, e di risentimento contro il Gaja.*

Oltre i titoli, su cui basò il Promotore il suo Voto, un altro ne ho io addotto in appoggio del medesimo Voto, ed è, che non si tratta di un Legato di vero nome; ma della dote Canonica di un Oratorio, ora non più esistente, come ne conviene l'Arciprete stesso . . . . Più non esistendo nemmeno vestigio di detto Oratorio, pare, che debba riguardarsi come cessata una passività unicamente destinata per fare il Divin servigio in quell'Oratorio.

Promothor autem Legatorum piorum in suo Voto, ab Episcopo transmisso, ita disserit = *Nullo modo comprobari potest, neque ex publicis tabulis, neque ex Ephemeride, aliisque documentis fide dignis, bona empta a Francisco Antonio Gaja gravari Legato perpetuo Missarum sex annuarum. Ascedit, quod jam ultra triginta annos possidet ea, et quidem bona fide. Insuper emptionis Instrumentum ne verbum quidem facit de Le-*

Legato. Hinc patet, rumores vulgi esse spernendos, quia ut plurimum vani sunt, neque satis firmi; non enim sine causa oneranda est conscientia, neque imponenda onera, ubi non sunt, ne innocens damnificetur; quæ cum ita sint, censet Promothor, Emptorem Fundi immunem esse ab onere Missarum, donec, et usque quo solidis rationibus, verisque documentis pateat, illud ad dictum Emptorem spectare =

Legati pii existentiam tuetur Archipresbyter Asconæ, quia de eadem se edoctum fuisse affirmat a senioribus populi, quorum tamen neminem nominat: idque etiam a Fundi Venditore, qui jamdiu decessit, se accepisse affirmat, a quo præterea se certiorem factum esse dicit, ideo in Instrumento emptionis venditionis nullam occurrere mentionem oneris Missarum, quia illam interseri Venditor noluit, defectum obtendens descriptionis ejusdem oneris in Ecclesiæ tabella. Verum id minime obesse contendit, quandoquidem omnia fere pia Legata corruerent, si ad ea tuenda publicarum tabularum fides requireretur. Deesse autem monet in suæ Ecclesiæ tabella descriptionem præfati oneris, quia Oratorium, in quo Missæ erant celebrandæ, quodque pluribus ab hinc annis dirutum fuit, ad jurisdictionem Episcopi Novariensis pertinebat.

Illud vero apprime notandum addit Archipresbyter, Fundi *S. Materno*, in quo situm erat olim Oratorium, dimidiam tantum partem a Francisco Antonio Gaja emptam fuisse, aliam dimidiam ad Familiam Bettetini pervenisse; Missas duodecim eodem in Oratorio fuisse quotannis celebrandas, quarum onus æqualiter inter indicatos Fundi possessores dispertiri debuit: reque vera Familiam Bettetini sex annuas Missas ad ipsam spectantes jugiter celebrari curasse. Negat denique Franciscum Antonium pacifica triginta annorum possessione Fundi libertatem sibi asserere posse, cum imo persæpe de implendo Missarum onere fuerit monitus, ideoque nec ignorantiam allegare, nec bonam fidem prætexere valeat.

Archipresbytero reponit Fundi emptor Gaja, ipsum Actorem esse, et rem petere naturali libertati adversantem, qua nefas est quemquam privari, nisi luculentæ, ac numeris omnibus absolutissimæ probatio-

nes

nes afferantur. *Rota cor. Burat. Dec. 6. n. 8.*, *et dec. 20. n. 1.* Missarum autem onera evinci vel prolata fundatione, vel probato per diuturnum tempus implemento, ut in *Vercellen. 12. Septem.* 1750., vel tandem ope descriptionis in Tabella, uti sæpe respondit Sac. Congregatio; præsertim in *Savonen. Commutationis Voluntatis 19. Aprilis currentis anni.* Cum igitur neque fundatio reperiatur, neque satisfactio oneris vigeat, neque demum in Tabella onus descriptum legatur; concludit Emptor, se ad curandam Missarum celebrationem non esse adigendum.

Populi vocibus vel ipsum forsan Archipresbyterum originem præbuisse, animadvertit Emptor Gaja; vel certe illas omnino esse despiciendas: cum et Venditor jamdiu defunctus, et seniores populi, quorum nomina silentio premuntur, testes indicantur, adeout nemo interrogari possit, et ab eo scientiæ causa exquiri. Omnia proinde ab uno Archipresbyteri ore pendent, ac incerti rumoris fines non egrediuntur; quem a publica voce, et fama probe distinguendum esse, et nullo in pretio habendum, sæpe tradit Rota præsertim in *Ferrarien. Immissionis 21. Februarii* 1791. §. 13. *et in confirm. 17. Junii ejusdem anni §. fin. cor. Acciajuoli, et in Ravennaten. Beneficii 22. Junii* 1795. §. 8. *cor. Eodem.* Inde vero consequi videtur, monitionibus ejusdem Archipresbyteri, quibus Emptor perpetuo repugnavit, eam tribui non posse vim, ut ejusdem Emptoris bonam fidem eliminaverint, ac pacificam trigenariam possessionem interceperint.

Cætera, quæ Emptori favent, habent EE PP. in Comensis Episcopi Informatione, atque in Voto Promothoris Legatorum piorum: quibus addit Emptor, se integrum Fundi prætium jamdiu Venditori numerasse, neque ob assertum Missarum onus partem ullam, retinuisse; Fundum proinde a quovis onere immunem acquisivisse; exemplum vero Familiæ Bettetini nullo sibi detrimento esse posse; successionis enim jure medietatem Fundi *S. Materno* eadem Familia est adepta: ac præterea minime constat, num devotionis tantum gratia, num prorsus ad propriam obligationem implendam, sex Missas quotannis celebrari curet.

Proponuntur itaque definienda

Du-

Dubia

I. An constet de Legato Missarum in casu etc.
Et quatenus affirmative
II. An, et quomodo cogendus sit Fundi possessor ad Legati implementum in casu etc.

Ad I., et II. Dilata, et exquirantur probationes a Familia Bettettini, et ab Emo Episcopo Novarien. perquisitis Cancellariæ libris, et SS. Visitationum decretis quoad Oratorium S. Materni jam dirutum.

NURSINA PROCURATIONIS = Antequam Nursina Ecclesia ad Cathedralis honorem eveheretur, Oppidum Vissi, ejusque territorium ad Spoletanam Diœcesim pertinebat. Cum autem *anno* 1610. sacram visitationem perageret cl. me. Card. Barberini, Episcopus Spoletanus „ habita notitia controversiæ inter Moniales (S. Jacobi) Terræ Vissi, et ejus territorii ex una, „ et Canonicos, et Clerum dictæ Terræ partibus ex altera, super contributione procurationis Episcopo debitæ tempore Visitationis excitatæ, et ipsis solutionibus, et contributionibus, per anteacta tempora factis a Monialibus, decrevit, et ordinavit, ut dictæ „ Moniales, et eorum Monasterium pro rata ipsas „ tangente juxta distributionem a Clero factam concurrere, et contribuere in dicta procuratione pro „ hac vice tantum debeant, ita quod in posterum nullo modo cogi possint ad similem contributionem „ faciendam sub cujusvis consuetudinis pretextu „. *Sess. 24. Cap. 3. De Reform.*

Fatentur nihilominus Moniales, procurationem se persolvisse Spoletano Antistiti, cujus post obitum, Vissi pagus Cathedrali Ecclesiæ Nursinæ fuit subjectus, et contendunt, se opportunam ad sua jura sarta tecta servanda protestationem tunc emisisse. Cum autem nuper Vissi Capitulum, et Clerus petierint, ut Moniales ad ferendum procurationis onus concurrerent, supplicem ipsæ huic Sacræ Congregationi Libellum obtulerunt, quo duorum et ultra sæculorum observantiam allegantes implorarunt, servandam esse exemptionem tam longevæ consuetudini innixam, ac præterea Decreto Cardinalis Barberini roboratam.

Epi-

Episcopum requisivi, ut, auditis præsertim Promothore Fiscali, et Monialibus, ac transmissa copia Decreti Cardinalis Barberini, et Particulis SS. Visitationum quoad procurationem, referret de consuetudine, ejusque diuturnitate; utrum, et quomodo persolutæ fuerint procurationes, et an aliis modis contributionem compensaverint Moniales, vel in solutionibus protestationem emiserint. Episcopus autem trasmissis, quæ requirebantur documentis, sic propriam pandidit sententiam „ Refero, quod auditis in scriptis omnibus „ interesse habentibus in re controversa, ac præser- „ tim Promothore Fiscali hujus Curiæ, ne vestigium „ quidem rationis pro Monialibus apparere dignosci- „ tur; quoniam in sui probationem Monasterium supra- „ dictum nil aliud in medium attulit, quam quam- „ dam Decreti copiam a cl. me. Card. Barberini Epi- „ scopo Spoletano, ut Moniales dicunt, facti, et a „ Cancellario illius temporis subscripti. Verum quan- „ ti prædicta Decreti copia sit æstimanda, eventus „ ostendit. Post illud namque non semper Moniales exem- „ ptione illa gavisæ fuere in solvendis procurationi- „ bus, tam occasione visitationis a cl. me. Card. Loca- „ telli factæ, quam a Canali. Adeoque quidquid in „ medium adducant, semper incertum est, cum nul- „ lo rationabili motivo innitatur. Ex adverso satis, „ concludenterque scripsit Capitulum, ac hujus Cu- „ riæ Promothor Fiscalis ad probandum jus a Mo- „ nialibus oppugnatum, utpote ex ipsis Foliis hinc „ inde exhibitis evidenter colligitur.

Idemque confirmat Episcopus alia Epistola, in qua monet Capitulum Vissi ostendere = quod etiamsi anti- „ quitus Moniales præfati Monasterii nullam in pe- „ cuniis solvebant procurationem Episcopis Spoletа- „ nis; tamen quam maxime ministrabant in uten- „ silibus, rebusque lintеariis, tam Episcopo, quam „ comitatui ejus: e contra Moniales (denuo per Epi- „ scopum in scriptis auditæ) nil aliud in medium „ adducunt, quam Decretum cl. me. Card. Barberini, quod „ sensu meo nullius est roboris, utpote non authen- „ ticum, et nullo rationabili motivo fretum, immo „ Canonicis Legibus contrarium, aliisque piis locis „ damnosum. Præterea in aliis solutionibus meis an-

te-

„ tecessoribus factis, numquam protestationem in for- „ ma emiserunt prædictæ Moniales, neque in ipsa „ Spoletana Cancellaria quidpiam invenire potui quoad „ hoc. „

Procurationem solvere, nempe symbolam conferre pro frugali sustentatione Episcopi, ejusque Sociorum in Sacra Visitatione, omnia tenentur Beneficia, et loca pia eidem Visitationi obnoxia, *Cap. Cum instantia* 17. *et Cap. Procurationes* 23. *de censibus*, *et Conc. Trid Sess.* 24. *de Refor. Cap.* 3., *et Sac. Congr. in Civitatis Plebis Procurationis* 19. *Aprilis* 1823. Privilegio tamen, et consuetudine plusquam biscentenaria se exemptionem a solvenda procuratione adeptas esse, contendunt Moniales; privilegio quidem, scilicet Decreto a cl. me. Card. Barberini, Episcopo Spoletano, earum favore *anno* 1610. edito; consuetudine quoque, cum ab eo tempore se procurationem numquam solvisse asserant, præter quam Episcopo Cinali, qui illam exigere voluit, et cui opportuna præmissa protestatione solverunt.

Privilegio, a legitima potestate indulto, exemptionem a præstanda procuratione acquiri posse, non est ambigendum: nulla vero ante Concilium Tridentinum induci contra procurationem poterat præscriptio, etsi centennium tempus, aut hominum memoriam superans, effluxisset, *Cap. Cum instantia* 17. *de censibus*, *Cap. Accedentes* 9., *et Cap. cum ex officii de præscript.*

Cum autem Tridentina Synodus *Ses.* 24. *cap.* 3. *de Reform.* decreverit, *Iis in locis*, *seu Provinciis*, *ubi consuetudo est*, *ut nec victualia*, *nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur*, *sed omnino gratis omnia fiant*, *ibi id observetur*: quæstio moveri cæpta est, an veteris Juris dispositio de procuratione solvenda, ejusque præscriptione, aliqua ex parte fuerit immutata. Quidquid autem sit de universæ Diæcesis, aut Provinciæ consuetudine, complures negant Doctores, etiam post Concilium Tridentinum, longissimo quovis, aut immemorabili tempore unam, alteramve Ecclesiam a procurationis præstatione immunem fieri posse, inter quos *Fagnan. in Cap Venerabilis* 24. *de procuratione*, *Reiffenst. lib.* 3. *tit.* 34. *num* 63., *Pirhing. lib.* 2. *tit.* 26., eosque secuta est hæc Sacra Congre-

gatio in *Pientina Procurat. 20. Novembris* 1756., *et in Aquipendien. 21. Aprilis* 1787.

Alii tamen non desunt Doctores, et Canonistæ, qui præscriptionem centenariam, ac immemorabilem tuentur, ut *Schmaltzgrueber lib. 3. tit. 39. num. 25.*, *Gratian. Disceptation. forens. cap. 59. num. 19.*, *Barbosa de offic. et potest. Episcopi alleg. 73. num. 18.*, atque hanc sententiam *Reiffenst. loco. cit.* communissimam dicit. Quamvis autem *Pirhing lib 3. tit. 39. num. 78.* præscriptionem rejiciat; nihilominus fatetur, possessionem longissimi temporis, vel immemorabilis, communi DD. consensu prodesse, dummodo possessor nulla præscriptione non innitatur, sed privilegio quoque, vel alio legitimo titulo, qui tam diuturna possessione præsumitur, quamvis aliter probari nequeat *argum. L. cum de in rem. ff. De usur.* nihil enim validius innuit legitimum titulum, quam immemorabilis, et centenaria consuetudo. *Rota decis. 24. num. 7. coram Falconerio*, *et in Tudertina Immissionis* 13. *Martii* 1789 §. 5. *coram Emo Cesarei.* Cum itaque Moniales S. Jacobi tam biscentenariam consuetudinem, quam titulum, privilegium nempe a cl. m. Card. Barberini concessum afferant; a præstandæ procurationis onere exemptæ renunciandæ videntur.

Promotor autem fiscalis Nursinæ Curiæ, et Capitulum Oppidi Vissi in Foliis, de quibus meminit Episcopus, plura de consuetudine disserunt, a Monialibus allegata, quam Ecclesiæ perniciosam, et quavis ratione destitutam; ideoque penitus reprobandam dicunt cum *Laym lib. 1. tract. 4. c. 24. num. 4. Roch. cap. ulti. de consuetudine num. 26.*, *Suarez. lib. 7. de leg. cap. 6. num. 10. Reiffenst. lib. 1. tit. 4. num. 34.* Negant præterea, quamlibet Monialium favore consuetudinem invectam fuisse. Initium siquidem præfatæ consuetudinis cum sit ab *anno* 1610. petendum, quo Card Barberini suum edidit Decretum; constat, post ea tempora Moniales procurationem solvisse, tum Episcopo Aqua, tum cl. m. Cardinali Locatelli *anno* 1775., tum denique nuperrimis temporibus Episcopo Canali. Solutiones hujusmodi testantur Acta Cancellariæ Episcopalis Spoletanæ, in quibus nulla reperitur

tur

tur protestatio, nomine Monialium omissa, quæ idcirco perperam affirmant, opportuna protestatione sibi cavisse, quando procurationem Antistiti Canali solverunt. Præfatis vero solutionibus consuetudinem, ac præscriptionem interruptam, penitusque eversam fuisse dubitari nequit.

Tituli, vel privilegii loco haberi posse Decretum Cl. me. Card. Barberini omnino negant pariter Capitulum Vissi, et Nursinus Promothor fiscalis, cum de illo nil aliud, quam informe folium, quavis autenticitate destitutum protulerint Moniales: cumque ejusdem neque vestigium, neque indicium in Actis Spoletanæ Curiæ inveniri potuerit. Quod si *anno* 1610 decretum illud reapse edidit Cardinalis Barberini, potuit ipse quidem liberaliter Monialibus remittere quiquid ei Sac. Visitationem peragenti debebatur, suoque juri valedicere, donec Spoletanam Ecclesiam regeret; nulla tamen facultate pollebat vel Successoribus Episcopis, vel Clero Oppidi Vissi detrimentum inferendi. Quamobrem exemptio a Card. Barberini tributa nunc inutiliter proponitur, cum nullius momenti haberi possit. Consuetudine vero, ac præscriptione, simulque titulo, vel privilegio eliminatis, concludunt Promothor fiscalis, et Capitulum Vissi, nulla prorsus guadere posse Moniales exemptione a procuratione solvenda.

Dignentur itaque EE. PP. ea, qua pollent sapientia, respondere

Dubio 6

An Moniales S. Jacobi Vissi teneantur solvere procurationem in casu etc.

Non proposita cum sequenti.

Ses. 21 cap. 4, et Ses. 24. cap. 13. de Reform.

ARIMINEN. Qui summam imperii tenuere, dum Regnum stetit, quod Italicum dixerunt, *anno* 1805. Legem ediderunt = *per la sistemazione delle Parrochie nelle principali Città del Regno*: qua sancitum fuit, ut pro qualibet Parœcia numerus Parochianorum esset = *nè minore di tre mila circa, nè maggiore di circa ottomila* = Inde vero contigit, ut Arimini quatuor distinctæ Paræciæ S. Martini ad carceres, S. Vitalis, S. Thomæ, ac S. Mariæ Maris, quibus totidem præerant Rectores, Apostolica intercedente auctoritate, in unam coaluerint Paræciam, ab Ecclesia, cui cæteræ adhæserunt, S. Martini nuncupatam. Illius regimen obtinuit antiquus ejusdem Ecclesiæ Parochus Joseph Vannucci, cui ad tramites Italicæ Legis dati fuerunt duo Coadjutores inter illos = *che sono nel servizio attuale* = videlicet Parochus S. Vitalis Petrus Codovilli, et Parochus S. Thomæ Nicolaus Beltramelli; onere ipsis imposito = *In dipendenza del Parroco medesimo assistono alle Parrochie . . . , sono obligati in caso di bisogno a prestarsi in via sussidiaria all' assistenza delle parrocchie sull' invito dell' Ordinario, e succedono di pieno diritto alle vacanze* =

Everso Italico Regno, cum ad Apostolicam Romanam Sedem incredibili totius catholici Orbis exultatione jam rediisset Summus Pontifex, ejusque legitimæ dominationi restitutæ fuissent Provinciæ, quas armorum vis præfato Regno adjunxerat, Sacerdos Codovilli *anno* 1816. hanc Sacram Congregationem adivit, ut ad Paræciam S. Vitalis reintegraretur, de quo controversiam in Episcopali Curia Ariminensi jam moverat, et Ecclesiæ Parochiali, quæ profanos in usus fuerat conversa, subrogaretur publicum Oratorium S. Philippi intra fines Paræciæ situm, quod ad R. C. A. spectabat. Dimissus autem fuit rescripto: = *Quoad exercitium Curæ Animarum utatur jure suo in prosequutione causæ coram Episcopo; in reliquis recurrat ad R. P. Thesaurarium Generalem*. Iterum cum supplicasset Sacerdos Codovilli *annis* 1817., *et* 1818., eodem responso preces exceptæ fuere.

Interea exitiali apoplexiæ morbo correptus Parochus Vannucci, cum se imparem ad parochialia munera oba-

obeunda nosceret, S. M. PIUM VII. exoravit, ut sibi perpetuum Coadjutorem cum futura successione concederet Sacerdotem Franciscum Costa, qui inter datos in Parochiarum unione Coadjutores minime recensebatur. Ægre id tulit Sacerdos Codovilli, et apposito *Nihil transeat* in Dataria Apostolica impedire conatus est, quominus perpetua coadjutoria, saltem quoad suam Paræciam S. Vitalis, ad exitum perduceretur. Nihil tamen ipsi profuit per plures menses acta contentio; nam edito a Dataria Decreto, *obtinuit lacerari nihil transeat*, Litteras Apostolicas expediri *anno* 1818. pro Parochia S. Martini, et executioni committi curavit Sacerdos Costa, qui ob secutam deinde Coadjuti mortem, eadem Paræcia jamdiu libere gaudet.

Hac spe depulsus Sacerdos Codovilli, novo supplici libello *anni* 1820. veteres proposuit instantias *annorum* 1816., 1817., *et* 1818., et responsum habuit: = *Doceat de vera necessitate, et consensu interesse habentium* = cumque preces iterasset *anno* 1821., non aliud rescriptum retulit, quam *in Decretis sub die* 16. *Septembris* 1820. At supplicante rursus eodem anno Sacerdote Codovilli, ejus libellus remissus fuit = *Episcopo in Curia pro informatione, et voto, audito præsertim Parocho Francisco Costa, et referat de exitu litis in sua Curia, transmissis documentis ad rem facientibus* =.

Episcopo suffectus Vicarius Apostolicus, postquam ea confirmavit, quæ hactenus exposui, hæc retulit. *Tempus, meo judicio teritur omne, si aliud in hac causa quæratur, præter quam, an retinenda, vel moderanda sit executio supremi Rescripti SS. Pontificis diei* 23. *Augusti anni* 1806., *quo ordo, et concentratio Paræciarum hujus Civitatis per organum Emi De-Petro sancita, præscriptaque apparet, prout adamussim tenetur, et post lapsos sexdecim annos observatur in præsens. Hic est oppositorum, et reclamantium scopus, huc omnis recidit controversia. Si enim rite, et recte constituta hujus Ecclesiæ nostræ forma, per istam S. Congregationem judicetur, nil tractu temporis*

ac-

accidisse arbitror, quod ipsam in[illegible] [illegible], [illegible] [illegible]mandam suadere possit, et valeat. Hoc unum enixe deprecor, ut qui tandem supremo EE. VV. judicio molestissimæ hujusce contentionis imponendus sit finis, et serio, et graviter reclamantes moneantur quiescere, et scandalum dissensionis tollere de medio Plebis, quæ nunquam adeo periculose turbatur, ut quando de spirituali suorum Pastorum jurisdictione controversia inter ipsos movetur, et pertinaciter fervet.

Paræciæ Ariminensis S. Vitalis, S. Thomæ, et S. Mariæ Maris alteri S. Martini per eam unionis speciem adhæserunt, quam subjectivam appellant Sacri Canones. per quam scilicet Beneficia unita vel ipsum nomen amittunt, et propriis juribus exuta induunt jus, naturam, consuetudinem, et privilegia illius Beneficii, cui uniuntur, uti Doctores tradunt *in Cap. Dudum de elect., Fagnan. in cap. Novit. Ne sede Vacante aliquid innov. num. 3., et S. Cong. in Prænestina 6. Febr. 1820. §. Duo beneficia*. Itaque post expletam unionem una Ecclesia S. Martini, et ejus Rector jura parochialia, quæ cæteræ Paræciæ, et Parochi amiserunt, intacta, et in universum servavit; nam qui fuerunt Parochi S. Vitalis, Petrus Codovilli, et S. Thomæ Nicolaus Beltramelli, Coadjutores facti sunt Parochi S. Martini, et = *in dipendenza del medesimo assistono alla Parrocchia . . . . , sono obligati in caso di bisogno a prestarsi in via sussidiaria all' assistenza delle Parrocchie sull'invito dell'Ordinario* =. Ecclesiæ vero eorum sive alienatæ, sive demolitæ, sive in profanos usus conversæ sunt, ita ut Ecclesia S. Martini uno sub titulo complexa sit cæterarum Paræciarum jura. Sacerdos igitur Codovilli nequit ad administrationem S. Vitalis reintegrari, nisi per dismembrationem Paræciæ S. Martini; quæ *mature canonico consilio* tractanda est; *sine intentione lucri, si necessitas populi exegerit; si longitudo itineris, aut periculum aquæ etc., et si mulierum, vel infantium, aut debilium inbecillitas ad Ecclesiam principalem non possit accurrere*, uti habetur *in Can. 7. Conc. Tolosani an. 843., Trid. Sess. 21. c. 4., et Sess. 24. cap. 13. de refor., S. Cong. in Derthonen. Dismembration. 2. Junii 1764., et in Anagnina Divisionis Paræci. 24. August. 1822.*

De-

Desunt profecto canonica hujusmodi momenta pro dismembratione Parochiæ S. Martini; idque noscens Sacerdos Codovilli, Paræciam S. Vitalis sibi vindicare satagit, quia illam sibi fuisse reservatam asserit, quando Parochus Costa expedivit Litteras Apostolicas; et quia eædem Litteræ, jus alteri quæsitum lædentes, vitio subreptionis laborant. Petente siquidem Parocho Costa Coadjutoriam cum futura successione universæ Paræciæ S. Martini, ipse Sacerdos Codovilli expeditionem Litterarum Apostolicarum remoratus est, apposito in Dataria *Nihil transeat*, ut saltem a Coadjutoria eximeretur ea populi pars, quæ ad Paræciam S. Vitalis pertinuerat. Asserit præfatus Sacerdos, rem omnem ab Emo Pro-Datario compositam fuisse unico rescripto duobus constante capitibus: = *obtinuit lacerari Nihil Transeat* =; quod ita interprætandum contendit: obtinuit Sacerdos Codovilli, non comprehendi in Coadjutoria Paræciam nuncupatam S. Vitalis; in reliquis vero favore Parochi Costa mandavit lacerari *Nihil transeat*. Idque confirmare nititur ex verbis Litterarum Apostolicarum, quæ silent de Paræciis unitis, et de una Paræcia S. Martini mentionem habent. Inde vero concludit Sacerdos Codovilli, sese reintegrandum esse ad administrationem Paræciæ S. Vitalis, utpote sibi ab Emo Pro-Datario concessæ, et in Bullis Coadjutoriæ perpetuæ non contentæ; præcipue cum agatur de concessione odiosa, quæ non debet protrahi ultra expressa. *Cap. quamvis de praeb. in 6., Cap. Cui. de Sacerdotali rit. edo., et Reiffenstuel in jus can. lib 1. tit. 3. de rescript. §. 4. num. 129.*

Quoad subreptionem vero animadvertit Sacerdos Codovilli, minime narratum fuisse Pontifici, quod ipsi quæsitum jus erat succedendi Parocho S. Martini, cujus Coadjutor fuerat renunciatus, ut succederet = *di pieno diritto alla vacanza* = veluti legitur in exemplari Italicæ Legis asservato in Cancellaria Archiepiscopali Ravvenatensi; quam Legem Summus Pontifex probavit, ceu patet ex Epistola ad eumdem Archiepiscopum data a cl: me: Card. De-Petro. Coadjutores vero propriis Parochis in vim ejusdem Legis suffectos fuisse in Archidiæcesi Ravvenatensi, Sacerdos Codovilli affirmat; simulque concludit, quod si hæc om-

omnia Pontifici innotuissent, vel nullo modo, vel difficilius Coadjutoriam cum futura successione Parocho Costa concessisset: quodque proinde Apostolicæ Litteræ ejusdem Coadjutoriæ manifesto subreptionis vitio sunt infectæ. *Rota cor. Veri decis. 57. num. 6., et dec. 191. num. 6. cor. Riminaldo; et S. Congreg. in Fabrianen. Suspensionis nominationis 28. Februar. 1807. §. Quæritur.* Tametsi autem jus in universam S. Martini Paræciam sibi vindicare posset Sacerdos Codovilli, et submoto Parocho Costa illam obtinere; fasces tamen lubenter submittit, quoties libera administratio Paræciæ olim S. Vitalis eidem tribuatur; atque ita controversia finiatur æquitativa transactione ab EE. VV. approbanda.

Verum negat Parochus Costa, juxta stylum Curiæ verba rescripti *obtinuit lacerari nihil transeat*, ita sejungi posse, ut duplicem sensum habeant; contenditque, rescriptum sibi uni favere, cui laceratio *nihil transeat* fuit indulta. Quod si secus esset, ad omnem ambiguitatem eliminandam Emus Pro-Datarius rescripsisset, *Quoad Codovilli obtinuit*, et quoad Costa *mandavit lacerari Nihil transeat*. Negat pariter receptam in Ravennatensi Archidiœcesi esse praxim, ut Parochi, qui Coadjutores actu exercentes Parochiarum reductione evaserunt, Parochis coadjutis succedant: quod affirmavit quidem Sacerdos Codovilli, sed nulla prorsus probatione evicit. Animadvertit immo Parochus Costa, cl: me: Card. De-Petro in Epistola, quam ad Archiep. Ravennatensem dedit, minime probasse Italici Regiminis sanctionem, quæ statuit, ut Coadjutores = *succedano di pieno diritto alle vacanze.* = Nulla siquidem hujusmodi sanctionis habita mentione, facultates Archiepiscopo tribuit, = *Affinchè Ella con delegata Apostolica Autorità possa procedere ad una nuova riquadratura, e sistemazione di Parrocchie*= , appositis conditionibus, quæ cum unionis factum dumtaxat respiciant, Apostolicum indultum ad novos tantum Paræciarum fines regundos pertinere videntur: eoque certius, quia in memorata Epistola expresse cavetur, quod si = *qualche particolar caso, e circostanza non preveduta esigesse altro speciale riguardo del S. Padre, compiacerassi V.S. Illma informarne distintamente Sua San-*

Santità, per avere in seguito quelle determinazioni, che la Santità Sua crederà convenienti = .

Itaque pro certo habendum contendit Parochus Costa, nova illa Italica methodo derogatum nequaquam fuisse saluberrimo Tridentinæ Synodi Decreto, strenue, ac perpetuo per hanc S. Congregationem vindicato, quo Paræcias nonnisi per concursum, et facto experimento conferri præscribitur iis, qui idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis *Sess.* 24. *cap.* 18 *de refor.* Inde vero infert, Sacerdoti Codovilli nullum jus quæsitum fuisse in Paræciam Sancti Martini, dum perpetuus Coadjutor Parochi Vannucci fuit renuntiatus; ideoque perperam de subreptione institutam fuisse controversiam, quia Pontifici narratum non fuerit id, quod pro rei veritate narrari nullo modo poterat.

Addendum præterea, Sacerdotem Codovilli acriter in Dataria Apostolica adversus Parochum Costa certasse, assertumque jus vigore Legis Italicæ sibi quæsitum proferre non omisisse. Illud igitur apprime novit Pontifex, compertumque habuit Apostolica Dataria, quæ Litteras Coadjutoriæ cum futura successione favore Parochi Costa expedivit; hæc autem scientia satis est superque ad vitium quodlibet obreptionis, ac subreptionis excludendum, uti docent *Cyriac. contr.* 160. *num.* 28., *et seq.*, *Palma alleg.* 201. *num.* 25., *Rota in Recent. part.* 13. *dec.* 227. *num.* 9., *et dec.* 535. *num.* 5. *coram Olivat.* Monet quoque Parochus Costa, verba illa, Coadjutores = *succedono di pieno diritto alle vacanze* =, quæ leguntur in exemplari Italicæ Legis asservato in Archivio Archiepiscopi Ravennatensis, non reperiri in ipsamet Lege, videnda in Collectione Legum, quam edi, et = *Bollettino delle Leggi* = nuncupari Italicum Regimen voluit. Prætereundum denique non est; Sacerdotem Codovilli nullam facultatem impetrasse obloquendi adversus Litteras Apostolicas a Parocho Costa obtentas; quæ profecto, non impetrata oris aperitione, oppugnari minime possunt.

Quatenus vero EE. VV. placeat Sacerdotem Codovilli reintegrare ad Paræciam S. Vitalis; cum vetus Eccle-

 sia

sia Parochialis ad profanos usus fuerit conversa; statuendum erit, qua in Ecclesia functiones parochiales exercere debeat, et an tradendum ei sit publicum Oratorium = *di proprietà della publica beneficenza sotto il titolo di S. Filippo Neri, addattatissimo, e suscettibile della cura, per la sufficiente sua vastità, e decoroso ornato* =. ut ipsemet Sacerdos Codovilli affirmat.

Proponitur itaque dirimendum Dubium,

An, et quomodo Sacerdos Codovilli sit reintegrandus ad Paræciam S. Vitalis in casu etc.

Die Sabathi 8. Maji 1824. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NURSINA PROCURATIONIS

Sess.24. Cap.3 de Reformat.

Dubium

An Moniales S. Jacobi Vissi teneantur solvere procurationem in casu etc.

Affirmative

ARIMINEN. Sacerdos Petrus Codovilli post superiora Comitia duo mihi exhibuit Documenta, quibus jus suum validius tueri satagit; cumque omnino ad *factum* pertineant, quidnam ex ipsis eliciatur, vobis EE. PP. exponere mei muneris esse censeo. Altero nos monet Archiepiscopalis Ravennatensis Tabularii Custos, inter *Acta, et Decreta quintæ Sacræ Visitationis Codronchi* extare typis impressum Decretum Italici Regiminis, de quo in superiori Folio verba feci, et in quo hæc leguntur = *Questi* (Parochi Coadjutores) *sono obligati in caso di bisogno a prestarsi in via sussi-*

Sess.21. Cap.4., et Sess.24. Cap. 13. de Reform.

sidiaria all'assistenza delle Parrocchie sull' invito degli Ordinarj , e succedono di pieno diritto alle vacanze =. Testatur præterea , quod ab Archiepiscopo = *in forza di Lettere dell' Emo , e Rmo Sig. Cardinale di Pietro in data 27. Luglio 1805. . . . . . furono riunite , e concentrate le Parrocchie in questa Città* (nempe Ravennæ) *secondo le indicate prescrizioni governative* 1805.=

Altero vero Documento Archiepiscopalis Ravennatensis Curiæ Cancellarius testimonium perhibet, Ravennatensem Archiepiscopum executioni pluries mandasse postremam indicati Decreti partem de jure succedendi ad Paræcias vacantes : et ideo Sacerdoti Aloysio Badessi Parocho S. Clementis in Ecclesia S. Joannis Baptistæ = *succedette in quella Parrocchia, attesi i meriti , e servigj prestati , il Molto Reverendo Sig. D. Felice Rasi tuttora vivente , il quale era prima Parroco della Chiesa de' SS. Vittore , e Socii Martiri* =; quæ Paræcia alteri S. Clementis unita fuerat : itemque Parocho S. Appollinaris in S. Vitalis Ecclesia , cui unita fuerat Paræcia S. Crucis, *succedette, attesi parimente i meriti , e servigj prestati , il molto Reverendo Sig. D. Agostino Strani , già Parroco riunito di S. Croce.*

Cætera habent EE. VV. in superiori Folio , ut dirimere valeant.

Dubium

An , et quomodo Sacerdos Codovilli sit reintegrandus ad Paræciam S. Vitalis in casu etc.

Negative in omnibus

Sess. 24. Cap. 3. De Reformat. Matrim.

CALARITANA SPONSALIUM Joseph Onnis , et Josepha Usai , Vidua Grosso, ambo Calaritani , et prima ju-

juventute florentes, mutua benevolentia, et amore exarserunt: hinc amatorie per fenestras colloqui cœperunt, dein precibus, et viri protestationibus, nec non amoris stimulis fatigata mulier, incaute Josephum nocturno tempore domum suam ingredi permisit. Josephæ Mater, agnatique, ægre admodum hunc amorem tulerunt, ac protestati sunt, nunquam se matrimonio consensum præstituros, *perchè il partito non era eguale al primo Marito di detta Grosso, che era laureato in Medicina*, quemadmodum plures affirmant testes. Mutuam juvenum benevolentiam, imprudentiamque vicini, et contubernales agnoverunt, qui incautos intra cubiculum colloquentes deprehendere statuerunt; idque insciis Vidua Grosso, ejus Matre, et Fratribus exequutioni mandarunt. Fugam arripuit Joseph, ac in Civitatis vigiles incidit, qui eum tamquam furem in vincula duxerunt, quamvis illico, et enixe protestatus fuerit, se non furandi, sed amoris causa domum illam petiisse: Arci deinde, cui ab Aquila nomen est, inclusus, ibique permultos menses detentus, præstita idonea cautione, tandem pristinæ libertati est restitutus.

Josepha tunc ad Judicem venit, petens, ut Joseph sponsalia, quæ inita asseruit, implere cogeretur. Interrogati judiciorum ritu fuere testes, quorum dicta EE. PP. habent in *Summario*, Viri nomine circumferendo; ac demum Apostolicus Delegatus appellationum, et gravaminum judex, sententiam juxta Mulieris vota dixit, decrevitque, *Josephum Onnis adstrigendum esse ad nuptias cum Josepha Grosso Usai quantocius contrahendas*. Ad Sedem Apostolicam provocavit Josephus, et controversia hodie in gradu Appellationis definienda proponitur. Jura sua tuetur Josephus Onnis Allegatione typis impressa, et Vobis distribuenda: Vidua vero nihil mihi exhibuit, quamvis terminus ad deducenda jura sua præfinitus sex ab hinc mensibus effluxerit.

Negat Josephus, umquam prætensa intercessisse sponsalia; quæ mutuum contrahentium consensum apertissimis verbis expressum, ac utrinque probatum requirere affirmat. Nihil prorsus a Muliere evinci dicit Joseph, cum nulla exhibeatur Syngrapha,

pha, aut scriptura, et a testibus tota res pendeat; hi autem idonei non sint, nullamque mereantur fidem, quia eidem mulieri vel cognatione, vel familiaritate, vel contubernio conjuncti, proindeque in judicio minime sint audiendi. Quod si eorum testimonia admittantur, ex iis tamen sponsalia nullo modo probari Josephus contendit. Omnes sunt singulares, nec rem narrant de eadem hora, de eadem nocte; testes autem singulares nihil probant, in hodierna præsertim controversia, in qua de amittenda libertate agitur *Cap. Licet Causa. De Probat.*, *Rota cor. Emeriæ decis.* 89. *num.*4, et late *decis.*23. *num.* 7., *et decis.*49. *num.* 3. *post Cosc. De Spons. Filiorum fam.* Aliquem etiam ex testibus arguit de mendacio: alios generalia verba audivisse animadvertit, quæ vel nihil, vel dispositionem tanse animadvertit, quæ vel nihil, vel dispositionem tantum ad contrahenda sponsalia, non perfectam, deliberatamque voluntatem præseferunt, ceu docent *Sanchez De Matrim. lib.*1. *disput.* 18. *num.* 25., *et* 26., *Panimoll. decis.* 25. *num.* 6.

Itaque concludit Josephus, ex testium dictis nullam de initis sponsalibus erui probationem. Cæterum etsi de Sponsalibus constaret, se ad Matrimonium contrahendum nequaquam esse cogendum asserit. Nullum enim intercessit juramentum, ideoque sponsalia non ex gravi, sed ex levi, imo et levissima causa dissolvi possunt. *Cosc. de Spons. Filiorum fam. Vot.* 3. *num.* 46., *Rota cor. Ansald. dec.* 979. *num.* 4., *et in Constantien. Sponsalium* 26. *Junii* 1748. §. *Inapplicabilis cor. Card. Elephantulio*, *et* 17. *Januarii* 1749. §. *Constabilita cor. de Vais.* Gravissimam autem causam profert Josephus dissensum Parentum suorum *Cosc. loc. cit. Vot.* 1. *num.* 171., *et apud eumdem Rota dec.* 5. *num.* 10., *decis.* 6. *num.* 2., *et dec.* 17. *num.* 20. nec non obortas inimicitias ob hodiernam contentionem, atque ob passas diuturnæ in Arce detentionis ærumnas, quas omnes culpæ Mulieris tribuit. Profecto sponsalia scripto etiam, et ineluctabilibus monumentis probata, ob supervenientes inimicitias dissolvi tradit post alios *Cosc. de Spons. Filiorum fam. Vot.*4. *num.* 141., *Vot.*7. *num.* 110., *et Rota post eumd. dec.*5. *num.* 10. *Decis.*6. *num.* 2., *et* 3., *et dec.* 17. *num.* 20. Cætera vero habent EE. PP. in Allegatione pro Josepho distribuenda.

Ve-

Verum sponsalia mulieris favore his verbis vindicat Sententia Delegati Apostolici = *Non tantum apertis verbis de futuro matrimonio inter duos invicem tractatus haberi potest, quæ vim exerant mutuæ promissionis, et vinculum juris inducant, sed præsumptionibus etiam validis, et urgentioribus argumentis, indiciis, rebus, et factis, quæ judicis animum commoveant, et instruant, et plenæ probationis pondus constituant*: idque reapse docent Canonistæ omnes in *Cap. Si inter virum, et uxorem 31. de spons., et signanter Abb. num. 6. Fagn. n. 6., Panimoll. annot. 1. ad dec. 23. n. 12. Rota cor. Cavaler. decis. 421. n. 1. cor. Molin. decis. 1325. n. 5. tom. 5., et in Reatina Sponsalium 29. Januarii 1753. §. Non itaque, et §. Ad suadendum cor. Bussio.* Nihil enim interest, utrum signis potius, quam verbis, pandita sit voluntas contrahentium, cum et verba sint voluntatis signa. *Cosc. de spons. Filiorum fam. Vot. 5. n. 9.*

Rejiciendi autem non videntur testes consanguinei, vicini, contubernales, familiares, cum et agatur de re, quæ nocturno tempore, et clandestine contigit, et hi tantummodo, ac vere præsumantur informati *Capit. Quanto, et Cap. Quosdam de præsumptionibus, Leg. Si vicinus Cod. de nuptiis, Leg. Actori ff. unde Cognati, Leg. Filium Cod. de Liberali causa. Rota in recent. part. 2. decis. 298. n. 2.* Scitum est imo, in omnibus casibus difficilis probationis, testes domesticos, ac alias inabiles admitti, *Cap. fin. ubi Doctor. De Testibus cog.*, ac præsertim in Sponsalibus, quæ clandestine fiant. *Rot. in Recent. part. 2. Dec. 182. n. 5.* Accedit in themate, omnes testes formali examini subjectos de facto proprio deposuisse, et juramento dicta sua firmasse; quod plurimi faciendum esse quisque intelligit, et monet *Rota in Recent. part. 4. tom. 2. Dec. 443. n. 18.*

Ex testium vero depositionibus (prosequitur Sententia Delegati) *evincitur, prædictos litigantes, dum inter se noctu alloquebantur, vel ad fenestram, vel in eodem cubiculo inclusos, multa de futura vitæ consuetudine instituenda statuisse, postquam Matrimonii fœdere conjuncti fuissent, præsertim de ipsius Viduæ matre ejicien-*

cienda, quæ adeo eorum nuptiis infesta erat, eamque non semel minis, et verberibus ab iis contrahendis retrahere conata fuit, deque aliis rebus in futurum tempus collatis, quæ sane urgentissimam inducunt præsumptionem, jam inter se certo convenisse de futuro conjugio. Ex testium verbis, in *Summario* Viri legendis cognoscent EE. PP., quæ, et quanta ipsi de litigantium colloquiis referant, et affirment. Quo vero ad inimicitias, et dissidia, hæc non semper tanti sunt, ut sponsalia (si adsint) illico dissolvantur; sed tum demum dissolutio decernitur, si irrationabiliter e sponsis alter dissolutioni consensum præbere detrectet.

Vestrum erit quoque EE. PP. statuere, utrum mulieris silentium pro consensu dissolutioni sponsalium præstito habendum sit; vel potius ejus paupertati, quæ ex testibus quoque eruitur, sit tribuendum, præsertim cum apud Calaritanum Tribunal sponsalium validitatem propugnaverit, eorumque observantiam totis viribus urserit. Itaque proponuntur.

Dubia

I. *An constet de sponsalibus in casu etc.*

Et quatenus affirmative

II. *An cogendus sit Joseph ad Matrimonium contrahendum in casu etc.*

Ad I. Negative

Ad II. Negative

Sess. 24. Cap 15. de Reformat.

CORCYREN. MISSÆ CONVENTUALIS = Corcyrensis Metropolitanæ Ecclesiæ Canonici, nemoribus privati, quæ dono Philippi Andegaviæ Ducis per quingentos annos possederant, et a quibus, maximam in partem culturæ subactis, pingues obtinebant reditus; cum hodie tenuem tantum, et vitæ sustentandæ vix parem a Gubernio pensionem accipiant, suppli-

ci-

citer orant, ut Missæ conventualis applicatio ad solos dies festos reducatur, et absolutio indulgeatur iis Canonicis, qui pro Benefactoribus in genere Missæ applicationem jam omiserunt.

Archiepiscopo Corcyrensi pro informatione, et voto litteras dedi, ejusque refero responsum = *Postquam Insula a Venetæ Reipublicæ imperio avulsa fuit, ac exterorum dominatui subjecta, Canonicorum præbendæ in Fisci ærarium relatæ fuerunt, tenui tantum pensione singulis Canonicis assignata. Ea est scut.* 20. *monetæ, quam vocant* Talleri, *in singulos menses pro unoquoque Canonico, atque in ea distributiones etiam quotidianæ comprehenduntur, præter hæc nihil omnino, sive in præsenti pecunia, sive in aliis reditibus concessum eisdem est. Atque pensatis omnibus illius loci circumstantiis, id est sane perquam exiguum, ac vitæ sustentandæ vix idoneum. Onera autem, quibus gravantur, sunt interesse Choro singulis diebus, Sacrum offerre; prima die non impedita in quolibet mense, ubi dies cadet, aliquot anniversaria celebrare pro defunctis Archiepiscopis, Canonicis, et Mansionariis, ac demum nonnulla pia Legata satisfacere, pro quibus tenuissimus reditus est tributus. Porro hæc eadem onera Canonicis imposita erant transacto tempore, dum unusquisque sua præbenda potiebatur, quarum quidem præbendarum reditus in aliquibus duas tertias partes, in aliis dimidium superabant pensionis, quæ nunc iisdem rependitur. Reditibus autem in tam prægrandi summa imminutis onera etiam, atque idcirco Missam Conventualem imminui debere, æquum videtur.*

Ecclesiæ Sacrario scuta novem pro quolibet mense assignata sunt: ad ipsum vero incumbit sumptus facere pro sacris functionibus, pro supellectilibus comparandis, ac reficiendis, pro æditituis, aliisque Ecclesiæ servitio addictis, ac demum pro cæteris omnibus rebus, quæ ipsius Ecclesiæ conservationi, ac Divino cultui sunt necessariæ. Ex quo facile est colligere, nihil a Sacrarii reditibus excerpi posse, ut Canonicorum necessitatibus occurratur pro conventuali Missa singulis diebus celebranda. Eam itaque ad solos festos dies de præcepto, qui quidem in mea Diœcesi juxta veterem Romanæ Ecclesiæ ritum, ac institutum moderantur,

reducendam censerem = Monet demum idem Archiepiscopus, quod = *Ecclesiastici omnes, qui in Ecclesia operam navant, sunt quatuordecim, ex quibus undecim Canonicali honore insigniti, atque ex iis novem tantummodo Canonici Presbyteri, quibus incumbit celebratio Missæ conventualis. Hi autem novem Canonici ferre tenentur onera, quæ superius exposita sunt, atque insuper aliqui ex iis inservire debent aliis Ecclesiis in Civitate positis, quia Sacerdotibus orbatæ sunt usque ab eo tempore, quo Regulares pulsi fuerunt* =.

Conventualis Missæ celebratio in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, insignibusque Collegiatis ab Honorio III. primum inducta *Cap. cum creatura de celebr. Miss.* semper uti pars Divini Officii habita est *Cap. de his. dist.* 12, *Glossa in Clementina prima de celebr. Miss.*, eamque non tantum celebrandam, verum et pro Benefactoribus in genere applicandam, constans fuit Sacræ hujus Congregationis sententia, ut in *Terracinen.* 18 *Martii* 1719. idque expresse dein præcepit S. M. Benedictus XIV. in notissima Constitutione *Cum semper oblatas*, quam edidit *die* 19. *Augusti* 1744. Onus etiam hoc, veluti a Fundatoribus impositum, etsi minime expressum, habendum putat *Fagnanus ad Cap. Cum creatura num.* 21. *De celebr. Miss.*, qui insuper addit, illi esse satisfacendum, non obstante tenuitate redituum *in C. ut Abbates num.* 82. 83. *de ætate, et qualit.*, ipsique adhæret inter alios Monacellus *in Append, ad Form. Leg. adnot. ad Decret. Innocentii XII. de celebr. Miss. num.* 12. Benignius autem Benedictus XIV. in citata Constitutione ob tenuitatem præbendarum Missam Conventualem ad solos dies festos de præcepto reduci posse statuit, si cætera desint remedia a S. Concilio Tridentino probata *Sess.* 24. *cap* 15. *de Reformat.*, vel nempe ut Canonicalibus præbendis uniantur *aliquot simplicia beneficia non tamen regularia*, vel ut *aliquibus ex iis suppressis . . . . ad pauciorem numerum reducantur*: atque hujusmodi reductiones hæc Sacra Congregatio indicatam ob causam pluries indulsit, ut *in Placentina* 30. *Julii* 1796., *in Firmana* 26. *Septembris* 1817., *et in Massanen. Reductionis onerum* 14. *Decembris* 1822.

Videant tamen EE. PP., an petita reductio conceden-

da

da sit Corcyrensibus Canonicis, quorum singuli præbendæ loco annuam pensionem percipiunt scutorum Vindelicorum 240. quæ respondent *Rom. scutis* 228. Reduci siquidem ad dies festos non solet Missa conventualis ob tenuitatem redituum, quando hi annua *scuta* 30. excedunt, uti censuit hæc Sac. Congregatio in *Taurien.* 10. *Julii* 1790., *in Camerinen.* 14. *Decembris* 1793., *et in Massanen. Reductionis onerum* 14. *Decembris* 1822. §. *At videant.* Verum non desunt majoris benignitatis exempla: et in mox *citat. Messanen.*, quamvis Canonicorum præbendæ annua *scuta* 80. superarent, una excepta, cujus reditus *scuta* 40. vix excedebat; responsum tamen editum est = *Consulendum esse Sanctissimo pro gratia reductionis applicationis pro Benefactoribus in genere ad omnes dies festos etiam reductos, ad decennium* =.

Benignitatem vero hujus Sac. Congregationis excitare nituntur Corcyrenses Canonici exponendo, paucos inter ipsos esse Presbyteros (sunt autem undecim Canonici, quorum novem Presbyteri) quibus plura Missarum onera incumbunt. Pensionem nimium tenuem dicunt, et vitæ sustentandæ vix sufficientem: idque aperte confirmat Archiepiscopus addens, nonnullos e Canonicis inservire debere aliis Ecclesiis, *quia Sacerdotibus orbatæ sunt*; ideoque concludit, sibi videri æquum esse, ut Missæ conventualis implorata reductio concedatur. Norunt tamen EE. PP., quod si alia Missarum onera ferre Canonici cogantur, vel respondens emolumentum percipiunt, vel reducenda erunt hujusmodi onera, si reditus illis ferendis pares defecerint: neque facile permittendum esse, ut Canonici proprio muneri desint, suæque Ecclesiæ servitium deserant, ut aliis Ecclesiis inserviant.

Quoad Missas hactenus a nonnullis Canonicis non applicatas pro Benefactoribus, Sacra Congregatio non raro jussit onera impleri, et absolutionem, nisi omissiones supplerentur, denegavit, ut in *Balneoregien.* 19. *Augusti* 1713. *ad I. dub.*; sæpius tamen exorandam esse a Sanctissimo absolutionem respondit ob probabilem impotentiam supplendi, ut in *Spoletina Missæ conventualis*, 1. *Martii* 1729., *in Feretrana* 17. *Septembris* 1808., *et in Mazzarien.* 2. *Junii* 1821.

Impotentiam supplendi quoad Corcyrenses Canonices, qui Missas applicare pro Benefactoribus omiserunt, asserta a Capitulo, et confirmata ab Archiepiscopo tenuitas pensionis suadere potest.

Proponuntur itaque dirimenda

Dubia

I. *An, et quomodo sit locus reductioni Missæ Conventualis quoad futurum in casu etc.*

II. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritas omissiones in casu etc.*

Ad I. Negative in omnibus.

Ad II. Affirmative, celebrata cum interventu totius Capituli unica Missa cum cantu, et unica Missa lecta a Singulis, qui Missarum celebrationem omiserunt.

Sess.25.cap.12. De Reformat.

BRICTINORIEN. JURIS DECIMANDI, ET BENEDICENDI. Finibus Abbatiæ S. Ruffilli Foripompilii, Nullius Diœcesis, CapituloSS.Patriarchalis Basilicæ Vaticanæ perpetuo unitæ, Parochiales continebantur Ecclesiæ Divi Petri Principis Apostolorum, cujus Archipresbyter erat Episcopus Brictinoriensis, et S. Cristophori *de Salbagnone*, quæ ad Brictinoriensem Diœcesim pertinebat. In territorio autem ejusdem Abbatiæ inter cæteras recensebantur Archipresbyteralis Ecclesia S. Nicolai *de Meldula*, et Parochiales Ecclesiæ S. Rufilli de *Vitignano*, S. Andreæ *in Rossano*, ac S. Mariæ *in Fiordinano*; Archipresbyteralis S. Nicolai Ecclesia regenerationis lavacrum incolis cæterarum Paræciarum ministrabat: cumque ob locorum distantiam, et viarum asperitatem, periculum animarum infantium Baptizandorum immineret, Decreto Capituli Vaticani *die 7. Decembris* 1626. Ecclesia S. Mariæ *in Fiordinano* Archipresbyteralis cum Fontis privilegio fuit constituta, eique cæteræ Parochiales fuere attributæ = „ salvis tamen, ac reservatis Archipresbytero Meldulæ circa reliqua, quibuscumque juribus, et signanter circa decimas, talia qualia sunt, et illi competunt . . . . et in eo statu,

„ tu,

,, tu, in quo hodie reperiuntur, nec novo Archi-
,, presbytero, et novæ Plebi *di Fiordinano* ullo unquam tempore jus aliquod quæratur, aut quæsitum censeatur in præjudicium dicti Archipresbyteri, et Plebis Meldulæ ,, Spectabat autem ad Archipresbyterum Meldulæ etiam jus benedicendi Domos tempore Paschali; pariterque Archipresbyter S. Petri de Foropompilio in memoratis Paræciis decimandi, ac benedicendi jure pollebat.

Promiscuo ex territorio frequens erat controversiarum occasio. Quamobrem *die* 18 *Novembris* 1816, Apostolica intercedente auctoritate, permutatio inita fuit, qua Paræciæ S. Petri, et S. Christophori, Brictinoriensi Episcopo subjectæ, attributæ fuerunt Abbatiæ, et Vaticano Capitulo, Paræciæ vero S. Rufilli, S. Andreæ, S. Mariæ, una cum aliquot aliis Parochialibus Ecclesiis, ab Abbatia ipsa dismembratæ, Episcopo fuere concessæ. Permutatione autem non obstante, Archipresbyteri S. Nicolai de Meldula, et S. Petri de Foropompilio jura decimandi, et benedicendi, ut antea exercuerunt: sed illa in Paræciis sibi adscriptis ob permutationem evanuisse contendit Brictinoriensis Episcopus, idque ab hac Sac. Congregatione declarari petit.

Apostolicis enim permutationis Litteris cautum est =
,, quod salvum, et illæsum servetur Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Brictinoriensis jus exigendi decimas in quadam parte territorii Ecclesiæ S. Christophori de Salbagnone, eo prorsus modo, quo usque in præsens illud exercuit ,,. Siquid igitur juris (ita disserit Episcopus) in dismembratis Paræciis sartum tectum Archipresbyteris Meldulæ, et Foripompilii servari voluisset, æque perspicue fuisset memoratis in Litteris expressum.

Animadvertit quoque idem Episcopus, Decimas esse præmium laboris, et ideo in *cap.* 1. *caus.* 16. *quæst.* 7. Episcopo fuisse concessas, ut illas Clericis laborantibus distribueret; peracta vero Paræciarum divisione, Parochisque regendi, ac pascendi munere oneratis, Decimas ipsis fuisse assignatas. *Cap. Cum contigat.* 29., *et Cum in sua* 30. *de Decimis*. Nullum laborem obeunt, nullam operam conferunt memorati

Ar-

Archipresbyteri pro dismembratis Paræciis, quæ ex nova circumscriptione extra Diæcesim quoad ipsos sunt positæ. Incongruum autem foret, ut Brictinoriensis Episcopatus fines invaderent, cum in *Cap.* 18. De *Decimis* aperte statuatur, esse attendendum *etiam si illæ Ecclesiæ in uno sint, vel in diversis Episcopatibus constitutæ, quia difficile nimis videtur, ut una Ecclesia in Episcopatu alterius percipiat Decimas, cum ex hoc Episcopatuum fines confundi non immerito viderentur*.

Nec aliter de domorum benedictione in Sabatho Sancto sentiendum Episcopus Brictinoriensis affirmat: cum hujusmodi benedictio inter functiones, ac jura Parochialia recenseatur, uti statuit hæc Sac. Congregatio in *Bononien.* 4. *Julii* 1620., et uti etiam *Quaranta verb. Missa in fine* decisum refert a S. R. C. *die* 18. *Maji* 1602., et monent *Pignatelli Tom.* 8. *cons.* 37. *num.* 86., qui ita definitum fuisse dicit a Rota in *Romana Funeralium* 14. *Decembris* 1620. *cor. Coccino*: idemque tenet *Barbosa in Summ. Dec. Apost. coll.* 391., *Monacell. tit.* 13. *num.* 54., *Riccius in prax. For. Eccles. part.* 4. *resp.* 311. Peragitur siquidem benedictio cum stolæ delatione, quæ jurisdictionem importat. Samuel *de Lep. tract.* 1. *disput.* 3. *cont.* 7. *num.* 9., *et disput.* 4. *contr.* 22. *num.* 13. immerito proinde Archipresbyteri Meldulæ, et S. Petri de Foropompilio intra fines Episcopatus, ad quem non pertinent, actus exercere præsumunt, qui jurisdictionem involvunt, ad quam extinguendam permutatio Paræciarum fuit inita, et Apostolicis Litteris firmata. Quin consuetudine tueri se possint: nam ab *anno* 1816. in posterum nulla, tam brevi tempore, invehi potuit consuetudo: quæ autem olim inolevit, mutata Parochiarum Diæcesi evanuit, neque ad præsentem illarum statum pertinere potest.

Vaticanum autem Capitulum ex permutatione Paræciarum nullum detrimentum, nullamque jacturam Archipræsbyterorum jura subiisse arbitratur: cum ad tollendum jus quæsitum vel expressam illius abrogationem requiri contendat, vel certe quod juris exercitium, permutatione peracta, impossibile omnino evaserit. *L.* 185. *ff. de R. I.*, *Reg.* 6. *de reg. juris in* 6. Nulla

6. Nulla jurium abrogatio expressa ostenditur; imo cum in Apostolicis Litteris Paræciæ *cum omnibus, et singulis beneficiis, locis, atque operibus suis, juribus, ac privilegiis, cæterisque pertinentiis perpetuo respective* concessæ fuerint; expressa de decimandi, benedicendique jurium incolumitate sanctio adesse videtur, quia in toto et pars continetur. *L.* 113. *ff. de reg. juris.*

Quod si nullum de controversis juribus verbum in permutatione excidisset, nihilominus illa omnino illæsa mansissent. Permutatio enim species est alienationis *Cap. nulli* 5. *de reb. Eccl. non alienandis*, jamdiu autem statutum fuit, quod *alienatio cum fit, cum sua causa dominium ad alium transferimus, quæ esset futura, si apud nos ea res mansisset. Leg.* 67. *ff. de contrah. empt.*, et in *L. traditio* 20. *ff. de adqu. rer. domin.* Præterea permutatio inter Brictinoriensem Episcopum, et Vaticanum Capitulum intercessit, hæ fuere partes contrahentes; pactum autem expressum de Decimis favore Capituli Cathedralis Brictinoriensis fuit adjectum. Itaque hujusmodi pactum ad omnem quidem ambiguitatem relate ad Capitulum Cathedralis amovendam appositum est censendum; nequaquam vero ad novationem contrahentium juribus inferendam, cum ea, quæ ad unum finem inducta sunt, ad alium non sint producenda, et quæ dubitationis tollendæ gratia contractibus inseruntur, Jus commune non lædant. *L.* 8. *ff. De Reg. Jur.*

Animadvertit quoque Vaticanum Capitulum, de jure decimandi in alieno territorio controversiam a Brictinoriensi Episcopo frustra excitari; cum ipsius Capitulo expresse reservata fuerit facultas, decimas ut antea colligendi in Paræcia S. Christophori *de Salbagnone*, quæ nunc ad Abbatiam S Ruffilli Nullius Diœcesis pertinet: domestico proinde exemplo contentionem esse sublatam, idem Episcopus fateri cogatur. Cum Brictinoriense Capitulum nullum onus pro Parochianis S. Christophori subeat; Decimas non semper esse laboris præmium, concludit idem Vaticanum Capitulum: quod cæteroquin et juri, et notissimæ experientiæ congruit.

Quæ vero de jure decimandi attulit, eadem ad jus quoque

que benedicendi Domos tempore Paschali pertinere censet Capitulum Vaticanum; cum de auferendo Archipræsbyteris Meldulæ, et S. Petri de Foropompilio benedicendi jure, ne verbum quidem in Litteris Apostolicis permutationis Paræciarum occurrat; cum inter jura generatim reservata Parochiale quoque benedicendi jus contineri pro certo sit habendum; cum denique uti jus decimandi, ita et jus benedicendi possit in aliena Diæcesi exerceri.

Pro coronide tandem addit Vaticanum Capitulum, neque de jure decimandi, neque de jure benedicendi Domos ante Paræciarum permutationem, præfatis Archipresbyteris ullam a Brictinoriensi Episcopo motam esse controversiam: sed utroque jure ab immemorabili tempore Archipresbyteros esse pacifice gavisos; ideoque inter Paræciæ reditus tam Decimas, quam hæc stolæ emolumenta supputasse. Profecto si permutatione privari hujusmodi reditibus Archipresbyteri voluissent; erat id expresse statuendum; erant imo et ipsi vocandi, et audiendi, cum de illorum interesse ageretur: erat denique pro amittendis reditibus compensatione aliqua ipsis consulendum. Itaque si Archipresbyteri neque compensationem obtinuerunt, neque auditi, neque vocati fuerunt; sentiendum profecto videtur, nullum eorum juribus, et reditibus detrimentum indicata permutatione inferri voluisse. Eoque certius quia etiam post permutationem, jura decimandi, ac benedicendi jugiter exercuerunt: facto proinde panditum est, quid permutatione gestum fuerit, ac præfata jura ipsis omnino sarta tecta mansisse.

Proponuntur itaque dirimenda

Dubia

I. *An, et quomodo Archipresbyteris S. Petri de Foropompilio, et S. Nicolai de Meldula competat jus decimandi in casu etc.*

II. *An, et quomodo iisdem Archipresbyteris competat jus benedicendi in casu etc.*

Ad I. Affirmative in omnibus juxta consuetudinem.

Ad II. Negative in omnibus.

FO-

FOROSEMPRONIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. = Stephanus Modesti Forosemproniensis supremis tabulis *die* 25. *Junii* 1759. exaratis hæredes ex asse scripsit animam suam, animas Parentum suorum, nec non defunctæ Uxoris, e *tutte le Anime sante del Purgatorio*: executores vero suæ voluntatis designavit Moderatores sacræ Aedis Pietatis Forosempronii, jussitque, ut Inventarium facerent, mobilia, et Domos distraherent, pretiumque in tot censibus tuto investimento collocarent; quorum fructibus, nec non reditibus Fundi rustici *S. Gervasio* nuncupati, multiplicum certis legibus conficiendum curarent. *Sess.* 22. *cap.* 6. *de Reformat.*

Deinde ita disposuit: = *Ritrovandosi il moltiplico arrivato a fruttare scudi* 400. *Ducali all'anno, detti*
„ *frutti si dovranno dividere in due parti: scudi* 200.
„ *in dotazione di tante oneste Zitelle di questa Città*
„ *a ragione di scudi* 25. *l'una, e da darsi nel modo, e forma, che si danno le altre Doti, colla*
„ *sicurtà in caso di morte senza figlj: e gli altri*
„ *scudi* 200. *da erogarsi in celebrazione di tante Messe. E volendosi far celebrare le dette Messe anche fuori di questa Città agli Altari privilegiati,*
„ *come a Loro, e Corinaldo sopra d' Urbino, quali*
„ *celebrano coll'elemosina chi d'un giulio ducale, chi*
„ *d'un mezzo paolo; in questo caso voglio, che per*
„ *vantaggio delle dette anime sante del Purgatorio*
„ *possano farle celebrare in detti luoghi più, che in*
„ *questa Città carestosa, con riportarne la lista, e*
„ *giornate con sottoscrizione de' Celebranti, e fede*
„ *del Guardiano, e Priore in forma probante, per*
„ *poterne annualmente render conto a questo nostro*
„ *Monsignor Vescovo pro tempore di questa Città.*
„ *Ed affinchè non abbiano da nascere inconvenienti in*
„ *nominar le Zitelle, che dovranno ricevere le dette*
„ *Doti, voglio, che si osservi il metodo infrascritto: che debba farsi un Editto d'invito a tutte le*
„ *Zitelle, che vorranno concorrere a dette Doti, e*
„ *debbano portare per loro requisiti la fede del Parroco, che siano giovani oneste, della frequenza de'*
„ *Santissimi Sagramenti, e che non siano mai state*
„ *querelate per alcun fatto. Tutte poi le approvate*

„ *dovranno porsi in un bossolo, che dovrà tenersi*
„ *suggellato nel loro Archivio* (Moderatorum nem-
„ pe Sac. Aedis Pietatis) *dissuggellarsi nel generale*
„ *loro Capitolo, e da un puttino debba farsi l'estra-*
„ *zione di due palle, poscia risuggellarsi il bosso-*
„ *lo, e caso mai venisse estratta una, che fosse sta-*
„ *ta maritata, questa non debba aver cosa alcuna,*
„ *come che nel detto bossolo non fosse stata esposta,*
„ *ed in sua vece dovrà estrarsene un altra, e così*
„ *annualmente finché il bossolo sarà vuoto.* „

Diuturna experientia edocuit Moderatores Sacræ Aedis Pietatis, plura incommoda, et gravissimas difficultates in exequenda Stephani Modesti suprema voluntate occurrere; aliam idcirco methodum, tam in distribuendis in posterum Dotibus, quam in curanda Missarum celebratione servandam proponunt, ejusque approbationem, ac proinde necessariam commutationem voluntatis Testatoris, ab hac Sacra Congregatione suppliciter implorant.

Animadvertunt enim, *octo* tantum Dotes quotannis esse dandas: genericis vero pii Testatoris verbis inhærendo, fœminas omnes, infantes, puberes, adultas, imo et senescentes, sive paratam, minus paratam, sive etiam nullam occasionem nubendi habeant; pauperes demum, minus pauperes, et subsidiis dotalibus nullo modo indigentes fuisse vocatas; ideoque si honestam, et christianam vitæ suæ rationem comprobaverint, a sacræ Aedis Moderatoribus repelli minime posse, earumque nomina in urnam esse omnino conjicienda. Itaque permagnum fœminarum numerum urna complectitur, quo fit, ut ad fœminas, vel ætate jam provectas, vel nubendi occasionis expertes, vel subsidii dotalis non indigentes, vel etiam quæ honestæ vitæ laudem labentibus annis amiserint, sors deerrare facile possit, rejectis illis, quæ paratissimam nubendi opportunitatem habeant, illisque pariter, quæ paupertate laborantes, et parentibus orbatæ in maximo honestatis discrimine versentur.

Quamobrem Sac. Aedis Moderatores commutandam aliquantulum Testatoris voluntatem existimant; videlicet, UT ad petendas Dotes admittantur tantum-

modo

in do fœminæ, quæ præter honestæ, et Christianæ vitæ probationes, indigentiam quoque, ac paratam nubendi occasionem certis evincant argumentis; UT omnibus petitionibus acceptis, ex numero Concurrentium illæ tantum seligi debeant, quæ vel gravius inopiæ specimen præbuerint, vel in proximiori nubendi opportunitate existant, vel ob parentum defectum, aut alias circumstantias majori in periculo versentur, et ita, præscripta a Testatore sortitio penitus tollatur: UT a concessæ Dotis anno, fœminæ, quæ matrimonium nequaquam contraxerint, a jure ejusdem Dotis obtinendæ cadant, et locum aliis relinquant, quæ requisitis conditionibus præditæ sint, ut pii Testatoris dispositio effectum sortiatur; UT denique tenuis Dos scutorum 25. Ducatus Urbini, ad vitandas impensas, quæ fæminas dotatas gravarent, privato Chirographo concedi possit.

Quo vero ad annuam Missarum celebrationem a Testatore præscriptam, Sac. Ædis Moderatores quatuor *Ufficiature*, nempe simplices et Laicales Capellanias instituí satius ducerent, unicuique annua *Ducata* 50. assignando, cum onere *sacra* 266. quotannis faciendi pro eleemosyna obolorum duodecim cum dimidio; quam Testatoris voluntati inhærere, cum dificillimum nunc sit Sacerdotem invenire, qui Missam celebret pro tenui eleemosyna ab eodem Testatore indicata: sibi autem reservatum cupiunt jus conferendi easdem Capellanias Clericis, qui proximiores sacris Ordinibus suscipiendis existant, et patrimonio Sacro destituti sint, ea tamen conditione, ut illas dimittant, statim ac Ecclesiasticum beneficium, aut pensionem obtinuerint. Quod si non adsint prædicti Clerici, postulant Moderatores facultatem sibi concedi, ut Missas ubicumque locorum celebrandas pro memorata eleemosyna obolorum 12 $\frac{1}{2}$ curare valeant.

Episcopus in sua informatione voluntatis commutationem a Moderatoribus Sac. Aedis Pietatis, quoad Dotes distribuendas imploratam, probat, eique Promotor Fiscalis ab ipso interrogatus accedit. Quoad onera vero Missarum ita suam pandit sententiam: „ re„ cte judicarunt de Capellaniis, quo melius adimpleri „ possint per Beneficiatos onera Missarum, quibus tunc

„ *temporis facilius satisfacere valebant , sed nunc im-*
„ *possibile foret ubicumque ob eleemosinæ tenuitatem.*
„ Concludit demum : *sive in Dotibus erogandis sive*
„ *in Capellanis nominandis accedat opus est , mihi*
„ *videtur , approbatio ejus , qui Montis Pietatis præ-*
„ *sidentiam gerit , ut suo ordine cuncta procedant ,*
„ *nec non consensus , et approbatio Episcopi pro tem-*
„ *pore , QUIA IPSE vocatur per Testatorem ad tuen-*
„ *dam quodammodo suam hæreditatem , et revisionem*
„ *faciendam quotannis , circa administrationem ipsius ,*
„ *ut ex testamento eruitur.*

Verum si de Dotibus in posterum distribuendis tenenda sit ratio a Sacræ Aedis Moderatoribus proposita, operæ pretium est animadvertere , commutationem voluntatis Testatoris jure posci quoties de paupertate Dotandarum *relativa*, non vero de *absoluta* sit sermo. Costanti enim docemur experientia , ingenuas , et honesto loco natas puellas, non raro difficillime nubere posse non ob *absolutam* inopiam , sed quia Dotem a sponso petitam numerare Pater nequeat. Occasionem quoque paratam nubendi puellis præsto esse ; ac præterea si infra annum ab obtenta Dote minime nupserint , eas a quæsito jure cadere , Moderatores volunt : inopportuna tamen , ac etiam nimium gravis hæc conditio videbitur , si difficillimæ ætatis nostræ eventus perpendantur , qua raræ , et incertæ sunt nubendi occasiones , imo quæ omnium judicio certæ , ac indubiæ apparuerunt , uno temporis momento , maximo puellarum , earumque parentum mœrore , evanescunt ; aliæ vero omnino insperatæ quandoque erumpunt , ac veluti sponte occurrunt.

De fœminarum vero omnium , quæ Dotem petunt , nominibus in urnam indistincte conjiciendis, uti pius Testator enixe in votis habuit , videant EE. PP. , utrum annuendum sit Moderatoribus Sac. Aedis Pietatis , qui hanc methodum eliminandam ducerent : compluribus sane jurgiis , et incommodis via late sternitur , si ab indicata methodo recedatur.

Capellaniarum petitam institutionem directe adversari Testatoris voluntati, ambigendum non est; disposuit enim , ut Missæ iis in locis, etiam extra Civitatem Forosempronii celebrarentur, ubi minor eleemosyna exposceretur, quo plu-

plura Sacra fierent. Testatorum voluntatem religiose servari, ac impleri, omnia Jura præcipiunt. Verum Sacerdos nunc inveniri minime poterit, qui Sacrum facere velit pro uno julio Ducatus Urbini, vel pro ejusdem julii dimidio. Cum itaque exploratum sit, quod *ea, quæ ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate; converti*, uti monet *Clement. Quia Contigit. de Religios. Domib.* implemento dispositionis pii Testatoris erit aliqua ratione consulendum. Justa vero, ac necessaria intercedente causa, Legata, aliasque pias fidelium voluntates commutari posse, definivit Tridentina Synodus *Sess. 22. Cap. 6. et Sess. 25. Cap. 18. de Reformat.*

Dignentur igitur EE. PP. definire, quæ proponuntur.

Dubia

I. An, et quomodo sint conferendæ Dotes in casu etc.

II. An, et quomodo adimplendum sit Legatum Missarum in casu etc.

Ad I. Affirmative, renovato buxolo quolibet anno, et in reliquis servata in omnibus forma fundationis.

Ad II. Affirmative juxta fundationem ad Manualem.

F*ESULANA BAPTISMI.* In Comitiis *diei 24. Maji superioris anni* disputatum fuit: *An sit sub conditione renovandus Baptismus in casu etc.* sed Emi Patres causæ definitionem differendam censuerunt, edito rescripto: *Dilata, et scribatur Episcopo pro examine facien. Sacerdotis baptizantis, Patrini, et aliorum, si qui Baptismo adstiterunt.* Examine peracto, et ab Episcopo ad hanc S. Congregationem transmisso, quæstio iterum proponitur. *Sess. 7 de Bapt. cap. 4.*

Sacerdos Bonaventura Provvedi juratus affirmat, puerum

rum Joannem Baptistam Vigni, sex circiter ab hinc annis, a se iterum sacro regenerationis lavacro fuisse sub conditione ablutum, *e che proferì la forma, e nel tempo istesso versò l'acqua sopra la testa del nominato giovane.* Sed infantis Pater jurejurando asserit, filium suum fuisse domi a Chirurgo baptizatum ob imminens mortis periculum, ac deinde periculo ereptum, delatumque ad Paræciam S. Leonini, omissas vero cæremonias perfecisse Sacerdotem Petrum Luzzi: biennio elapso, dubium super validitate Baptismatis domi collati fuisse excitatum, ideoque sub conditione aquis lustralibus perfusum fuisse a Sacerdote Bonaventura Provvedi, qui tamen = *versò l'acqua sopra la testa del medesimo, dopo aver proferita la forma*, quamvis *dall' ultima parola della forma, e l'abluzione non vi percorse alcun tempo, e non fece cosa alcuna intermedia*; statimque *nel ricondurre a casa il Battezzato insorse il dubbio sulla validità di detto Battesimo, che poi riferirono al loro Parroco.* Alius testis juratus Joannes Petrucci confirmat, quæ a Patre infantis fuere narrata de Baptismate a Sacerdote Provvedi administrato: at cæteri, qui adstiterunt, aut dubitanter loquuntur, aut formam quidem prolatam, sed utrum aquam eodem tempore Sacerdos infuderit, haud advertisse testantur. Duo præterea testes, etiamsi Sacerdotem Provvedi bonis moribus, et sufficienti scientia præditum fateantur, attamen ipsum ita mentis evagationibus affectum describunt, *che pone a pericolo il ministero.*

Parochiali autem Baptizatorum codice perlustrato agnitum est, Joannem Baptistam Vigni baptizatum fuisse a Paroco Petro Luzzi, susceptumque e Sacro fonte a Nicolao Fallaci, et Maria Vigni *die 6. Septembris*, scilicet cum primo fuit ad Ecclesiam delatus: et quamvis Maria de collatione Baptismi nihil reminiscatur; Nicolaus tamen interposita jurisjurandi religione testimonium perhibet, novem circiter ab hinc annis in Ecclesia S. Leonini infantem fuisse a memorato Luzzi aqua lustrali ablutum sub conditione, *si non es baptizatus.* Quapropter Episcopus animadvertit: *Ex testimonio viri cujusdam cognomento Fallaci, rem aliam sumere faciem. Neque enim, uti ad suam,*

suam, aliorumque quietem turbandam Parochus (S. Leonini) *Montanari, qui, dum pueros iterum sacris aquis lustralibus abluit, beatus est, somniavit, Sacerdos Provvedi decimo quinto calendas Aprilis anni* 1817. *Baptismum cæremoniis supplevit, sed reapse infans Vigni iterum sub conditione baptizatus est a Petro Luzzi Plebaniæ S. Leonini vulgo* di *Panzano Rectore, Sacerdote morum probitate, doctrinaque apprime ornato. Quod si* (prosequitur) *unius testimonium satis est, ut Baptismus ratus habeatur, quid dicemus, si ad testimonium tabularum etiam*, vulgo Registro, *accedat auctoritas?*

Quæ in Jure animadvertenda forent de Baptismo, a Sacerdote Provvedi collato, fuse habent exposita EE. PP. in Folio *diei* 24. *Maji* 1823., quod resumere precor, ne actum agere videar. Nonnulla vero perpendenda sunt de Baptismo a Parocho Luzzi administrato. Sane in qualibet controversia ad plenam probationem, unum, et alterum probatæ vitæ sufficere testem, cautum legimus in *Cap. Veniens* 10., *et in cap. licet universis* 13. *de testib.* quin imo uni testi asserenti, aliquem esse baptizatum, plena adhiberetur fides *Can. Parvulos, et Can. cum itaque de consec.* ,et firmat hæc S. Congregatio apud *Bened. XIV. Instit. Eccles.* 8. *n.* 8. præsertim si collatum Baptismum testentur Libri Parochiales, *Mascard. de probat. concl.* 673. *n.* 1., *Reiffenst. lib.* 2. *Decret. tit.* 22. *n.* 127. In themate autem Nicolaus Fallaci jurejurando affirmat, Baptismum sub conditione iteratum fuisse a Parocho Luzzi, idemque confirmant libri Parochiales, quibus plurimum ponderis addit, tum probitas, tum præclara scientia scribentis, ita ut dubitari minime posse videatur, quin veritate nitatur, quod exaratum in ipsis fuit; omnia nempe rite, ac recte fuisse expleta, atque ideo non solum cæremonias suppletas, sed etiam sub conditione reiteratum fuisse Baptismum, uti in ejusmodi casu faciendum monet *Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib.* 7. *cap.* 5. *n.* 6., aliique plurimi.

Verum Libri Parochiales, ac testis Nicolaus Fallaci aliqua exceptione notari posse videntur, cum ipsis adversetur infantis Pater, qui non iteratum Baptismum, sed omissas cæremonias a Parocho Luzzi fuisse ex-

ple-

pletas affirmat. Accedit, cæteros testes de Baptismo a Parocho Luzzi collato nullam facere mentionem, ac proinde satis innuere, sibi persuasum esse, ab eodem Parocho non iterum administratum Baptismum, sed cæremonias tantummodo suppletas fuisse; remque ita reapse gestam, fortasse apertius docuissent, si de eodem Baptismo iterato peculiare examen fuisset institutum. Porro uni testi, ac Libris Parochialibus plene creditur, ubi de reiterando Baptismate agatur; id tamen obtinet, si nihil aliunde occurrat, quod reddito testimonio fidem detrahat, uti sapienter docet *Bened. XIV. loc. cit. cap.6. n. 4.*, *Reiffen. lib. 2. Decret. tit. 22. n. 127.*

Itaque EE. VV. qua præstant sapientia, dignentur dirimere.

Dubium

An sit sub conditione renovandus Baptismus in casu etc.

Negative.

Sess. 21.cap.7., et sess. 24.cap 13deReformat.

BRICTINORIEN. PARÆCIARUM Reditus adeo tenues habent Paræciæ Bonaldæ, et Montisveteris Brictinoriensis Diæcesis, ut earum Rectores restaurare Ecclesias, ædesque Parochiales nequeant; Parochiani vero tam difficiles in annuis ferendis impensis pro earumdem conservatione se exhibent, ut contentiones identidem exoriantur: ad quas in posterum eliminandas Episcopus facultatem postulat certam decimam decernendi, a prædiorum Dominis quolibet anno persolvendam.

Preces eidem Episcopo de more pro informatione, et voto ablegavi, qui respondit, ex relatione Vicarii Fora-

ranei Oppidi Voltræ fructus omnes Paræciæ Bonaldæ, una cum incertis emolumentis, ad *scuta* 27., ex Statu vero activo, et passivo a Parocho transmisso, detractis oneribus, ad *scuta* 10. 80. vix pertingere: patresfamilias annuam summam fere *scutorum* 8. 50. pro manutentione Ecclesiæ novem ab hinc annis suppeditasse, ac plerosque assentiri impositioni decimæ, sed propter inopiam in annuis tantummodo *scutis* 4. (excepto fortuito casu) ab omnibus bonorum possessoribus, licet in aliis Paræciis morantibus pro ratione fructuum præstandis. Episcopus autem præteritorum sumptuum pro manutentione Ecclesiæ, domusque Parochi experientia ductus, necessariam censet decimam prædialem *scutorum* 10. in tritico pendendam, *potendosi in questo caso onerare il Parroco stesso a riscuotere le tangenti pro rata nel tempo del raccolto, che riuscirebbe meno incomodo a popolani, caricandosi il medesimo Parroco della manutenzione della Casa, e Chiesa Parrocchiale, dopo che però sarà rimessa in buono stato dai Parrocchiani, trovandosi attualmente un muro minacciante ruina nella Casa Parrocchiale, per cui il Parroco attuale è costretto di abitare fuori della Parrocchia.*

Retulit præterea, Parochum quoque Montis veteris congrua carere a jure statuta, cum Paræciæ reditus, comprehensis incertis emolumentis, ducto calculo per decennium, annuam dumtaxat conficiant summam *scutorum* 26: plures vero patres familias assensum præbere pro decimæ constitutione, sed ad summum in annuis *scutis* 4. a bonorum possessoribus solvendis, atque ab idoneo viro exigendis, qui expletis annuis reparationum impendiis, reliquam pecuniæ vim servet, ac deinde in fundo emendo eroget, ut Populus inopia laborans onere manutenendi Ecclesiam, et Parochialem domum tandem levetur. Episcopus necessariam arbitratur decimam prædialem *scutorum* 8., quam summam præteritis temporibus solverunt Parochiani.

Verum cum ex litteris Brictinoriensis Episcopi, responsisque patrumfamilias deprehenderim, olim pro conservatione Ecclesiæ Bonaldæ Abbatem Monasterii Nullius S. Ederi, a S. M. Pio VI. *anno* 1784. suppressi, pro manutentione vero Paræciæ Montisveteris Marchionem Guidi Cæsenatensem, Oppidi Baronem, sumptus ne-

cessarios sustinuisse: idcirco Episcopum rogavi, ut referret *de causa, ob quam Familia Guidi cessaverit a contributione favore Paræciæ nuncupatæ* Montevecchio; *et an Parochus loci* Bonaldæ *aliquam compensationem acceperit post suppressionem Abbatiæ Nullius S. Elleri*, et responsum accepi „ Nobilem Familiam Guidi „ cessasse a contributione favore Paræciæ dictæ *di Montevecchio*, quando Feuda abolita fuere; in Monteveteri enim erat feudataria. Ante talem abolitionem „ laudata Familia Guidi subministrabat oleum in lampade ardendum ante Altare SS. Sacramenti, ceram „ pro benedictione danda diebus festivis cum SS. Eucharistiæ Sacramento, et alimenta pro concionatore „ ex propria devotione tempore Quadragesimæ; dabat „ etiam in sua arce Baronali confugium Parocho pro „ tempore, sed cum inde eam amplius non habitaverit, nec ad ejus manutentionem attenderit, arx ipsa „ in præceps ruit, unde Populus coactus fuit a fundamentis erigere domum Parochialem, quam cum Ecclesia suis sumptibus servare tenetur. „

„ Paræcia Bonaldæ nullam compensationem recepit (quod „ sciam) post suppressionem Abbatiæ Nullius S. Elleri; est enim pauperrima, ut erat sub Abbatibus „ Commendatariis. Verum utique est, quod in dicta „ suppressione statutum fuit, quod bona temporalia suppressæ Abbatiæ, quæ erant, et sunt in Statu Hetruriæ, spectarent ad Episcopum, seu mensam Biturgensem, et quod bona temporalia præfatæ suppressæ Abbatiæ, quæ erant in Statu Pontificio, spectarent in posterum ad Episcopum, seu „ Mensam Brictinorien., ad hoc ut quando opus esset, „ unus, vel alter Episcopus succurreret Paræcias, vel „ alias Ecclesias miserabiliores suæ respectivæ Diœceseos. Ast si ob hoc decretum multum obtinuit Mensa „ Episcopalis S. Sepulchri, miserrimo tamen nunc „ gaudet fructu Mensa Episcopalis Brictinorii. Annui „ fructus acquisiti a Mensa Biturgensi computati fuerunt tunc temporis esse scutatorum Romanorum „ 1300. præter multa Loca Montium in Urbe existentia: sed annui fructus, acquisiti a Mensa Episcopali „ Brictinorii, computati fuerunt illo in tempore valoris circiter scutatorum Romanorum septuaginta, exceptis paucis Locis Montium in Urbe pariter existen-

„ ti-

„ tibus, quæ quanti nunc valeant optime nostis; et „ dicti annui reditus, a Brictinoriensi Mensa acquisiti, „ vix nunc ad triginta annua scutata Romana perve- „ niunt, quæ etiam difficulter exiguntur. Numquam „ inveni Bonaldam ab hac Mensa Episcopali habuisse „ subsidia, sed nec potest afferre modo, cum non pa- „ rum sit ære alieno gravata 1. quia adhuc vivente De- „ cessore meo, amisit possessionem vulgo nuncupa- „ tam *la Missirina* absque ullo compensu, quæ, ut „ ajunt, dabat annuos fructus circiter scut. Rom. 700. „ partis dominicalis. 2. quia in adventu meo Cathedra- „ lis erat fere omnibus ornamentis Pontificalibus expo- „ liata. 3. quia ab initio inveni arcem Episcopalem ita „ dirutam, ut per tres annos domum alienam condu- „ cere fuerim coactus cum pretio in totum scut. 180. „ Pro Episcopio autem, et domibus rusticalibus restau- „ randis quatuor mille scutata non suffecerunt, et „ ad ulteriores expensas, quæ requirerentur, confinia „ ponunt debita mea. A R. Camera Apostolica habere „ non potui nisi *scuta* 600., ab hoc Magistratu vero „ *scuta* 400. ultima tandem causa, cur ære alieno gra- „ vata est hæc Mensa Episcopalis, sunt onera Came- „ ralia, et Provincialia, ac Communalia. „

Si Parochus ex fructibus suæ Ecclesiæ non habeat, quomodo vitam sustentet, aliaque deficiant media a Sacris Canonibus statuta pro ædificandis, ac reparandis Ecclesiis; ad Parochianos confugiendum esse sanxit Tridentina Synodus *Sess.* 21. *cap.* 13. *de refor.*, ac tradit Benedictus XIV. *Instit. Eccl.* 100. *num.* 12., *et* 15. Qui vero Ecclesiam ædificare, ac reficere tenetur, is vasa sacra, ornamenta, aliaque ad divinum cultum necessaria comparare, et domum Parochialem manutenere cogitur ex unanimi Doctorum sententia, uti monet *Barbosa* 3. *part. alleg.* 64. *num.* 6., *Amostaz de caus. piis lib.* 5. *cap.* 6. *n.* 59., *Reiffenstuel lib.* 3. *Decret. tit.* 43. *n.* 26.

Parochi Bonaldæ, et Montisveteris congrua destituti sunt, nec quisquam reperitur, qui ad impensas pro Ecclesiarum, ædiumque Parochialium manutentione faciendas obligatus censeatur: nam Familia Guidi, quæ ex pia tantummodo largitate sumptus pro Parœcia Montisveteris suppeditabat, adigi non posse videtur; cum ex actibus facultativis, per quodcumque temporis spa-

tium exercitis, nulla in exercente inducatur obligatio, Rota *decis.* 589. *tom.* 5. *num.* 18. *cor. Olivatio*, *et decis.* 259. *num.* 12. *coram Ratto*. Accedit, Parochianos post feudorum suppressionem subministrasse, quæ necessaria erant pro manutentione Paræciæ, ac propterea in eosdem hujusmodi onus transiisse: si enim populus statis temporibus oblationes fecerit Ecclesiæ, obligationem contrahit, atque ad easdem oblationes præstandas, censuris etiam cogi potest, licet initio ex devotione incæperit offerre, uti docent *Abbas*, *Barbosa*, *Pirhing. apud Reiffenst. lib.*3. *Decr. tit.* 30. *n.* 185.

Episcopus vero Brictinorii, etiamsi propter bona Abbatiæ S. Elleri, ejus Mensæ applicata, onere gravaretur Paræciæ Bonaldæ uti pauperi suppetias ferendi; nihilominus cum eadem bona in præsens vix *scuta triginta* singulis annis reddant, et Mensæ Episcopalis fructus ne pares quidem sint decenti Episcopi tuitioni, ac tot impensis pro Ecclesia Cathedrali, pro Arce Episcopali, et pro nominibus dimittendis, immunem se existimat a qualibet præstatione. Nec ambigitur, Brictinorienses Episcopos nulla, post suppressionem Abbatiæ S. Elleri, subsidia unquam præstitisse Ecclesiæ Bonaldæ; quodlibet ergo jus ejusdem Paræciæ, si quo forte in Abbates S. Elleri pollebat, præscriptione longissimi temporis peremptum esse videtur, quamvis Episcopos ejusmodi onus plane nosse ponatur; nam obligationes, quæ in annuis consistunt præstationibus, per solam negligentiam exactionis tempore a legibus præstituto penitus extinguuntur, *Abbas in cap. Quoniam omne.* 21. *de præscript.*, *Reiffent. lib.* 2. *Decret. tit.* 26. *n.* 107., *Bartolus in L. sequitur* §. *si viam ff. de usu cap.* Restat igitur ut populus utriusque Paræciæ Ecclesias manutenere cogatur.

Ad jurgia vero, inter Parochos, et populum identidem exorta, in posterum cavenda, ex sententia Episcopi, necesse est, ut certa statuatur decima prædialis; quod quidem Concilii Tridentini sanctionibus est apprime consonum. Etenim *Sess.* 24. *cap.* 13. *de reform.* Episcopi curæ relinquitur, *ut primitiarum*, *vel decimarum assignatione*, *aut per parochianorum symbolam*, *aut collectas*, *aut qua commodiori ei videbitur ratione*, *tantum redigatur*, *quod pro Rectoris*, *aut Parochiæ necessi-*

sitate decenter sufficiat. Cumque singulis annis pro Paræcia Bonaldæ *scuta* 10., ac pro Paræcia Montisveteris *scuta* 8. circiter fuerint hactenus impensa; eadem summa sive in ære, sive in frumento, futuris quoque temporibus decernenda videtur. Ab omnibus vero prædiorum intra Paræciarum limites existentium dominis, sive in eisdem Paræciis, sive alibi commorantibus prædictam summam esse pro ratione redituum persolvendam, ipsa rei suadet ratio; collectæ enim pro Ecclesiarum manutentione, inter onera realia recensentur, ac propterea ab agrorum dominis ubivis moram ducentibus ferenda, *Barbosa* 3.*part. alleg.* 64. *n.* 11., *Francez de Eccles. Cathe. cap.* 13. *n.* 72. et declaravit S.Congregatio Episcoporum, et Regularium, uti refert Bened. XIV. *Instit. Eccles.* 100. *n.* 16., et definivit hæc Sac.Congr. in *Spoletana Restaurationis Ecclesiæ, et Domus Parochialis* 20. *Martii prox. præt. ad I. Dub.*

Verum ubi consuetudo intercedat, ob quam alicui familiæ, vel personæ immineat Ecclesiarum reparatio, ac manutentio, ad Parochianos haud deveniendum esse affirmant *Bened. XIV. loc. cit. n.* 11., *Engel. lib.* 3. *de ædific. Eccle. num.* 8., et concinit hæc S. Congregatio in *Spiren. Reædificationis Ecclesiæ*, *et in Senogalien. Reædificationis ædium Parochialium* 13. *Septem.* 1806. Sed Familia Guidi onere manutenendi Paræciam Montisveteris gravata videtur, cum ipsa ante Feudorum abolitionem proprio ære ejusdem necessitatibus prospicere soleret. Neque immunitatem sibi vindicare potest, quia jam supra viginti effluxerunt anni, ex quo destitit ab hujusmodi præstatione; nam ad præscribendum alicui obligationi adversus Ecclesiam, tempus saltem quadraginta annorum requiritur, *cap. De quarta, et cap. Ad aures. De præscript.*

Episcopus quoque Brictinoriensis ab onere manutenendi Paræciam Bonaldæ sese eximere non posse videtur. Etenim in suis Litteris non inficiatur, Abbates Monasterii S. Elleri consuevisse subministrare Parocho Bonaldæ, quæ necessaria erant ad manutentionem Ecclesiæ, domusque Parochialis: hoc autem onus sublatum non fuit, nec Abbatiæ suppressione, nec bonorum in Statu Pontificio existentium applicatione favore Mensæ Episcopalis Brictinorii; quoniam Summus

mus Pontifex juri alteri quæsito derogare non solet, prout eruitur *ex cap. super eo. de offi. deleg.*, *et ex Reg.* 18. *Cancell. de non toll. jus quæsit.*, nec in casu derogavit, imo statuens, ut eisdem bonis Episcopus Ecclesiis miserabilioribus opitularetur, illud sartum tectum servare voluisse facile intelligitur. Itaque Paræcia Bonaldæ, utpote quæ jure gaudet, ut ejus necessitatibus succurratur ex bonis Abbatiæ; præferenda est Arci Episcopali, Ecclesiæ Cathedrali, aliisque Ecclesiis, quarum potius paupertati prospiciendum est mediis a jure statutis, non autem bonis favore Paræciæ Bonaldæ obligatis.

Quod si post suppressionem Abbatiæ, nulla ab Episcopis eadem Paræcia recepit subsidia; id illius juribus minime derogavit. Ad præscribendum enim requiritur possessio, *Cap.* 3. *de R. J. in 6.*, *et L.* 25. *ff. de usucap.* non alieno, sed proprio nomine, siquidem is possidere dicitur, cujus nomine possidetur, *Cap. Cum venissent* 9. *§. fin. de restit. spol.*, *et Cap. Si diligenti* 17. *de præscript.*, et ideo qui non sibi, sed alteri possidet; nullo unquam tempore præscribere valet, *Reiffen. loc. cit. num.* 288., *Vinn. ad Instit. §.* 7. *num.* 1. *de usucap.*, *et præscript.* Præterea requiritur, ut ejusmodi possessio, etiam in præscribendis obligationibus contra Ecclesias, quadraginta saltem annorum spatio fuerit continuata, *Cap.* 4. *de præscript.*, ibique *Gonzalez num.* 6., *et Reiffen. loc. cit. num.* 177. At Episcopi Brictinorienses, qui probe noscere debebant, partem bonorum Abbatiæ non fuisse eorum Mensæ applicatam, ut lucrum sibi quærerent, sed ut fructus in subveniendis miserabilioribus Ecclesiis conferrent; eadem bona veluti administratores retinuerunt, atque ideo non suo, sed Ecclesiarum miserabilium nomine possederunt. Et quamvis sibi possedissent, nihilominus obligationi manutenendi Paræciam Bonaldæ non præscripserunt, cum ab *anno* 1784. quo Abbatia suppressa fuit, ad *Mensem Septembris anni* 1822., quo præsens controversia suum habuit exordium, anni quadraginta minime effluxerint; eoque certius si detrahatur tempus vacationum Paræciæ, quæ interim fortasse contigerunt; quo tempore præscriptionem quiescere respondit Lucius III. *in Cap. Ex transmissa*

de

de præscript., ac tradunt *Barbosa de potest. Episc. alleg.* 132., *et Reiffen. loc. cit. num.* 196. Neque pariter modernus Episcopus præscripsit contra populum, qui novem tantummodo abhinc annis impensas pro manutentione Parochiæ Bonaldæ suppeditavit; et quidem non ut Mensam Episcopalem ab ejusmodi onere eximeret, sed ut necessitati Ecclesiæ præsto esset.

Si tamen EE. VV. decimam prædialem ab utriusque Paræciæ populo pendendam censeant, summam quoque decimæ nomine præstandam decernant oportet. Patresfamilias exorant, ut decima, aliquo excepto fortuito casu, annua *scuta quatuor* non superet; tum quia fere omnes paupertate laborant, tum quia publicis tributis, et vectigalibus sunt onerati. Statuere quoque dignentur EE. PP., utrum decimarum exactio, et administratio Parochis concedenda sit, an potius aliis spectatis viris, qui necessariis sumptibus expletis, reliquas pecunias erogent in emptionem census, aut prædii, cujus fructibus Ecclesiarum manutentioni in posterum consulatur.

Itaque proponuntur

Dubia

I. *An, et quomodo sit concedenda Episcopo facultas statuendi decimam prædialem pro manutentione Paræciarum in casu etc.*

Et quatenus affirmative

II. *An, cui, et quomodo committenda sit exactio, et administratio decimarum in casu etc.*

Non proposita cum sequenti

AMERINA. Joseph Venturelli Archidiaconus Cathedralis Amerinæ, supremis tabulis *anno* 1712. conditis, Prædium nuncupatum *Valle Rignano* Ven. Domui Missionariorum Urbis legavit, adjecta lege, ut in ea-

Sess. 24. *cap.* 10., *et Sess.* 13. *cap.* 1. *De Reformat.*

eadem Domo alerentur, sacrisque disciplinis instituerentur duo Juvenes, singulis quadrienniis a quibusdam nobilibus familiis Amerinis, ab ipso Testatore designatis, eligendi. Quod si Missionarii Legatum non agnoscerent, uti revera contigit, voluit reditus Prædii singulis annis in dotandis duabus puellis pauperioribus erogari; quod a morte Testatoris usque ad *annum* 1775. constanter fuit servatum.

Tunc autem administratores Legati Venturelli, et Amerinus Episcopus perpendentes, eo spectasse Testatoris mentem, ut Juvenum institutio cæteris piis operibus potior haberetur; unanimiter S. M. Pium VI. adiverunt, atque ab eo facultatem obtinuerunt, Prædium *Valle Rignano* Amerino Seminario adscribendi, ac uniendi, ut duo adolescentes, singulis quadrienniis ab iisdem Administratoribus nominandi, ibi alerentur, et humanioribus, sacrisque litteris imbuerentur. Exarato igitur publico Instrumento, Seminarium in prædii possessionem fuit immissum; pactaque conventa usque ad *annum* 1814. religiose fuere servata. Verum hodiernus Episcopus Amerinus, reputans reditus Legati Venturelli duobus adolescentibus alendis minime sufficere, Juvenes jam electos, et in Seminario receptos, repente dimisit.

Quadriennium inutiliter consumpserunt Administratores, ut Episcopo suaderent, reditus oneri ferendo esse pares; ipse tamen numquam Juvenes in Seminario admittere voluit: quin imo conditiones unionis contractui adjectas omnino corrigendas esse decrevit. Morem gerere Administratores recusarunt; cumque nihil proficerent, Monitorium coram A. C. expediendum curarunt, quo Seminarium provocarunt *ad dimittendam possessionem, sive administrationem dicti Prædii, reddita eodem tempore ratione fructuum perceptorum*. Promothor autem Fiscalis Curiæ Episcopalis Amerinæ ad R. P. D. Auditorem SSmi confugit, qui auditis omnibus interesse habentibus, *die* 24. *Martii* 1820. sequens edidit Decretum = *Salvis exceptionibus, et sine præjudicio quorumcumque jurium partium, prævia descriptione Bonorum, et rerum cujuscumque generis ad Legatum Venturelli pertinentium, facienda per Peritos hinc inde eligendos, attento etiam con-*

consensu partium, mandarit per Instantem (Promotorem Fiscalem) *restitui citatis* (Administratoribus) *præfata Bona, resque alias, ut supra, juxta memoratam descriptionem.*

Recuperata possessione bonorum, *salvis tamen exceptiobus, et sine præjudicio quorumcumque jurium*, et denuo a Summo Pontifice obtenta *die 24. Februarii* 1822. commutatione voluntatis pii Testatoris, ac facultate, ut *Legati reditus erogari possint in educandis, atque erudiendis per quadriennium in aliquo Collegio vel Seminario duobus adolescentibus*, judicium coram A. C. inchoatum prosequi Administratores parabant, ut fructus a Seminario Amerino perceptos iis annis, quibus Juvenes in eo recepti non fuerant, Legato vindicarent. Controversiam tamen sustulit Transactio *die* 21. *Septembris* 1822. obsignata, quam transigentes roborari Apostolico Beneplacito curarunt, et qua repetendorum fructuum partem Seminario Administratores Legati Venturelli tribuerunt.

Perpaucis elapsis diebus, Episcopus actu Sacræ Visitationis accepti, et expensi rationes de Legati reditibus ab Administratoribus petiit; cumque adnotatos invenisset sumptus Litis adversus Seminarium actæ, solemne tulit Decretum *die* 20. *Novembris prædicti anni* 1822, quo Litem injustam, inutilem, ac damnosam fuisse declaravit; ideoque statuit, = *che tutte le spese notate della Lite nella somma di scudi* 78. 54. ½ *detratto però scudo* 1. 67. *per metà delle spese della Transazione, ossia per la superestante somma di scudi* 76. 87. ½ *non sia, nè si debba mettere a debito del Legato pio* =; ac præterea jussit, = *che nel termine di un mese dal dì, che verrà intimato il presente Decreto di Sac. Visita, debbansi depositare presso il Depositario delle multe di questa Curia li detti scudi* 76. 87. ½ *unitamente agli scudi* 43. 15. 2., *che esistono in credito, componenti l'intera somma di scudi* 120. 02. 4. ½ *per erogarli in vantaggio del Luogo pio* =. Hoc perculsi Decreto Administratores, quo sumptibus Litis onerantur, Legati fructibus privantur, et Juvenes nominatos, atque in Seminario Urbevetano jam receptos ære proprio alere adiguntur; ad hanc Sac. Congregationem confugerunt ejusdem Decreti abrogationem postulantes.

Litem enim, quam Episcopus Decreto suo injustam, inutilem, imo et noxiam Legato Venturelli declaravit, revera fuisse justam, ac non minus utilem, quam necessariam affirmant. Quintus namque labebatur annus, ex quo Juvenes designati in Seminario Amerino minime recipiebantur; quamvis Seminarium interea fructus annuos Legati consequeretur. Hæc erat pii Legati conditio satis miseranda: peracta vero lite, non solum reditus in usum a pio Testatore volitum erogati fuere, quod satis esset, superque ad litis utilitatem demonstrandam; sed Legatum fructus etiam elapsorum annorum, quibus adolescentes in Seminario recepti non fuerunt, maxima ex parte recuperavit, quod Administratores in acquirendo pecore pro prædii cultione adhibendo, et in dissolvendo ære alieno consumpserunt. Cum igitur nunc ea sit Legati conditio, quæ cum antecedenti comparari minime possit, litem justam, utilem, ac necessariam fuisse, per se facile patet.

Idque etiam ex Decreto, ab R.P.D. Auditore SSmi lato, colligi Administratores asserunt. Jussit enim restitui administratoribus omnia Legati Bona *salvis exceptionibus, et sine præjudicio quorumcumque jurium partium*. Instantiam igitur in Monitorio coram A. C. expedito contentam adprobavit, quo vadimonium Seminario fuit constitutum *ad dimittendam possessionem, sive administrationem Prædii, reddita eodem tempore ratione fructuum perceptorum*. Decretum proinde cum Monitorio congruit, dum, et bona restitui mandavit, et sarta tecta jura pro condicendis fructibus servavit: quæ sane apertam justæ Litis, ac rite institutæ actionis demonstrationem præseferunt. Quamobrem concludunt Administratores, quod si Lis adversus Seminarium acta rationabilis fuit, ac justa, si utilitatem Legato Venturelli attulit: Decretum in actu Sac. Visitationis ab Episcopo latum, est executione privandum, ipsique Administratores liberandi ab onere reditus Legati superextantes in maleficiorum arcam deponendi, et Litis expensas ære proprio solvendi. Præsertim cum eventu apprime secundo absoluta Lis fuerit, et transactionem ineundam ipsemet Episcopus censuerit. Neque enim Administratores, Cura-

rato-

ratores, Tutores de Litium exitu tenentur, quem incertum esse, et casui fortuito æquiparari, nemo ignorat, adeout ad earum impensas subeundas adigi nequeant, nisi ipsos irrationabiliter litigasse demonstretur: neque Episcopus Transactionem laudasset, si Litem injustam, inutilem, imo et noxiam Legato Venturelli agnovisset.

Hæc Administratores; inutilem nihilominus, et injustam Litem fuisse contendit Episcopus, quia Prædium in *Valle Rignano* restituere ipse nunquam recusaverit, ideoque litigandi tantummodo æstu abrepti Monitorium coram A.C. Administratores expediendum curaverint. Reque vera Promothor Fiscalis illico ab R.P.D. Auditore SSmi Decretum pro restitutione prædii impetravit *attento etiam consensu partium*. Noxiam quoque Legato Venturelli evadere potuisse Litem probare nititur, quia in restitutione memorati prædii ineunda erat ratio tributorum, et pecuniarum, quæ in illius conservationem, ac meliorationes fuerunt insumptæ. Fieri autem perfacile poterat, ut Legati debitum aliquod, ac fortasse grave erumperet. Quod si omnia Transactione fuere consopita, et perempta; contractu in utilitatem Legati stipulato abuti non debent Administratores in illius perniciem, atque ut in Legatum expensas litis refundant.

Episcopi voluntatem restituendi prædium non negant Administratores: addunt tamen, Episcopum pactis quibusdam, et conditionibus Legato tam onerosis restitutionem obstrictam proposuisse, ut ei nullimodo adstipulari potuerint. Contendebat enim Episcopus, ut Administratores Prædium acciperent, ea conditione, ut pensionem *scutorum* 40. Seminario quotannis pro quolibet adolescente ab ipsis eligendo solverent; fructus vero iis annis, quibus Juvenes in Seminario recepti non fuere, indebite perceptos restituere detrectabat. Episcopum a sua sententia dimovere totis viribus per quadriennium studuerunt Administratores; cumque nihil proficerent, Judicem adire coacti fuerunt, ut Legati jura, et Bona vindicarent. Quod si R.P.D. Auditor SSmi, attento etiam partium consensu, Prædium restitui mandavit, Decreto salutares clausulas *salvis exceptionibus*, *et sine præjudicio quo-*

rumcumque jurium partium adjecit, ut Administratores fructus prædii, et quidquid præterea ab Episcopo denegabatur, repetere possent, ac institutum coram A. C. judicium prosequi. Nihil autem detrimenti Legato ex ineundis tributorum, ac meliorationum rationibus obvenire unquam poterat, cum et Episcopus nihil nisi jure debitum repetere valeret, et siquid jure debebatur semper fuisset rependendum; et Fundi rustici reditus a tributis superari nequirent; et meliorationes demum, si notabiles fuissent, Prædii valorem auxissent: aliquid imo utilitatis in condicendis memoratis fructibus erat sperandum, uti probavit eventus. Cum autem fructus, qui detractis tributis, et expensis fuissent restituendi, Administratores transigendo concesserint Episcopo, neque ipsum ad sumptus Litis refundendos adegerint: a jure, atque a recta ratione devium esse ajunt, ut ipsi prædictos sumptus Episcopo remissos subire cogantur.

Hæc sunt, quæ ex Foliis ab utraque parte exhibitis colliguntur: animadvertendum vero, hic agi de Decreto in actu Sac. Visitationis edito, cui parendum omnino est, adeout devolutivam tantum appellationem ab hujusmodi Decretis indulserit Tridentina Synodus *Sess. 24. Cap. 10., et Sess. 13. Cap. 1. De reformat.* At quamvis maximus sit Sac. Visitationis favor, rectissime tamen admonet *Card. De Luca disc.5. ad Concilium Trid.*, præfatam Concilii Tridentini sanctionem ad ea pertinere Decreta, quæ respiciunt correctionem morum, aliasque provisiones, quas in forma extrajudiciali potius, more prudentis Patris familias, prompte dare oporteat, vel congruat; non autem ad illa, in quibus more judicis, atque in figura, seu forma judicii procedi debeat; idque docent etiam *Barbosa de Episc. alleg. 92. num.13., et seq., et Wan-Espen Juris Ecclesiast. Univers. Part.1. Tit.17. De Visit. Episc.*

Vestræ igitur erit sapientiæ EE. PP. dirimere.

Dubium

An, et quomodo Decretum Episcopi exequendum sit in casu etc.

Dein-

Die Sabathi 29. Maji 1824. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

BRICTINORIEN. PARÆCIARUM

Sess. 21. cap. 7., et sess. 24. cap. 13. de Reformat.

Dubia

I. An, et quomodo sit concedenda Episcopo facultas statuendi decimam prædialem pro manutentione Paræciarum in casu etc.

Et quatenus affirmative

II. An, cui, et quomodo committenda sit exactio, et administratio decimarum in casu etc.

Ad I. Dub. Quoad Parœciam Montisveteris affirmative pro annuis scutis octo per æs, et libram, solvendis etiam a possessoribus non residentibus; quo vero ad Paræciam Bonaldæ, acceptis scutis quatuor sponte oblatis a Parochianis, in reliquis teneri Episcopum.

Ad II. Dub. Affirmative a Parochis, docto quotannis coram Episcopo de erogatione.

AMERINA

Sess. 24. cap. 10., et sess. 13. cap. 1. de Reformat.

Dubium

An, et quomodo Decretum Episcopi exequendum sit in casu ec.

Negative in omnibus.

Ur-

Sess. 22. cap. 11. de Reformat.

URBEVETANA EMPHYTEUSIS. Pluries de emphyteusi, a cl. me. Præsule Galeatio Mariscotti, Rectore Prioratus S. Spiritus Urbevetanæ Diæcesis, cum Marco Bartoccini inita, in hac Sacra Congregatione disputatum fuit, ac præsertim in Comitiis *diei 6. Maji* 1786. proposito Dubio = *An, et cujus favore sit stipulandum Instrumentum Emphyteusis in casu etc.* = Sex enim adfuerant Oblatores, qui de prælatione decertaturi videbantur, an autem, et quinam ex ipsis vadimonium deseruerint, ex Folio ejus diei non liquet; responsum vero prodiit = *esse stipulandum favore Marci Bartoccini, salvo jure vigesimæ, et sextæ.*

Vigesimam statim obtulit Antonius Trinci, ejusque preces *die 20. ejusdem mensis Maji* remissæ fuerunt Eminentissimo Antamoro Urbevetano Episcopo *pro informatione, et voto*; sed litteras Sacræ Congregationis penes se retinuit Antonius, earumque ignari Præsul Mariscotti, et Marcus Bartoccini deliberatarius *die 27. prædicti Mensis* Instrumentum Emphyteusis stipularunt. Antonius deinde memoratas Litteras *die 3. Julii ejusdem anni* 1786., nempe septem, et triginta dies post Instrumenti stipulationem, tradidit Episcopo, qui statim de jam secuta Instrumenti stipulatione Sacram Congregationem certiorem fecit, ideoque *die 29. dicti Mensis Julii* Antonius non aliud obtinuit rescriptum, quam *ponatur in folio.*

Supplex deinde Sacram Congregationem adiit Bernardinus Pozzi, ex Oblatoribus alter, seque ad offerendam vigesimam, et sextam admitti petiit, et *die 19. Maji* 1787. responsum obtinuit = *Ponatur in folio una cum aliis, citata parte* =

Silentibus postea tam Oblatoribus, quam Vigesimariis, Emphyteusi gavisus est Bartoccinius, donec in humanis fuere tam Præsul Mariscotti, quam Præsul Connestabili ejus in Prioratu successor: verum hoc obeunte, cum Prioratum obtinuerit Præsul Sebastianus Calderini Vespignani ab intimo Cubiculo S. M. Pii VII., de Emphyteusis nullitate querelam excitavit, ideoque *die 13. Septembris* 1806. propositum fuit Dubium = *An constet de nullitate Emphyteusis, ita ut sit locus reintegrationi, et restitutioni fructuum in casu.*

su etc., cui EE. PP., minime comparentibus Joanne, aliisque Fratribus Bartoccini, Marci interea defuncti filiis, responsum dederunt = *Affirmative in omnibus* = Redintegrandi certaminis veniam impetrarunt Fratres Bartoccini, et *die 29. Novembris ejusdem anni* 1806. ipsis contradicentibus, reproposita fuit quæstio assueta dubii formula = *An sit standum, vel recedendum a decisis* = rescriptumque prodiit = *Quoad nullitatem, et reintegrationem in decisis, et amplius, et quoad restitutionem fructuum videatur particulariter.*

Rescripti executionem illico ab A. C. obtinuit Præsul Calderini, et *die 7. Januarii* 1807. possessionem bonorum cæpit: Fratres vero Bartoccini, provocatione interposita, ad R. P. D. Auditorem SSmi confugerunt, qui *remisit causam* ad hanc Sac. Congregationem, et *admisit appellationem cum clausula de causis sine præjudicio Rei judicatæ.* Notissima rerum omnium eversione factum est, ut provisionalem Transactionem cum Fratribus Bartoccini inire debuerit Præsul Calderini, qua iidem Fratres pacificam Bonorum possessionem Præsuli reliquerunt, ejus vita durante = *riservandosi detti Bartoccini l'esecuzione de' loro diritti contro il successore al detto Beneficio, e perciò riguardo a questi tali loro diritti dovranno sempre rimanere salvi, come se il presente contratto eseguito non fosse.* Clarius §. 4. Transactionis conventum fuit, *che la presente transazione debba essere reputata senza effetto, e come non eseguita riguardo al nuovo successore ...., atteso che detti Sig. Bartoccini rimangono allora reintegrati nei di loro diritti, come essi si sono riservati.* Denique statuerunt Transigentes = *che non ostante la presente transazione i detti Bartoccini continueranno a pagare le tasse, che graveranno i Beni sudetti, che seguiteranno a rimanere in di loro favore accatastati, come sono al presente.*

Vita functo Præsule Calderini, Fratres Bartoccini Vicarium Generalem Urbevetanum adiverunt, ut Colonos adigeret ad ipsos uti Dominos utiles Bonorum recognoscendos; votique compotes facti, etiam a Spoliorum Subcollectore obtinuerunt, ut eos pariter tamquam Dominos utiles recognosceret. Prioratum deinde

de Præsuli eximio R. P. D. Francisco Pandolfi Alberici contulit S. M. Pius VII., ipse autem coram eodem Vicario instetit pro recognitione in dominum utilem, sed Colonis petentibus Vicarius *mandavit vocari ad Causam Fratres Bartoccini*: quamobrem Præsul Pandolfi Alberici novum de spolio judicium coram A. C. instauravit. Mutato postea consilio, quum Apostolica Sedes tunc vacaret, Sacri Collegii Auditorem adivit, ab eoque petiit circumscriptionem Actorum, quæ in Episcopali Curia Urbevetana a Fratribus Bartoccini gesta fuerant, nec non reintegrationem ad bonorum possessionem. Evecto ad Pontificium Solium summa totius Catholici Orbis exultatione SSmo D. N. Leone XII., ejus R.P.D. Auditor huic Sac. Ordini *remisit Causam*, *in quo pendet Causa super nullitate emphyteusis ad formam Decreti diei* 13. *Maji* 1809.

Duplex igitur proponitur quæstio: altera de emphyteusis nullitate in gradu restitutionis in integrum adversus rem judicatam; altera vero de circumscriptione Actorum in Urbevetana Curia gestorum, de reintegratione ad possessionem, et fructuum restitutione.

Præsul Pandolfi Alberici, ut redditum pro Emphyteusis nullitate judicium confirmetur, probare conatur, tam Apostolicum Beneplacitum, quam Ecclesiæ utilitatem in themate desiderari; quorum alterutrum si deficiat, irriti sunt contractus de bonis Ecclesiæ celebrati ad *Text. in Extravag. Ambitiosæ De reb. Eccl. non alien.*, quem exornat *Card. Petra Comment. ad Constit. Apost. tom.* 1. *Cap.* 1. *Sect.* 3. *num.* 60. Asserit, Beneplacitum deesse, cum nullum de illo vestigium habeatur in Emphyteusis Instrumento. Negat autem, Beneplacitum suppleri Rescripto hujus Sac. Congregationis *diei* 6. *Maji* 1786., quia tunc de prælatione inter Oblatores, non de Beneplaciti concessione omnis fuit quæstio; quæ duo plurimum inter se differre, et alterum sine altero stare posse contendit. Quod si Beneplacitum quoque indulsisset Sac. Congregatio, rescriptum effectu caruisse dicit, cum neque expeditum, neque executioni legitime commissum fuerit ab A. C., neque obtentæ fuerint Litteræ Apostolicæ a Dataria, prout sub pœna nullitatis præscripsit *anno* 1745. S. M. Benedictus XIV. in sua *Constit. incipien. Gravissimum Ecclesiæ* §. 5., *et* 7.

Inu-

Inutilem quoque, et sine causa initam affirmat Emphyteusim, cum Fundi essent optime culti, et meliorati, illam imo damnosam dicit ob tenuitatem Canonis *scutorum* 32. 10., cum ex judicialium Peritorum relatione scateat, tempore concessionis Prædium, et Vineolam saltem annua *scuta* 62. 80. reddere debuisse. Damnum vero longe gravius emergere monet ex conditione Familiæ Bartoccini: quia Marcus alienigena erat, et nihil possidebat, uti et ejus filii nihil nunc possident; ideoque redintegrare Ecclesiam nequeunt de damnis illatis, quæ multa esse clamat. Negat denique majorem oblatorem fuisse Marcum Bartoccini, de quo fuse disserunt Folia in præteriti *annorum* 1786., *et* 1806. Comitiis distributa.

Contractus nullitatem inde quoque eruit Præsul Pandolfi Alberici, quod Emphyteusis ita in Instrumento tributa fuerit Marco, ejusque filiis natis, et nascituris, ut ad quartam ejusdem Marci generationem fuerit ampliata contra expressam hujus Sac. Congregationis sanctionem, quæ Edicta affigi jusserat pro Emphyteusi ad *tertiam generationem masculinam tantum*: hac enim ampliatione corruere concessam gratiam docet *Rota in Recent. part.* 1. *decis.* 30. *num.* 2., *et* 3. Inanem demum Emphyteusim, ejusque stipulationem evasisse propugnat; quia tum Antonius Trinci, tum Bernardinus Pozzi vigesimam, et sextam obtulerant, eratque de ipsorum oblationibus inquirendum, antequam Instrumenti tabulæ obsignarentur.

Circumscribenda vero esse Acta a Bartoccinio gesta in Urbevetana Curia Episcopali contendit Præsul ex defectu tum jurisdictionis, tum citationis. Appellationem enim in devolutivo tantum sibi indulgeri obtinuerant Fratres Bartoccini, ideoque coram hoc Sacro Senatu jura sua experiri debuissent ad tramites Decreti R. P. D. Auditoris SSmi; quavis ergo jurisdictione carebat Vicarius Urbevetanus: hinc in irritum cessit quidquid coram eodem fuit actum. Defuit quoque Citatio, cum vocatus minime fuerit Spoliorum Subcollector, qui tamen citandus erat, ut Beneficii jura tueri posset. Utroque igitur ex capite prædictorum Actorum circumscriptionem Præsul Pan-

dotti Alberici postulat, qua fiet, ut fructus, indebite a fratribus Bartoccini percepti, sint eidem restituendi.

Fratres vero Bartoccini defuisse negant Beneplacitum Apostolicum, quod nil aliud est, quam *consensus Sedis Apostolicæ*, uti monet *Devot. Instit. Juris Canon. lib. 2. tit.* 19 §. 4.; ajunt enim, majorem desiderari non posse consensum, quam stipulationem Instrumenti Emphyteusis præscriptam ab hac Sacra Congregatione, cum in Comitiis *diei* 6. *Maji* 1786. nequaquam de mera prælatione actum fuerit, sed primario de indicata stipulatione, uti *Dubii* formula, et editum *Rescriptum* testantur. Imperata vero stipulatio Instrumenti saltem implicite Beneplacitum pro ineunda Emphyteusi secumfert: quemadmodum adjecta Rescripto clausula *Salvo jure vigesimæ, et sextæ* utilitati Ecclesiæ egregie consulit. Nihil autem interesse dicunt, expeditum non fuisse Rescriptum ab hac S. Congregatione latum, cum expeditionis defectus concessam gratiam non tollat; semper imo Rescriptum vigeat, quod indultum fuisse Beneplacitum evincit. Necessitatem quoque expediendi Apostolicas Litteras in Dataria excludere nituntur, quia Sacræ Congregationes facultate pollent hujusmodi Beneplacitum concedendi, *Card. de Luc. in Relat. Rom. Cur. dis.* 16. *num.* 22., neque eadem per Constitutionem Benedictinam *Gravissimum Ecclesiæ* privatæ fuerunt, uti advertit *Begnudell. Bibliot. Jur. Can. in verb. Alienatio bonorum Ecclesiæ*. Constans imo est hujus Sac. Congregationis praxis, ut non raro Beneplacitum concedat, quin expediantur Bullæ, quas si expediri velit, rescripto addit clausulam per *Bullas*; quæ cum in themate desit, concludunt Fratres Bartoccini necessariam non fuisse Litterarum Apostolicarum expeditionem.

Contractus vero nullitatem, inde elicitam, quod in Emphyteusis concessione comprehensi fuerint Marci filii tam nati, quam nascituri nullo fundamento niti contendunt, quia in hujusmodi concessionibus primam generationem constituant filii primi acquirentis, ad tradita per Rotam *in Recen. part.* 1. *decis.* 305. *num.* 2., *et* 3., *et*

cor.

cor. Merlin. decis. 420. *num.* 2. Si quid autem in hoc erratum fuerit, attenta bona fide contrahentium, Emphyteusis contractum sanationem mereri dicunt, quæ sanatio sæpe concessa fuit, præsertim in *Camerinen. Alienationis* 17. *Decembris* 1814., *et in Collen. Emphyteusis* 11. *Aprilis* 1818.

De utilitate Ecclesiæ constare asserunt Fratres Bartoccini ex Peritorum relationibus, supplici libello Præsulis Mariscotti adjunctis, itemque ex oblationibus, et ex Testibus; quæ omnia evincunt longe deteriorem fundorum statum fuisse tempore Emphyteusis. Damna hujusmodi reficere debebat Rector: ea proinde culpæ Emphyteutarum tribuenda non esse inferunt, sed integram adversus ejusdem Rectoris heredes manere actionem Præsuli Pandolfi Alberici pro damnorum emendatione obtinenda. Ad validitatem enim contractus quoad Emphyteutas sat est, quod utilis Ecclesiæ fuerit Emphyteusis, attento bonorum *vero*, non autem *possibili* statu tempore concessionis, prout definivit Sac. Congregatio in *Pisauren. Emphyteusis* 18. *Martii* 1820. Nihil igitur ad præsentem controversiam pertinere concludunt, quæ de statu possibili Fundorum asserunt Periti, qui nec testes audierunt, nec antiquam eorumdem Fundorum Peritiam ob oculos habuerunt: eoque certius, cum juxta eorumdem Peritorum relationem vix sexta pars fructuum Emphyteutæ commodo relicta fuerit; quod satis esse ad Ecclesiæ utilitatem demonstrandam decrevit hæc Sac. Congr. in *Pistorien. seu Praten. Emphyteusis* 21. *Novembris* 1761.

Denique ad excludendum damnum Ecclesiæ, et contractus justitiam comprobandam, satis esse animadvertunt pacta, quibus onerum, vectigalium nempe, ac tributorum solutionem, in se susceperunt Emphyteutæ, nec non obligationem assumpserunt, melioramenta omnia relinquendi Domino directo, tum in fine Emphyteusis, tum in quovis caducitatis casu, uti tradit *Fulgin. de Jur. emphyt. tit. de contract. Emphyt. quæst.* 22. *num.* 23. Meliorationes vero ab Emphyteutis fuisse Fundis additas, plures asserunt Testes, quibus bonam, qua se gerunt, fidem evinci, ideoque restitutionem in integrum sibi competere, Fratres Bartoccini concludunt.

Quoad circumscriptionem autem, quemvis exulare jurisdictionis, citationis, mandati defectum probare nituntur: quod si restitutio in integrum concedatur, inutiliter de circumscriptione disputari, ajunt memorati Fratres, quandoquidem penes ipsos conservanda erit Bonorum possessio.

Cætera EE. PP. habent tum in Allegationibus utrinque distribuendis, tum in Foliis *dierum* 6. *Maji* 1786., 13. *Septembris*, *et* 29. *Novembris* 1806., quæ resumere precor, ut dirimere possint, quæ proponuntur

Dubia

I. *An constet de Rejudicata, seu potius de causis restitutionis in integrum in casu etc.*

II. *An sit locus circumscriptioni Actorum, et reintegrationi ad possessionem, ita ut sint restituendi fructus in casu etc.*

Ad I. Constare de Rejudicata.

Ad II. Affirmative in omnibus, et fructus esse restituendos Rectori R. P. D. Pandolfi a die captæ possessionis Beneficii.

Sess. 25. Cap 11. de Reform.

SUTRINA EMPHYTEUSIS. Bona omnia simplicis Beneficii S. Josephi, in Roncilionensi Ecclesia Collegiata Sutrinæ Diæcesis erecti, Joachimo Casini ad tertiam ejus generationem masculinam pro annuo Canone *scutorum* 50., salvo tamen jure *vigesimæ*, et *sextæ*, concedi indulsit hæc Sacra Congregatio rescripto *diei* 13. *Julii* 1816., cumque ad exitum perduci contractus nequiverit, *vigesimam* obtulit Ansuinus Verzaschi *anno* 1821., et Canonem ad *scuta* 52. 50. adauxit. Serotinam oblationem posthabendam contendit Sacerdos Angelus Rogerius Cacciati, Beneficii Rector, qui Bona interim locaverat Joachimo: hinc Promothor Fiscalis Sutrinæ Curiæ Episcopalis *die* 9. *Februarii* 1822. ab eadem Sacra Congregatione rescribi obtinuit *Procedatur ad ulteriora in stipulatione Instrumenti favore Ansui-*

sini Verzaschi, cum quo deinde solemnes Emphyteusis tabulæ *die* 4. *Martii sequentis* fuere obsignatæ, et Bonorum possessionem Verzaschius est adeptus. Reclamante Sacerdote Cacciati, in Comitiis *diei* 31. *Januarii prox. præteriti* dubium proposui: *An, et quomodo sit infirmandus contractus Emphyteusis in casu etc.*, et responsum prodiit: *iterum proponatur.*

Quæ ad *factum* pertinent, late in præcedenti Folio narrata fuere: pauca in jure addenda videntur. Contractum emphyteusis consensu contrahentium statui, ac perfici monet *Textus in Leg.* 1., *et toto titul. Cod. de Jure emphyt.*, idque generatim ad omnes contractus pertinet §. *fin. Instit. de oblig.*, *et Leg.* 1. §. *Conventiones ff. de pactis*: in alienatione autem Bonorum Ecclesiæ requiri consensum Rectoris, tum per se patet, tum habetur *in cap. Nulli. de reb. Eccl. non alien.*, *ibique Fagnan. num.* 11. Intercessisse assensum Sacerdotis Cacciati pro Emphyteusi Joachimo Casini concedenda non ambigitur; et vigore hujusmodi assensus, hac Sac. Congregatione jubente, invitati per publica Edicta fuere licitatores, ut vigesimam offerrent: quam cum reapse obtulerit Verzaschius, neque major, aut melior comparuerit oblator, contractus emphyteuticus rite ac recte cum ipso initus videtur, *Rot. in Recent. part.* 14. *decis.* 194. *num.* 3.

Reponit tamen Sacerdos Cacciati, se consensum præstitisse, ut emphyteusis cum Joachimo Casini stipularetur; cumque id fieri nequiverit, ob non impletas a Joachimo conditiones in Rescripto hujus Sac. Congregationis contentas, præstitum assensum se retractasse, ideoque contractum perfici amplius nequivisse. Revocati consensus monumenta profert solemnem protestationem apud Acta Sutrinæ Curiæ emissam, locationem ad triennium cum Joachimo Casini initam, et cum Emphyteusis contractu prorsus incompatibilem, *factum* denique ipsum Promothoris Fiscalis prædictæ Curiæ, qui hanc Sac. Congregationem adiit, et veniam stipulandi Emphyteusim cum Verzaschio implorandam censuit. Inde vero concludit Sacerdos Cacciati, primum contractum evanuisse, neque cum Verzaschio continuari potuisse; cum quo si Emphyteusis rite stipulari voluisset, novus Processus, ipso

Sa-

Sacerdote Cacciati vocato, institui, atque ita novus celebrari contractus debuisset, præsertim quia post retractatum consensum plures meliorationes Fundis additæ fuerunt, quæ ad calculum erant revocandæ in statuenda vel necessitate, vel utilitate Ecclesiæ. *Felin. in cap. final. num 23. de præsumpt.*, *Gratian. discept.* 596. *num.* 30. Nullius proinde momenti habendam ait vigesimam, a Verzaschio oblatam extra terminum viginti dierum a S. M. Benedicto XIV. præfinitum in suo Motu-proprio *diei* 22. *Novembris* 1742. incipien. = *Essendo* = pro Locationibus Cameralibus edito, atque ad Ecclesiæ etiam contractus extenso; nullam enim post legitimum terminum admitti majorem oblationem etiam favore Ecclesiæ tradunt *Posth. de Subhast. inspect.* 35. *num.* 78., *Arias de Mesa lib.* 7. *variar. resol. cap.* 20 *num.* 11., *et hæc Sac. Congregat. in Senogallien.* 15. *Aprilis* 1791., nec licitatores pro adjectionibus etiam in diem admitti docent *ad text. in Authent. Hoc jus Cod. de Sacros. Eccles.*, *Amat. var. resol. par.* 1. *resol.* 38. *num.* 16., *Card. de Luca de locat.*, *et conduct. discurs.* 45. *num.* 7.

Perpendendum est tamen, *anno* 1821., quando Verzaschius vigesimam obtulit, viguisse adhuc tractatum cum Joachimo Casini institutum, quia nec ipse juribus per suam oblationem acquisitis nuncium miserat, nec Judicis Decreto declaratum fuerat locum non esse stipulationi Emphyteusis: hinc si Joachimus præscriptas conditiones implevisset, Beneficii Bona in Emphyteusim tunc quoque obtinuisset: meliorationes vero Fundis Beneficii additas fuisse, asseruit quidem Sacerdos Cacciati, sed nullo monumento probavit; id autem in sua Informatione omnino negavit Episcopus Sutrinus, qui præterea melioramenta conspicua fuisse a Verzaschio expleta retulit, simulque suspectam habendam esse locationem triennalem a præfato Sacerdote cum Joachimo Casini initam admonuit. Quod si Promothor Fiscalis veniam stipulandi contractum Emphyteusis cum Verzaschio ab hac Sac. Congregatione imploravit: ad cautelam tantum id factum fuisse videtur, nempe ad præoccupandas, et eliminandas controversias, quas Sacerdos Cacciati sua protestatione apud Acta emissa minabatur.

Ita-

Itaque de jure omnis est contentio, an post præstitum consensum, et impetratum pro ineunda Emphyteusi Beneplacitum Apostolicum, Sacerdos Cacciati, nulla alia ratione fretus, quam retardata contractus perfectione, ac stipulatione, mutare consilium, et assensum retractare posset. Sane ad rem præsentem non pertinet dispositio Benedictini Motus-proprii: neque enim S. M. Benedictus XIV. vetuit offerri vigesimam etiam post exactum 20. *dierum* spatium, si nondum contractus perfectus sit; ac tantummodo præcepit, a deliberatione usque ad Instrumenti stipulationem viginti saltem dies intercedere debere, uti perpendit hæc Sac. Congregatio in *Urbevetana Emphyteusis* 29. *Novembris* 1806. *§. Refutant.* Exploratum est immo, Ecclesiam gaudere privilegio *additionis in diem*, ideoque novam oblationem majorem semper admitti posse, et debere, dummodo actus non sit perfectus, et res sit integra, uti habetur ex *Textu in L. Si tempora, ibique Glossa, Bartolus, et cæteri. Cod. de fid. Instrum.*, *et L. Lucius §. fin. ff. ad municip.*, *Alfar. de offic. fiscal.*, *Glossa* 34. 9. *special.*, *de Mar. dist. regul.* 49. *num.* 7., et quamquam ibi sermo non sit de Ecclesiis, sed de Fisco, et pupillis, in jure tamen, et apud Doctores commune est, ad Ecclesiam etiam hoc privilegium pertinere, uti in re notissima advertit *Card. de Luca de Regalibus discurs.* 81. *num.* 12.

Nihil notius, quam Rectores Beneficiorum esse tantummodo Bonorum Ecclesiasticorum administratores cum facultate percipiendi fructus, eosque in proprium usum convertendi. *Rota in Asculana Beneficiorum 26. Junii* 1820. *§.* 6., *et* 7. *cor. Me*: contractus autem de bonis Ecclesiasticis non Rectoris, cui nulla est alienandi facultas, et cujus nullum est dominium, sed Ecclesiæ nomine iniri, *De Luca ad Decis.* 163., *Franch.num.* 6., *et ad Gratian. discept.* 514. *num.* 7. Itaque si Rector suum assensum præbuit, et contractum Ecclesia probavit: Rectoris arbitrio permittendum nullo modo videtur, ut assensum revocet, et contractum intercipiat, quem necessarium, vel certe evidenter utilem Ecclesia agnovit, ac declaravit. Hinc traditum est jamdiu, quod *contractus alie-*

alienationis rei Ecclesiæ fit nomine Ecclesiæ, et sic transit obligatio in successorem, quodque non fit locus recessui a contractu per successorem, obtento Beneplacito in vita antecessoris, etiam si non fuisset illud præsentatum Delegato, ceu totidem verbis disserit *Card. Petra ad Constit. Pauli II. Ambitiosæ sect. 5. num. 38. Tom. 5.* Imo si Beneplaciti Executor errasset, et novum idcirco Beneplacitum exquiri vel debuisset, vel voluisset, *impetrato novo Beneplacito, non requiritur novus consensus* (Rectoris) *quia semper urget, quod verificata solemnitate, et utilitate consensus primus sufficiat, quia concurrunt omnia extrema*, uti prosequitur idem *Cardinalis Petra loc. cit. num. 71. in fin.*

Audiendus igitur esset Sacerdos Cacciati, si Emphyteusim cum Verzaschio initam Ecclesiæ damnosam evinceret: id autem a themate abesse tum auctus annuus Canon a *scutis* 50. *ad scuta* 52. 50. ostendit, tum omnibus mature perpensis affirmat Sutrinus Episcopus, qui imo contractum Ecclesiæ utillimum dicit. Cum igitur terminus ad perficiendum contractum non fuerit in Apostolico Beneplacito præfinitus, et contractu nondum perfecto, ac vigente adhuc tractatu, supervenerit oblata a Verzaschio vigesima: immerito conqueri videtur Sacerdos Cacciati, hanc Sac. Congregationem rescripsisse *Procedatur ad ulteriora in stipulatione Instrumenti favore Ansuini Verzaschi . . . salvo jure sextae.* Dignentur itaque EE. PP. resumere Folium *diei 31. Januarii currentis anni*, et definire, quod iterum proponitur.

Dubium

An, et quomodo sit infirmandus contractus Emphyteusis in casu etc.

Negative in omnibus

LU-

LUNEN. SARZANEN. SACRÆ ORDINATIONIS. Dominicus Bertagni in Paræcia S. Michaelis de Capharonia, Massensis Diæcesis, ubi ortum habuit, quatuordecim annorum spatio moram duxit; ac deinde *anno* 1814., minoribus Ordinibus initiatus, Sermezzanam Lunensis Sarzanen. Diæceseos una cum Patre venit, obtentisque *mense Septembris* 1822. Litteris Dimissorialibus a Vicario Capitulari Massensi, ad Subdiaconatus Ordinem, titulo Patrimonii eidem a Patruo constituti, fuit promotus. Verum Episcopus Lunensis Dominicum, quem sibi ratione domicilii subditum contendit, ab Ordinis exercitio suspensum declaravit, monuitque Vicarium Massensem, ne Dimissorias ad alios Sacros Ordines ipsi concederet. Timens autem idem Dominicus, ne in suspensionem revera inciderit, absolutionem, quatenus opus sit, implorat: cumque in locum originis jam remigraverit, flagitat, ut cum Litteris Dimissorialibus Vicarii Massensis Diaconatu, ac Presbyteratu insigniri valeat. *Sess.* 23. *Cap.* 8. *de Reform.*

Rogatus uterque Ordinarius de informatione, et utrum Orator in Sacro Ordine ministraverit, hæc refert Vicarius Massensis = *Mi costa innegabilmente, che il Padre del detto Suddiacono è nativo di Casatico nella Provincia di Garfagnana, e che avendo preso moglie nella Parrocchia di S. Michele della stessa Provincia, ivi nacque il detto suo figlio Domenico nelli* 6 *Maggio* 1801., *col quale abitò parte nella stessa Parrocchia, e parte in Casatico sino all'anno* 1814., *nel quale si portò con detto suo figlio a dimorare per qualche tempo in Sermezzana, che forma parte della Diocesi di Sarzana anche presentemente, non però con animo di fissare ivi il Domicilio, ma soltanto per attendere a diversi interessi di sua famiglia, e frattanto esercitare il figlio stesso nella cultura delle scienze. Egli é di Famiglia onorata, e fornito di ottimi costumi, incapace di qualsivoglia meno buona azione, meritevole di esser creduto di buona fede; ed il figlio Oratore è fornito d'irreprensibili costumi, confacenti ad un vero Ecclesiastico. Credè perciò, con tutta la buona fede, dover richiedere dalla Curia Vescovile di Massa le dimissoriali, per poter essere promosso al Sacro Ordine del*

Suddiaconato ratione originis ; *essendo persuaso , che il Vescovo di Sarzana non avesse più sopra di lui alcuna giurisdizione neppure* ratione domicilii , *giacchè i pochi anni , dai quali ha dimorato in Sermezzana , non sembra che possano costituire un vero , e dicharato domicilio , tanto più , che la dimora da essi fatta in Sermezzana , come mi costa da persone degne di fede, è stata per il solo motivo di assistere un proprio Zio Prete ivi stabilito , non solo per obbligo di dovere , ma eziandio per indurre il medesimo ad ajutare detto Suddiacono Domenico , come fece in realtà, avendogli costituito il Sacro Patrimonio , onde poter esser promosso agli Ordini Sacri .*

Non contento però Monsig. Vicario Generale di quella Diocesi di aver sospeso dall' esercizio dell' Ordine ricevuto del Suddiaconato , l' Oratore Bertagni , il quale per timore d' incorrere nell' irregolarità , si é fin quì astenuto dall' eseritarlo , e di avergli inibito di poter aspirare al ricevimento degli altri due Sacri Ordini ; temendo , ch' egli possa far poco conto di questa inibizione , per mezzo del Pro-Cancelliere Vescovile mi ha pregato , non concedere a detto Bertagni Dimissoriali di sorte alcuna , avvisandomi , che il medesimo appartiene alla Diocesi di Sarzana, e non a quella di Massa . =

Episcopus autem Lunensis prolixa informatione ita jura sua tuetur. . = *Vicarium Generalem Capitularem Diaecesis Massensis nuper erectæ , nec non Rectorem Parœciæ loci nuncupati S. Michaelis de Capharonia , in qua ortum habuit Orator , requisivi . Ille respondit : Subdiaconum Bertagni pertinere absque dubio ad novam Diœcesim Massensem ratione originis , ac ex habitis informationibus , ipsum forsan ad dictam Diœcesim quoque spectare ratione domicilii , ex eo quod ipse manserit Sermezzanæ ab anno 1814. usque ad annum elapsum 1822. absque animo illic permanendi , sed dumtaxat causa providendi rebus suis una cum Patre suo , ac insuper ratione adsistentiam præstandi Patruo suo Sermezzanæ moranti pro muneris sui adimplemento , ac etiam quadam spe ductus , auxilium a dicto Patruo suo consequendi , uti reapse consecutus est , mediante constitutione Patrimonii Ecclesiastici a dicto Patruo ejus favore peracta.*

Oeco-

Oeconomus vero Parochialis Ecclesiæ S. Michaelis Diœcesis Massensis rescripsit, se nihil aliud observandum habere, quam dictum Oratorem ortum habuisse in Parœcia S. Michaelis, ibique mansisse cum ejus Patre annos quatuordecim, et post reditum suum a Diœcesi Cremonensi, quo se contulerat, moratum fuisse Sermezzanæ usque ad mensem Novembris anni 1822. mox elapsi, quo tempore reversus est in locum nativitatis suæ, idest in regionem S. Michaelis in Capharonia.

Sic EE. VV. expositis responsis illorum, quos interesse habituros fore hac in re credidi, isti S. Congreg. exposita ab Oratore in precibus expendo. Ac in primis animadverto, indubium plane esse, prædictum Dominicum Bertagni ortum habuisse in Parœcia S. Michaelis de Capharonia, olim hujus Diœcesis Lunen.Sarzanen., nunc vero Diœcesis Massensis, illicque una cum Patre suo mansisse quatuordecim annos circiter.

2 *Indubium pariter esse, dictum Oratorem una cum Patre anno 1814. Sermezzanam migrasse, ibique majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus transferendo, domicilium posuisse, ac continuo novem annos circiter mansisse, videlicet usque ad mensem Novembris anni p. p. (1822.), quo tempore in regionem S. Michaelis rediit, patre tamen, familia, cæterisque Sermezzanæ relictis.*

3 *Ex bonis, in districtu Parœciæ Sermezzanæ existentibus, ab ejus Patruo Ecclesiastico Patrimonio provisum fuisse.*

4 *Oratorem, prout mihi constat etiam ex habitis informationibus, vitam duxisse, ac ducere Ecclesiastico viro consentaneam, bonisque moribus præditum extare.*

5 *Prædictum Oratorem, prævia monitione ipsi facta de veritate dicenda, affirmasse, se bona fide a Vicario Capitulari Massensi, tamquam suo, proprioque Ordinario, Dimissoriales Litteras ad Subdiaconatus Ordinem mense Septembris anni 1822. quæsivisse, et obtinuisse.*

Tandem Ordinem Subdiaconatus sic susceptum asseruisse, se numquam exercuisse; quod et ipse credam, quum mihi per habitas informationes aliter non constet.

Nunc autem sensum meum aperiendo, existimarem, Oratorem pertinere ad hanc Diœcesim, atque a me potius

 tam-

tamquam proprio Ordinario domicilii , ut mihi videtur , quam ab Ordinario suæ originis , debuisse Litteras dimissoriales petere , prout ab ista Sacra Congregatione olim in simili casu decisum fuit teste Rigantio ad Reg. Cancell. 24. §. 3. n. 21.

Ast dato etiam , quod Litteras dimissoriales ipsi concedere cumulative spectaret ad Ordinarium Massensem , ex eo quod Orator ortum habuerit in Paræcia S. Michaelis nunc Massensis Diæcesis , ipse Orator , si dolose non agebatur , attestationem super suis moribus , vita , nec non super libertate bonorum sibi in patrimonium constitutorum , et Sermezzanæ existentium , ab hac mea Curia petere , ac obtinere , antequam illius comprobationem reportaret a prædicto Vicario Capitulari Massensi , absque dubio tenebatur , prout omnibus facile est videre tum ex Const. Innocentii XII. incipien. Speculatores , *tum ex Concilio Tridentino Sess. 23. cap. 8. de Reform. , qui defectus quidem non solum mihi videtur hujusmodi promotionem fecisse illicitam , sed etiam dolosam , præcipue ex parte Oratoris , qui ignorare non poterat , die 27. Augusti anni superioris Fratres Ottolini de Sermezzana sese opposuisse in hac mea Curia Episcopali constitutioni Patrimonii Ecclesiastici sibi peractæ a Patruo suo ex bonis Sermezzanæ positis , de quo ad hos usque dies lis pendet hac in mea Curia.*

Jure itaque meritoque , uti mihi videtur , Oratori pro parte hujus meæ Curiæ Lunen. Sarzanen. notificari mandatum fuit , ipsum suspensum esse ab Ordinis sucepti executione , quamdiu mihi videbitur expedire , ac spero EE. VV. confirmaturas esse hujusmodi mandatum , ac insuper declaraturas , Oratorem ratione domicilii , quod habuit firmum , stabileque ab anno 1814. usque adhuc hac in Diæcesi , spectasse , et spectare ad hanc Sedem Episcopalem Lunen. Sarzanen. ; donec alio se conferat animo permanendi , quod huc usque factum fuisse haudquaquam video.

Hujusmodi autem declarationi difficultatem facessere , quæ inveniuntur in Litteris Vicarii Massensis supra relatis haudquaquam puto ; probatione enim non levi indiget , quod ipse asserit , Oratorem Sermezzanæ non mansisse animo permanendi ; vix namque credam , quemquam postquam aliquem in locum se transtulit una

cum

cum patre, familia, rebusque suis fere omnibus, ibique jam novem annos moram traxit, credendum esse, si assereret, se minime ibi animo permanendi morari.

Alium deinde Subdiaconus Bertagni porrexit libellum, quo exposuit, controversiam a Fratribus Ottolini excitatam de quodam Fundo ejus patrimonii, non fuisse ipsi denunciatam, nisi mense *Februarii anni* 1823. postquam ad Subdiaconatus Ordinem fuerat promotus; atque a Vicario Generali Sarzanensi latum jam fuisse Decretum, cujus authenticum obtulit exemplar, et quo definitive declaratur = *oppositionem omni prorsus juris fundamento fuisse, et esse destitutam, nihilque officere potuisse canonicæ constitutioni patrimonii ad Sacros Ordines suscipiendos necessarii.*

Quamquam in Ecclesia diu viguerit consuetudo, ut proprius Ordinationis Episcopus is dumtaxat censeretur, qui primus inter Clericos aliquem cooptasset; nihilominus postea Sacris Canonibus cautum fuit, nulli Episcopo licere alienum subditum Ordinibus insignire, *cap.* 1. 2. *et* 3. *de temp. ordin.*, si secus liceret, Ordinans a collatione Ordinum per annum, et Ordinatus ab Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videretur expedire, eo ipso in suspensionem incideret, *Conc. Trid. sess.* 23. *cap.* 8. *de Refor.*, et Innoc. XII. in Constitutione, quæ incipit *Speculatores* edita *die* 4. *Novembris* 1694. Episcopi autem, ad Ordines rite conferendos, subditos sibi quosque habere possunt ratione vel originis, vel domicilii, vel Beneficii, vel familiaritatis, *Cap. Cum nullus de temp. Ord.*, et Concilium Trid. *cit. sess. cap.* 9., *atque omnes isti possunt ordinare, et dare licentiam recipiendi Ordines ab extraneo Episcopo, et ideo quilibet istorum dicitur proprius Episcopus*, ut recte animadvertit Glossa ad *cit. cap. Cum nullus.* Imo qui Ordinem unum ab uno ex istis suscepit Episcopo, potest alium, remota fraude, ab alio recipere, S. Congregatio in *Fundana Ordinum* 23. *Januarii* 1666. *lib.* 25. *Decret.*, *in Aquipendien., seu Clusina Diaconatus* 13. *Novembris* 1717., *et in Pisana, seu Clusina Dubium Ordinationis* 27. *Januarii* 1732.

Subditus ratione originis ex memorata Innocentiana Constitutione §. 9. is intelligitur, *qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat; dum-*

dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti; quin necesse sit, ut domicilium deinceps ibidem retineat, S. Cong. *in Asculana, seu Montis Altis Ordinationis 7. Februarii 1733. ad I. Dub.*, quia etsi illud alio transferat, non tamen eximitur a jurisdictione Episcopi originis. *Fagnan. in cap. Signific. de Præben. n.* 112. Ait Subdiaconus Dominicus Bertagni, se in Paræcia S. Michaelis, nunc ad Massensem Diæcesim pertinente, ortum habuisse, et quidem non ex accidenti, cum ibidem ejus pater et uxorem duxerit, et domicilium cum instructis ædibus quindecim annorum spatio habuerit; ac proinde Litteris dimissorialibus Ordinarii originis licite se fuisse ad Subdiaconatus Ordinem promotum.

Contendit quoque idem Dominicus, jura Episcopi Sarzanensis minime læsa fuisse, cum ipse numquam domicilium posuerit Sermezzanæ; quandoquidem ad illud sibi comparandum satis non est mora in aliquo loco, sed præterea requiritur animus ibi perpetuo manendi. *L. domicilium* 20. *ff. ad municipalem.*, *L. postliminii.* 5. *ff. de captiv.*, adeo ut deficiente hujusmodi animo, ne longissimi quidem temporis mora domicilium contrahatur, *Barbosa de offic., et potest. Episc. part. 2. alleg. 4. n. 25.*, *Fagnan. in cap. Significavit. de Paroch. n. 44.* Imo præter moram, animumque perpetuo commorandi, pro domicilio acquirendo oportet, ut Ordinandus = *se vere, et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet* = uti decrevit Innocentius XII. *cit. Constit.* §. 11., et respondit Sac. Congregatio *in Ugentina, seu Hydruntina Ordinationis 8. Julii* 1719., *in Anconitana, seu Senogallien. 28. Septembris* 1754., *in Florentina Ordinationis* 10. *Januarii* 1778., *et in Tudertina, seu Interamnen. Sac. Ordinationis* 12. *Julii* 1823. §. *statuit. et seq.*

Subdiaconus autem Bertagni, nedum juramento non affirmavit, sed nunquam animum se habere pandidit Sermezzanæ domicilium statuendi; cum illuc non perrexerit ad domicilium sibi comparandum, sed consilio tantum operam præstandi Patruo, studiisque vacandi. Cæterum licet Sermezzanæ contraxisset domicilium, non vetabatur tamen Dimissorias petere ab Ordinario Massensi, cui ratione originis subjectus erat: nam ad tramites Innocentianæ Constitutionis §. 10. tunc solum Episcopus domicilii in Ordinibus conferendis præ-

præter Episcopo originis, quando non filii ex accidenti in aliquo loco orti, sed patris attendi deberet origo. Idque tradit etiam *Rigantius* ab Episcopo Sarzanensi allegatus, *ad Reg.* 24. *Cancell.* § 3. *num* 17., et firmavit hæc Sac. Congregatio *apud eumdem Rigant.*, *atque in Caputaquen.*, *seu Neapolitana* 8. *Febr.* 1721. §. *Emus.*

Nec suspensione se irretitum putat Subdiaconus Bertagni, quia sine Litteris testimonialibus Episcopi Sarzanensis fuerit ad Subdiaconatum promotus. Pœna enim hujusmodi tam a Synodo Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 8. *de reform.*, quam a Constitutione *Speculatores* ei infligitur, qui ab alieno Episcopo se ordinari satagit. Quum igitur proprium ipse adiverit originis Episcopum, qui Litteris testimonialibus Episcopi Sarzanensis non requisitis, Dimissorias concessit, fide optima Subdiconatus Ordine fuit insignitus. Qui autem proeul dolo, ac mala fide Ordinibus initiatur, suspensioni haud subjacet ex sententia hujus S. Cong. *in Caputaquen. Jurisdictionis* 17. *Decembris* 1712., *et in Aurien. Ordinationum* 20. *Martii* 1745. § *Putant*. Multoque minus arbitratur se teneri ea suspensione, qua a Concilio Trid. *Sess.* 21. *cap.* 2. *de reform.* cum ficto patrimonio ordinati mulctantur. Præter quam enim Vicarius Generalis Sarzanensis oppositionem Fratrum Ottolini omni prorsus juris fundamento destitutam, nihilque officere potuisse canonicæ patrimonii constitutioni, suo Decreto jam declaravit: oppositio eidem Subdiacono denunciata fuit, postquam Subdiaconatus Ordine fuerat insignitus; ignorantia vero facti quemlibet immunem reddit a censuris, quæ in contumaces tantummodo feruntur, *Cap. si vero de sent. excom.*, *Reiffenst. lib.* 5. *Decret. tit.* 29. *num.* 31.

Episcopus tamen Sarzanensis contendit, Subdiaconum Bertagni reapse Sermezzanæ necessario contraxisse domicilium, quia præter moram necessarius quidem est animus perpetuo manendi in loco; sed animus hujusmodi etiam ex conjecturis colligi potest. Quam ob rem si quis per decennium alicubi habitaverit, vel majorem bonorum suorum partem cum laribus eum in locum transtulerit, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commoratus fuerit, censetur primum reliquisse, et secundum elegisse domicilium, Baldus *consil.* 334.,

Fa-

Fagnan. in cap, Significavit. de paroch. num. 48. Subdiaconus Bertagni Paræciam S. Michaelis deseruit, fere per decennium Sermezzanæ cum Patre, ædibusque instructis permansit, atque ibi etiam bona, nimirum patrimonium, sibi a patruo constitutum, acquisivit. Cum itaque his ex conjecturis eumdem Subdiaconum Sermezzanæ domicilium constituisse eliciatur, fraudolenter declinasse videtur ab Episcopo Sarzanensi. Dolus autem, et fraus nemini patrocinari debent, *Cap. Ex tenore* 16. *de Rescript.*, *L. Ne ex dolo* 12. *ff. de dolo malo*; hinc Episcopus non modo existimat illicite Oratorem fuisse ordine Subdiaconatus insignitum, et incidisse in pœnam suspensionis a S. Canonibus statutam in eos, qui sine dimissoriis ordinantur; verum etiam ad se pertinere censet collationem aliorum Ordinum; cum ipse, uti Episcopus domicilii facilius inquirere possit in mores Ordinandi, ac judicium ferre, utrum dignus sit, qui ad alios Sacros Ordines promoveatur.

Animadvertendum, denique procul dubio exquirendas a Sarzanensi Episcopo fuisse Litteras testimoniales; nam si quis tanto temporis spatio alicubi moram duxerit, ut aliquo potuerit canonico impedimento irretiri, ab Ordinario ejus loci memoratas Litteras obtinere, illasque Episcopo Ordinanti exhibere tenetur *ex cit. Constit.* §. 9., et ex Sac. Cong. in *Bononien.*, *seu Ferrarien. Ordinationis* 14. *Novembris* 1733. atque hos, qui hanc legem violaverint in suspensionem a citata Constitutione §. 15. inflictam incidere, declaravit hæc Sac. Congregatio *in Asculana*, *seu Montis Alti* 7. *Febr.* 1733. *ad II. Dubium*, *et in Fabrianen.* 19. *Augusti* 1797. Quin Subdiaconus Bertagni præsidium sibi quærere possit a bona fide; hæc enim cum ex ignorantia supina proficiscatur, eum immunem non reddit ab incurrenda suspensione, *Cap. Ut animarum* 2. *de constitut.* imo ipse nedum ignoranter, sed dolo malo egisse videtur; quoniam nullo Episcopi Sarzanensis munitus testimonio de vita, et moribus, et legitima patrimonii constitutione, relictis Sermezzanæ patre, familia, et bonis, in patriam rediit, ut Subdiaconus ordinaretur.

Ve-

Verum inanis fortasse de Litterarum testimonialium defectu quævis haberi poterit querela, postquam legitima Patrimonii sacri constitutio extra omnem controversiam est posita, et Sarzanensis Episcopus in sua informatione est fassus, *Oratorem, prout mihi constat, vitam duxisse, ac ducere Ecclesiastico Viro consentaneam, bonisque moribus præditum extare*. Dignentur igitur EE. PP. dirimere

Dubia

I. *An Dominicus Bertagni sine Dimissoriis Episcopi Lunen. Sarzanen. fuerit licite ad Subdiaconatus Ordinem promotus in casu etc.*

II. *An sine Litteris testimonialibus ejusdem Episcopi fuerit licite ordinatus in casu etc.*

Et quatenus negative

III. *An concedenda sit absolutio a suspensione in casu etc.*

IV. *An, quomodo, et ad quem Episcopum spectet collatio aliorum Sacrorum Ordinum in casu etc.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative facto verbo cum SSmo.

Ad IV. Affirmative ad Episcopum Massen., servatis servandis.

PISAUREN. QUARTAE FUNERALIS. Intra fines Parœciæ S. Jacobi Pisauri Monasterium extat S. Mariæ Magdalenæ Ordinis Benedictini, in quo Eleonora Garardini, Monialis professa Ordinis S. Dominici, una cum aliquot suis Consororibus morabatur, opportunum expectans tempus, quo domum amplam emere, ac ibi Monasterium sui Ordinis constituere posset loco antiqui sui Monasterii, quod notissima præteritorum temporum calamitate perierat. Dum hæc moli- *Sess. 25. Cap. 13 de Ref.*

retur Eleonora, læthali morbo correpta diem supremam obiit, et in communi Monialium S. Mariæ Magdalenæ sepulchro condita fuit, ut ipsa morti proxima præceperat. Eleonoræ funus acri originem præbuit contentioni inter Parochum S. Jacobi, et Confessarium Ordinarium Monialium S. Mariæ Magdalenæ super jure percipiendi Quartam funeralem; cumque res amice componi nequiverit, controversiam Parochus ab hac Sacr. Congregatione dirimi suppliciter implorat.

Preces ad Pisaurensem Episcopum remisi = *pro Informatione et Voto, audito præsertim Capitulo, Confessario, et Monialibus Ordinis S Benedicti, ut transmissis documentis ad rem facientibus referret de bono jure Oratoris, et an Monialis Gavardini stabile domicilium acquisiverit in Monasterio S. Benedicti; ibique morata sit cum animo permanendi, seu potius tanquam convictrix, et de consuetudine quoad Convictrices, et Edacandas* = Ipse vero auditis omnibus interesse habentibus, ita respondit = *Eleonora Gavardini, quæ Abbatissa erat in Conventu S. Catharinæ Ordinis S. Dominici, quando Moniales e suis septis exturbatæ fuerunt, semper in animo habuit, statim ac sibi liceret, Sorores suas secum ducere in aliquam satis aptam domum, quam emere intendebat. Interim tamen apud Moniales S. Mariæ Magdalenæ Ordinis S. Benedicti morabatur, et quædam etiam Communitatis exercebat munia. Non semper tamen Choro cum ipsis, quæ nondum sacram vestem sui Ordinis induunt, interfuit.*

Consuetudo erat hujus Diæcesis, ut si daretur, aliquam Convictricem, vel Educandam mori in Monasterio, Parochus familiæ, cui addicta erat, omnia jura exerceret, funerisque perciperet emolumenta. Hinc est, quod si Eleonora Gavardini, ut convictrix habenda foret, ex consuetudine Parocho domicilii nobilis familiæ Gavardini spectaret funus. Reponit tamen Abbas S. Jacobi, religiosam Fœminam jamdiu domo sua egressam fuisse, nec animum habuisse ad eam amplius remeandi. E contra Confessarius pluribus probare nititur, ex eo quod Gavardini nomen dedisset Religioni, et cum Monialibus quamvis alterius Instituti viveret, necnon Communitati inserviret, Familiæ illi addictam esse censendam. Capitulum Cathedralis Ecclesiæ nihil

ad rem in lucem ponendam proponit, *sed tantum factum asserit*, *scilicet unice funeri Monialium Ordinis S. Benedicti interesse solitum*. *Res nova*, *nulli exemplo innixa*, *nos suspensos tenet*, *et omnes interesse habentes*, *Parochus nempe*, *Confessarius*, *ac Moniales Sac. Congregationis oraculum exposcunt.*

Canonicam portionem, seu Quartam funeralem Parochis competere, in quorum Parœcia defunctus domicilium habebat, omnibus compertum est, *Cap.* 1 *de Sepult.*, *Clement. Dudum eodem titulo*, *Concil. Trident. Sess.* 25. *cap.* 13. *de reform.*, et de defunctis, qui in Regularium Ecclesiis tumulantur Benedictus XIII. in sua Constitutione incipien. *Romanus Pontifex*, aperte sancivit = *Parochis defunctorum*, *qui in Ecclesiis quorumcumque Regularium prædictorum tumulabuntur*, *persolvatur*, *et cum effectu tradatur quarta pars intortitiorum*, *et candelarum*, *quæ in eadem Ecclesia circa Cadaver*, *vel etiam in Altaribus in die funeris accendantur . . . . Hæc porro locum habeant*, *et exacte in posterum observentur*, *quotiescumque defunctus extra suam Ecclesiam Parochialem tumuletur*, *vel exponatur* = Concilium quoque Romanum celebratum sub eodem Pontifice *tit.* 8. *cap.* 5. disponit, quod sit = *Quarta funeralium solvenda a Regularibus quibuscumque*, *in quorum Ecclesiis defunctus contigerit tumulari.*

Verum hæc a themate prorsus extranea esse, Confessarius Monialium S. Mariæ Magdalenæ contendit. Monialem enim Eleonoram Gavardini in Monasterio Benedictino per aliquot annos moratam esse, legibus Monasterii, licet alterius Instituti, subjectam, et continuo commensalem fuisse dicit, necnon Communitatis aliqua munera obiisse; inde vero infert Confessarius, Eleonoram uti Monialem Benedictinam vere esse reputandam: ideoque nihil prorsus nomine Quartæ funeralis Parocho S. Jacobi deberi, juxta Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum, et Regularium, quorum altero *diei* 22. *Maji* 1615. statutum fuit, quod = *Episcopo*, *et Parocho nullum jus sepulturæ competit super Regularem etiam extra claustra*, *vel in domo parentum suorum defunctum* =: altero vero *diei* 29. *Novembris* 1634. fuit pariter sancitum, quod = *Clerus sæcularis nihil potest prætendere propter exequias*, *aut sepul-*

pulturam Monachorum, aut Fratrum morientium extra claustra.

Reponit tamen Parochus S. Jacobi, Decreta Sacræ Congregationis Episcoporum, et Regularium ad rem nequaquam facere, quia Sac. Congregatio de Regularibus locuta est, tumulandi privilegium habentibus, minime vero de Monialibus, quæ hoc privilegio sunt prorsus destitutæ, uti nemo ignorat, et monet Rota *in Romana Juris tumulandi, et Funerum* 7. *Maji* 1792. §. 3. *coram Acciajuoli*. Testes pariter fide dignos attulit Parochus, ut evincat, Monialem Gavardini Convictricem tantum in Monasterio Benedictino esse habendam, cum ibi sine animo permanendi vixerit, quod etiam Episcopus affirmat; nil commune cum Benedictinis Monialibus habuerit, res imo sui Monasterii, quod totis viribus restituere aliis comparatis ædibus exoptaverat, privatim gesserit; nunquam habitum Benedictinum assumpserit, utriusque suffragii particeps inter Benedictinas Moniales minime fuerit: Capitulum denique Cathedralis Ecclesiæ Pisaurensis ejus funeri non intervenerit, quamvis ab immemorabili tempore cadavera Monialium S. Mariæ Magdalenæ Ordinis Benedictini *associare* consueverit. Addit etiam Parochus, Moniales S. Mariæ Magdalenæ nondum habitum sui Ordinis resumpsisse, et voluntariam tantum clausuram servare; idcirco Eleonoram eo certius meram convictricem esse censendam. Contigisse autem *anno* 1819., ut eodem in Monasterio decesserit Theresia Seraphina Montani, Monialis Ordinis S. Claræ, quæ ceu convictrix fuit habita, ideoque omnia jura parochialia exercuit Parochus S. Jacobi, et Quartam funeralem obtinuit, uti *anno* 1725. in morte Cæciliæ Cantelli Convictricis servatum fuisse ex Archivio Parochiali constat. Quamobrem concludit Parochus, portionem Canonicam sibi esse præstandam, eo quod Monasterium intra suæ Paræciæ fines sit positum.

Instat nihilominus Confessarius animadvertendo, Eleonoram ex Pisaurensi Familia Gavardini ortum duxisse; hinc etsi pro Convictrice haberi vellet, nihil deberi Parocho S. Jacobi, intra cujus Paræciæ fines extat Monasterium S. Mariæ Magdalenæ, sed Quartam funeris pendendam esse Parocho domicilii prædictæ fa-

familiæ, qui tamen silet, nihilque petit, quamvis ipsi faveant responsa hujus Sacræ Congregationis *in Pinnen. Sepulturæ* 6. *Junii* 1737., *et in Feretrana* 21. *Aprilis* 1742. At Parochus respondendo quærit, quodnam domicilium habuerit Monialis Gavardini post dolendam sui Monasterii destructionem. Illud enim non habuit in domo Parentum, ad quam non est regressa, sed parvam domum a se conductam ad tempus incoluit. Non habuit in Monasterio S. Mariæ Magdalenæ, ubi se recepit absque animo permanendi; occasionem imo, ac tempus expectans novum sui Ordinis Monasterium aperiendi.

Nullum igitur verum domicilium habuit Eleonora a suo Monasterio expulsa, sed quasi domicilium tantummodo nacta est in Parœcia S. Jacobi, utpote Convictrix in Monasterio Benedictino S. Mariæ Magdalenæ. Quapropter sibi omnino favere censet Parochus generalem juris dispositionem, juxta quam Parocho domicilii funeralis Quarta debetur, *Cap. Nos instituta* 1., *Cap. Relatum* 2., *Cap. De his.* 4. *de Sepult.*, *Abb. in dicto Cap. de his*, *Barbosa de Jure Ecclesiastico lib.*3. *capit.*24. *num.* 16; itemque a Doctoribus communiter tradita de Educandis, aliisque Mulieribus in Monasteriis degentibus. Ad Educandas enim pertinet resolutio *S.C. Concilii in cit.Feretrana* 21. *Aprilis* 1742., ubi respondit quod *Educandæ decedentes*, *non sibi electa sepultura*, *sepeliendæ sint in Parochia*, *sub qua est Monasterium*, *si non habeant sepulchrum Majorum*; *et si elegerint sepulturam in Monasterio* (electam vero fuisse ab Eleonora non ambigitur) *possint ibi sepeliri*, *sed deberi Quartam funeralem Parocho*: *quod dicitur de Educandis*, *idipsum dicendum est*, *servata proportione*, *de tumulatione Mulierum sæcularium in Monasterio Monialium legitima facultate commorantium*, *et inibi decedentium*, ceu monet *Ferrar. Biblioth. verb. Moniales art.*1. *num.*62., qui id ipsum confirmat *verb. Matrimonium art.*2. *num.*116. *ad* 121., ubi affert additiones Statuto Cleri Romani factas, et in particulari Congregatione, a Clemente XI. deputata examinatas, ac die 11. *Januarii* 1702. ab eodem Pontifice vivæ vocis oraculo approbatas, quibus dispositum fuit = *Quod statutum pro Seminaristis*, *et Convictoribus*, *servaretur*

pro

pro Educandis, tam pro earum Sepulturis, quam pro earum Matrimoniis =, ibi, non solum in funeralibus, sed etiam in contrahendo Matrimonio etc. *et sic observari convenit, cum praxis Urbis præbeat regulam in toto Orbe, juxta firmata per Rotam part. 19. recent. decis.469. num.62., decis.160. num.2., et 3.* Eadem est sententia Benedicti XIV. in *Instit. 33. num. 16., et in Instit. 83. num.12.* ubi docet = *Quod si puellæ, et fœminæ degentes in Monasterio nullum habeant in Civitate domicilium, tunc proprius illarum Parochus erit ille, in cujus Paræcia situm est Monasterium* = Idemque repetit *Girald. Exposit. Jur.Pontif. part.1. sect.488. in annot.*

Si Parocho S. Jacobi Quartam funeralem deberi EE. PP. censeant, ejus quantitas erit statuenda, quæ de Jure incerta est, ac medietas, tertia, vel quarta pars emolumentorum funeris esse potest; cum hæc omnia sub generali veniant denominatione Quartæ funeris, uti advertit Sacra Congregatio in *Camerinen. Sepulturæ 20. Novembris* 1819. *§. Si defuncta*. Consuetudo autem locorum est attendenda, uti monet *Reiffenstuel in Jus Can. univ. tom 1. tit.2. num. 47.*, atque ad consuetudinem persæpe se retulit hæc Sac. Congregatio præsertim in *Maceraten. 18. Junii* 1699., *et in Camerinen. Sepulturæ* 18.*Decembris* 1819. *ad II. Dubium*. Quod si consuetudo desit, quarta pars tantummodo emolumentorum funeris Parochiali Ecclesiæ debetur, *Reiffenst. loc. cit., et Sac. Congregatio in citat. Camerinen. Sepulturæ 20. Novembris* 1819. *§. Si defuncta in fine*.

Hisce positis, erit EE. PP., qua præstant sapientia, decernere.

Dubium

An, et quomodo Parocho S Jacobi debeatur Quarta funeralis in casu etc.

Non proposita cum sequentibus.

RA-

RAVENNATEN. REDUCTIONIS MISSARUM = Ultimo, quo decessit, elogio Hyacinthus Rondoni *anno* 1672. Prædium in Villa S. Blasii Diæcesis Ravennatensis positum, reliquit Filiis masculis ex Josepho Zanotti Leviro suo descendentibus; eorumque linea masculina deficiente, Parochialem Ecclesiam S. Paterniani Ravennæ substituit. Missas tres qualibet hebdomada in indicata Ecclesia celebrari jussit Testator; impletumque fuit hujusmodi onus integri sæculi spatio, et donec Franciscus Felix Zanotti reductionem obtinuit ad unicam Missam singulis hebdomadis; ad tempus tamen, tribus nempe successivis trienniis, quæ *anno* 1783 expirarunt. *Sess.25. Cap. 4. de Reform.*

Obiit Franiscus Felix, nihilque præter indicatum Prædium in ejus hæreditate repererunt quinque ipsius Filii Joseph, Antonius, Dominicus, Lucia, et Elisabeth. Italorum castra secutus Joseph nunquam ad patrios lares rediit: illum proinde interiisse rati ejus Fratres ac Sorores, Prædium æquo jure inter se diviserunt; Antonius autem portionis sibi obventæ partem Paulo Serra, partem vero Dominico fratri vendidit. Interea Missas nemo celebrandas curavit, quamobrem Dominicum, ejusque Sorores Tribunal R. Fabricæ S. Petri die 4. *Aprilis* 1821. condemnavit ad solvenda *scuta* 434. 80. pro Missis non celebratis ab *anno* 1790. usque ad totum *annum* 1820., quæ tamen quantitas per compositionem ad *scuta* 60. fuit redacta. Dominicus deinde, ejusque Sorores Zanotti *anno* 1822. Prædium vendiderunt Cajetano, aliisque Fratribus Bagnara pretio *scutorum* 1190. 48, ac emptoribus onus trium Missarum qualibet hebdomada celebrandarum imposuerunt, parte pretii in *Scutis* 530. 40. penes eosdem relicta, et pactione addita = *che verificandosi, che per Sovrana clemenza fosse tolto, o diminuito l'onere di detto Legato pio, la somma, che venisse affrancata, verrà in ragione del suo corrispondente Capitale del* 100 *per* 5. *dalli Signori Compratori pagata* = Reductionem itaque ad hebdomadalem Missam Venditores, gravi laborantes inopia, ab hac Sacra Congregatione humillime petunt.

Archiepiscopum Ravennatensem semel, et iterum roga-

gavi, prout cognoscendarum rerum necessitas tulit, ipse autem respondit, Parœciam S. Paterniani fuisse Paræciæ S. Eufemiæ in Ecclesia S. Dominici conjunctam, ejusque Parochum interrogatum, *rispose soltanto i certificati di miserabilità da me fatti molte volte agli Individui Zanotti per il motivo di aver da Roma la riduzione del Legato della loro famiglia, sono a mio giudizio fondati sul vero, nè ho che riflettere.* Addidit præterea Archiepiscopus; *A me pare, che queste parole portino seco l'acquiescenza del medesimo alla richiesta riduzione* =: reditus vero Prædii ad annua *scuta* 45. 14. ascendere narravit, inspectisque tam publico venditionis Instrumento, quam Documentis in eodem contentis, retulit = *Prædium auctoritate Judicis fuisse divisum, ac venditum sub conditione, ut emptores onus prædictum* (trium Missarum pro qualibet hebdomada) *sumptibus propriis adimplerent; Prædii inscriptionem hypothecariam favore Legati Pii sub die 9. Novembris 1821. contigisse; provisum fuisse indemnitati Legati pii etiam quoad reliquos condominos ex obligatione ab emptoribus suscepta.*"

Oratores, prosequitur Archiepiscopus, *pluries mihi exposuerunt, ita hodierno die ad incitas esse redactos, ut nullum aliud remedium ipsis supersit, ne omnino egeant, quam ut S. Pontifex petitam reductionem Legati largiatur, quoniam partem pretii memorati Prædii Venditores emptoribus reliquerunt sub conditione, ut pars ejusdem pretii venditoribus restitueretur, statim ac constaret, SSmum precibus Oratorum annuisse, ut patet ex pacto, quod legitur in supradicto documento. Si benigno S. Pontificis rescripto aditus non aperiatur, locus esse nequit ejusdem partis pretii restitutioni, proindeque venditoribus deficeret omnino modus comparandi ea, quæ ad Oratorum victum sunt necessaria. Quare iidem Oratores a me enixe petierunt, ut meliori, quo fieri possit, modo ipsis faverem. Cum satis superque mihi constet de expositorum veritate, et de privilegiis, quæ pia Mater Ecclesia semper largita est pauperibus, non possum, quin eos EE.VV. etiam atque etiam commendem.*

Missarum Legata divinum cultum respiciunt: hinc semper eorum conservationi sollicite consuluit hæc Sac.

Con-

Congregatio, ea quoque de causa, ut Defunctorum voluntas impleretur, quam executioni esse religiose committendam statuitur in *Can. Ultima voluntas Caus.* 13. *qu.* 2., et centies respondit eadem Sac. Congr., ac præsertim in *Nullius Montis Virginis Reductionis Servitii Chori, et Missarum* 14. *Junii* 1823. Verum justa, et rationabili intercedente causa suspensionem, et reductionem Missarum sœpe indulsit; justamque causam habuit gravem obligatorum paupertatem, ut in *Isernien.* 26. *Novembris* 1723., *in Fanen.* 22. *Novembris* 1738., *in Alban.* 24. *Martii* 1792., *et in Ravennaten. Reductionis Missarum* 12. *Julii prox. præt.*

Gravissimam Oratorum inopiam Parochus, et Archiepiscopus testantur: eosdem vero Testatori fuisse apprime dilectos, etsi non alia proximitate ipsi jungerentur, quam uti fratris uxoris suæ descendentes, constat ex eo, quod Prædium illis reliquit, atque ita eos fecit hæreditatis suæ participes; favet proinde Oratoribus præsumpta ejusdem Testatoris voluntas, qui si extremas ipsorum angustias prævidisset, levamen afferri jussisset. Sac. Congr. in *Januen. Capellaniarum* 31. *Julii* 1819., *et in Ravennaten. Capellaniæ* 15. *Aprilis* 1820.

Obstare tamen petitæ reductioni Missarum videtur, præsto esse reditus sufficientes oneris implemento, quod Prædii emptores in se assumpserunt: quamobrem prorsus deneganda reductio videtur, uti denegata fuit in *Ostunen. Reduct. Missarum* 4. *Decembris* 1734., *et in Brigantien.* 25. *Jan.* 1790. Neque tanti habenda erit momenti Oratorum paupertas, ut ad reductionem perpetuam impetrandam sufficere sit dicenda: raro siquidem hanc ob causam reductiones onerum perpetuas, sed ut plurimum temporaneas tantum hæc Sac. Congr. indulsit, ut *in Mutinen. Reduct. Miss.* 17. *Feb.* 1821., et passim.

Animadvertendum tamen, ex reductione Missarum ad tempus vix ullum subsidium Fratribus Zanotti parari. Emptores enim Prædii spoponderunt, *tolto, o diminuito l'onere di detto Legato pio, la somma, che venisse affrancata, verrà pagata*: nisi ergo perpetua sit reductio, nulla pretii pars libera erit, et *affrancata*. Venditores proinde nihil aliud percipere poterunt,

quam tenuem illam fructuum quantitatem, quæ temporaneæ Missarum reductioni respondeat.

Itaque EE. PP. ea, qua pollent, sapientia dirimere dignentur.

Dubium

An, et quomodo sit reducendum onus Missarum in casu etc.

Sess. 22. Cap. 6., et Sess. 25. cap. 4. de Refor.

BONONIEN. REDUCTIONIS MISSARUM. Cæsar Valentini Mutinensis cum rure degeret in Paræcia *de Gaggio* Abbatiæ Nonantulanæ, quæ modo unita est Archidiœcesi Bononiensi, dictasse fertur *anno* 1735. Archipresbytero Hortensio Montanari, ejusdem Paræciæ Rectori, supremam suam voluntatem coram septem testibus, ac hæredem universalem nuncupasse Franciscum Valentini, et Legatum reliquisse unius Missæ celebrandæ = *in tutte le Feste dell'anno in perpetuo, fuori delle eccettuate, e tutte le Feste della Beata Vergine fra l'anno, che corrono di divozione, e queste siano celebrate nel suo Oratorio contiguo al Casino, dove abita in Gaggio, dedicato a S. Antonio di Padova, e di più vuole, che nel giorno di detto Santo siano celebrate dodici Messe con quella del Parroco, obbligando per tale effetto, o legato questi suoi Beni del Serraglio, e la possessione posta nel Comune di Manzolino* =. Quæ pia voluntas ne unquam ab hærede frustraretur, pœnam imposuit Testator = *ogni volta, che sia tralasciata una Messa* = jubendo, ut Archipresbytero *di Gaggio sia pagata una doppia di paoli 30., e che il Signor Erede sia tenuto pagare subito detta doppia senza eccezione, e condizione veruna al detto Rettore, che dica lui la Messa, che sia man-*

cata, quando non accadesse tal mancanza per qualche grave accidente da far costare al detto Rettore.

Aliud quoque Legatum addidit Cæsar his verbis = *vuole, che un suo Calice d'argento d'oncie venti in circa sia consagrato per l'uso di detto Oratorio, nè possa esser venduto, o impegnato, e di questo il Rettore protempore ne abbia anche lui l'uso, e la cura, che sia consagrato.*

Supremi Cæsaris elogii amplam mentionem habent, ac in eo contenta distincte referunt Acta sacræ Visitationis *anni* 1760., quæ præterea testantur, quod = *visis, et diligenter inspectis Libris, in quibus dictæ Missæ, sicut supra, celebratæ describuntur, constitit de exacto adimplemento ab anno* 1735. *usque, et per totum mensem Julii proxime elapsum* = itemque recentioris Visitationis *anni* 1781., in quibus legitur, quod Sacerdos *Dominicus Cavazza constare fecit de celebratione earumdem Missarum, et etiam Festis S. Antonii, Fundatoris mente omnino servata.*

Hæreditaria Cæsaris Bona *anno* 1800. ad Comitem Petrum Valentini pervenerunt, qui piam Auctoris sui dispositionem adamussim impleri usque ad *annum* 1820. sategit, eo vero anno Calicem argenteum ab Oratorio Divi Antonii Patavini asportavit, a curanda Missarum celebratione abstinuit, et controversiam tam de validitate, quam de existentia Testamenti Cæsaris Valentini excitavit. Archipresbyter autem *di Gaggio* Missas aliquot per alium, quamplures per se celebravit juxta Cæsaris voluntatem, et Comitem Petrum ad officium revocare adnisus est, interposita etiam auctoritate Emi Archiepiscopi Bononiensis, qui eum hortari non destitit, ut Legatorum satisfactioni incumberet, saltem donec controversia a competenti Judice dirimeretur. Verum Comes Petrus Valentini morem gerere recusavit, et hanc Sacram Congregationem exoravit, ut ob asperitatem temporum, suasque familiares angustias indulgere dignetur pii Legati reductionem = *a* 24. *Messe annue, da celebrarsi o in Modena, o in Bologna, o nella stessa Chiesa di Gaggio con una conveniente elemosina, e di donare tutti gli arretrati a fronte di quella discreta celebrazione di Messe ulteriori per una vice tanto nel luo-*

go, e numero, e colla elemosina, che piacerà di determinare.

Rogavi Emum Archiepiscopum Bononiensem, ut inspecto Testamento Cæsaris Valentini referret de ejus subsistentia, itemque de consuetudine quoad præteritum, et Missis hactenus inadimpletis; ipse vero Comitem Petrum nequaquam exaudiendum, et petitam reductionem Missarum nullimode concedendam respondit, addiditque = *quel, che è più, le eccezioni sono intempestive, e mancano di forza, dopo che il Testamento del Conte Cesare ottenne sino dal principio, e così per lunghissimo posterior corso di anni plenaria esecuzione, e non interrotta osservanza.*

Infatti il Testamento suddetto, esistente in copia semplice presso gli atti della Congregazione Consultiva del Cardinale scrivente, porta la data fin dal 1. Agosto 1735. Quindi essendosi soddisfatto dalla nobile Casa Valentini, e dallo stesso Sig. Conte Pietro il Legato delle suenunciate Messe nell' Oratorio di S. Antonio per un così esteso lasso di tempo, con trovarsi di più registrato il Legato medesimo nell' atto della Sacra Visita Pastorale della Diocesi Nonantolana dell' anno 1760.; non vi è luogo dopo questi fatti, e dopo una tale osservanza ad impugnare, e render dubbia l' ultima volontà del Conte Cesare Valentini.

Nel Caso presente, in cui esiste una chiara disposizione, eseguita continuamente a norma della volontà del Testatore colla ordinata celebrazione di Messe nell' Oratorio da lui destinato, e tralasciata solo in questi ultimi tre anni arbitrariamente, diviene incongruo, ed inattendibile il supposto di spontanea volontaria divozione. Inoltre quand' anche si tratti di un Testamento, il quale avrebbe potuto andar soggetto a qualche eccezione, l' osservanza del medesimo non racchiude un tempo atto rigorosamente a prescrivere, ma tale osservanza si considera in via interpretativa più che sufficiente a comprovare, e mantenere la validità della disposizione, concorrendovi massimamente nel caso presente la qualità di causa pia, e l' annotazione nella Visita Pastorale del 1760. susseguita da altra annotazione della Visita eseguita nel 1781.

Par-

Parlando in fine dei motivi, ai quali l' Oratore appoggia l' istanza di una riduzione delle Messe, cioè l' aumento della elemosina, e la diminuzione di reddito dei fondi caricati di aggravj, che prima non soffrivano; non si può passare sotto silenzio, che il Testatore Cesare Valentini nell'ordinare il suddetto pio Legato abbia mostrata una decisa viva premura per l' adempimento puntuale del medesimo, avendo assegnato per tale effetto un fondo assai abbondante, e capace di tal peso a fronte delle anzidette sopravvenute circostanze, cioè = ivi = i suoi beni del Serraglio, e la Possessione posta nel comune di Manzolino =. *E fu tale questa sua premura, che giunse a prescrivere, che* ogni volta sia tralasciata una Messa in dette feste da celebrarsi, *il Rettore di Gaggio pro tempore abbia gius, che gli sia pagata una doppia da paoli* 30.; *e che il Sig. Erede sia tenuto pagare subito detta doppia. Risulta quindi evidentemente l' obbligazione stretta di soddisfare il Legato suddetto, non solo per l' avvenire, ma benanche per gli arretrati indebitamente sospesi.*

Reductionem Missarum petens Comes Petrus Valentini in dubium revocare nititur, a Cæsare Valentini conditum fuisse ultimum elogium, quia pro authographo Testamento, quod non reperitur, illius exemplum nullo veritatis charactere fulcitum protulit Archipresbyter *di Gaggio*: et hac etiam prætermissa indagine contendit, præfatum testamentum irritum prorsus, ac inane esse renuntiandum. Exaratum siquidem apparet ad formam *Cap. Cum esses* 10. *de Testam.*, quin constet, Cæsarem fuisse in vitæ discrimine constitutum, et quin tabulas manu sua Testator obsignaverit. Supremam vero Cæsaris voluntatem se scripsisse, ac subscripsisse asserit Archipresbyter *di Gaggio*, qui multa ex Testamento capiebat, qui testes, vel legatarios, vel horum consanguineos adhibuit, qui denique neque authographum ad Acta publici Tabellionis detulit, neque Testes solemni examini subjici curavit, ideoque necessariam Testamenti *relevationem* omnino prætermisit. Quam ob rem concludit Comes Petrus, Testamentum tot nominibus insanabili nullitatis vitio infectum, nullius momenti esse habendum, præser-

tim

tim vero ob deficientem illius *relevationem*, quam omnino requiri docent Benedictus XIV. *Inst. Eccl.* 105. *a num.* 5. *usque ad num.* 17., *Rota in Rec. dec.* 108. *n.* 6. *et* 7., *decis.* 110. *num.* 20. *et seq.*, *et decis.* 312. *num.* 5. *part.* 16.

Neque sibi obesse autumat Comes Petrus diuturnam observantiam, de qua testantur Sac. Visitationum Acta, quousque non evincatur, Majores suos animo vel implendi assertum Cæsaris Legatum, vel obligationem inducendi, quæ successores perpetuo afficeret, Missas in Oratorio S. Antonii Patavini celebrandas curasse. De se ipso autem asserit, ab *anno* 1800. ad *annum* 1820. nunquam hujusmodi animum habuisse, ac Missas fuisse celebratas = *a suffragare le anime dei di lui trapassati . . , e senza coercizione obbligatoria . . . ritenendo, che una spontanea oblazione di culto Cattolico da tutti dovuta non potesse mai indurre un' obligazione perfetta* =. Quidquid autem Visitationum Acta contineant, id nullius momenti habendum affirmat, cum omnia insciis Majoribus suis fuerint gesta.

Inde vero infert Comes Petrus, nullo Missarum onere se esse gravatum; ideoque religioni suæ tribuendum, si non liberationem, sed reductionem implorat: quæ eo pronius concedenda erit, quia nimium aucta sit Missarum eleemosyna, quia Fundi, qui asserto Cæsaris Legato gravati dicuntur, tenues nunc fructus ferant, quia demum ipse complures habeat filios, et angustiis rei familiaris prematur. Hisce namque de causis hæc Sacra Congregatio Missarum reductionem largiri consuevit, ut in *Novarien. Translationis, et Reductionis* 14. *Decembris* 1793., *in Eugubina Reductionis* 30. *Martii* 1805. §. *Tum*, *et in Civitatis Castellanæ* 14. *Junii* 1806. §. *Sane*.

Verum a themate prorsus extranea sunt censenda, quæ de dispositione Juris Canonici *in cap.* Cum *esses de Testam.* a Comite Petro Valentini proponuntur: *cum* exploratum sit = *in Decretali* Cum esses *sermonem haberi de Testamentis peractis non ad pias causas, sed ad profanas* = uti totidem verbis docet Benedictus XIV. *in Instit.* 105. *num.* 4.: ex qua eruitur quoque, dempto *relevationis* defectu, cœteras omissiones, et exceptiones nullitatis, a Comite Petro propo-

posi-

pa-itas, prorsus esse despiciendis. Quæstio nunc est de Legatis Missarum, et argentei Calicis ad pias causas procul dubio ordinatis: atque ad hunc casum pertinet Decretalis Alexandri III. *in Cap. Relatum. de Testamen.*, qua sancitum est, nullas requiri solemnitates, et jure conditum esse Testamentum ad pias causas *tribus, aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam scriptum est: in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum*. De relictis autem ad pias causas traditum est jamdiu, testes requiri, non ad actus essentiam, sed ad probandam Testatoris voluntatem, si aliæ desint probationes, uti monet *Reiffenst. in Jus Can. Lib. 3. tit. 26. cap. 4. num. 143., et Doctores* communiter: tantusque piæ causæ est favor, ut Testamento ad profanas causas condito ob solemnitatum defectum corruente, suis tamen stent viribus pia Legata in eo scripta, sintque omnino implenda, veluti prosequitur *citat. Reiffenst. loco citato cap. 5. num. 164., Covarruv. de Testam. cap. 11. numer. 4., Tusch. verb. Legatum. conclus. 109. num. 7.*

Igitur non de solemnitatibus Testamenti, sed de voluntate solummodo Cæsaris Valentini est hodie quærendum. Cum autem Testamento septem testes subscripserint, vix ambigi posse videtur, Cæsarem reapse indicata pia Legata reliquisse. Deest quidem Testamenti authographum: at illud penes Familiam Valentini asservari, pronum est conjicere, cum hæres ex asse scriptus fuerit Franciscus Valentini, cujus apprime interesse debuit, ne testamentariæ tabulæ perirent: Exemplum vero Testamenti ab Archipresbytero *di Gaggio* prolatum, cum pluribus, ac prævalidis adminiculis fulciatur, tantam meretur fidem, quanta ipsimet authographo esset tribuenda, uti docet Rota in *Recent. part. 2. decis. 418. num. 5., et part. 5. tom. 1. decis. 87. num.* 8. Acta siquidem Sacræ Visitationis *anni* 1760. hæc habent. *Visitatum fuit Oratorium publicum de juribus Nob. Viri D. Francisci Valentini. Dictum Oratorium erectum fuit ex devotione Cæsaris Valentini, qui in suo, cum quo decessit, Testamento die* 1. *Augusti* 1735., *gravavit*

ipsius

ipsius hæredem (qui fuit prælaudatus D. Franciscus Valentini) ad celebrari faciendum quolibet anno in perpetuum in dicto Oratorio Missam unam singulis diebus Dominicis , et festis de præcepto (non tamen solemnioribus) , et etiam in festis B. Mariæ Virginis , et insuper Missas duodecim in die festo S. Antonii Patavini 13. Junii . Indicantur deinde Bona Legato gravata , nempe Fundi *del Serraglio* , et prædium situm in Communi *Manzolini* , ac integra exacte refertur dispositio Cæsaris Valentini , minime prætermisso , *quod Calix argenteus semper conservetur , et de hoc Rector Gaddi uti valeat .* Maximam sane Actorum Sacræ Visitationis esse auctoritatem nemo ignorat: quin audiendus sit Comes Petrus , dum omnia insciis Majoribus suis gesta esse opponit ; nihil enim notius , quam occasione sacræ Visitationis pro certis diebus , ac horis omnes vocari , quorum interest : si autem adesse negligant , id sibi tribuant oportet , quin eorum absentia ad convellendam Actorum firmitatem traduci possit .

Exploratum præterea est in facto , Legata a Cæsare ordinata religiosissime impleta fuisse *ab anno* 1735. usque ad *annum* 1781., veluti constat ex indicata Visitatione *anni* 1760. , atque ex alia Visitatione præfato *anno* 1781. expleta . Neque ambigitur , idem prorsus fuisse servatum usque ad *annum* 1820. , quo Comes Petrus a curanda Missarum celebratione cessavit , et argenteum Calicem asportavit . Tam diuturnæ , et constantis observantiæ summum est robur , eaque auctoritatem tribuit exemplo Testamenti, licet authographum lateat . Rota in *Rec. decis.* 460. *num.* 16. *cum seq.* ; præsertim quia Decretis Sacræ Visitationis fuit confirmata , *Piton. Controv. Patronor. alleg.* 5. *num.* 30. , *et hæc Sacra Congregatio in Aquen. Reduct. Onerum* 29. *Januarii* 1791. §. *de Observantia .*

Quod attinet ad tenues Fundorum fructus , si ob neglectam culturam id evenerit, culpæ Comitis Petri erit tribuendum . Cæterum designavit Cæsar = *un fondo assai abbondante , e capace di tal peso* = uti monet Emus Archiepiscopus Bononiensis : neque Comes

mes Petrus evicit, reditus esse oneri ferendo impares. Hinc etsi aucta sit Missarum eleemosyna, nulla tamen adest ratio concedendi earumdem Missarum reductionem, veluti disserit Benedictus XIV. *de Synodo Dioecesana lib.* 13. *cap. ult. num.* 33., *et seqq.*

Quo vero ad præteritas omissiones, pro quibus absolutionem exorat Comes Petrus; perpendendum est in primis, hujusmodi absolutionem concedi, quando Missæ bona fide, et sine culpa celebratæ non fuerint, S. Congregatio in *Bononien. Reductionis* 24. *Novembris* 1823. Videant itaque EE. PP., utrum mala fide, et culpa vacet Orator Valentini, qui Legatum Missarum per annos fere viginti implevit, illudque deinde repente implere recusavit.

Animadvertendum est præterea, Archipresbyterum *di Gaggio* nonnullas Missas per alium Sacerdotem, quamplures per se celebrasse, et jus quæsivisse ex Testamento Cæsaris Valentini, ut pro unaquaque Missa = *le sia pagata una doppia di paoli* 30., *e che il Sig. Erede sia tenuto pagare subito detta doppia senza eccezione, e condizione veruna al detto Rettore, che dica lui la Messa, che sia mancata* = Præstationi sibi debitæ tantum abest, ut renunciare velit Archipresbyter, quin imo protestatus sit = *di ripetere l'elemosina . . . . in vista del privilegio accordato dal Testatore, e per la necessità, in cui il Parroco stesso si ritrova per li restauri alle fabbriche beneficiali della Chiesa, per le quali nessun parrochiano si muove a pietà, riconoscendo questo per un tratto di provvidenza pe' suoi urgentissimi bisogni* =.

Quibus animadversis, proponuntur

Dubia

I. *An constet de piis Legatis in casu etc.*

Et quatenus affirmative

II. *An, et quomodo concedenda sit reductio Missarum in casu etc.*

III. *An, et quomodo concedenda sit absolutio quoad præteritum in casu etc.*

Sess. 24. Cap. 12. De Reform.

BRUNDUSINA SERVITII CHORI = Michael Angelus Incalzi Canonicus, nunc et Cantor Cathedralis Ecclesiæ Ostunensis, necnon Provicarius Generalis illius Diœcesis, exposuit huic Sacro Ordini, servitium Chori, quod a Capitulo præfatæ Cathedralis præstatur, legibus repugnare a Concilio Tridentino sancitis, idque scandalum populo, et dedecus Ecclesiæ afferre.

Rogavi Archiepiscopum Brundusinum, nunc Ostunensis Ecclesiæ Episcopalis Administratorem perpetuum, *pro Informatione, et Voto, audito Capitulo Ostunen., ut referret de Ecclesiæ Constitutionibus, et consuetudine quoad præteritum, transmissa particula earumdem Constitutionum, aliisque documentis ad rem facientibus*. Respondit autem Archiepiscopus, se Michaelem Angelum Incalzi ad secundam Capituli Ostunensis Dignitatem, et Pro-Vicarii Generalis munus evexisse, eique commisisse Sacram Visitationem illius Ecclesiae, ut scandala eliminaret, et Ecclesiasticam disciplinam instauraret; votique compotem se factum dicit, cum Provicarius Visitator in Capituli comitiis *die* 15. *Augusti* 1822. habitis, Punctatores, qui omnino deerant, elegerit, ipsosque jurisjurandi religione ad officium suum exacte obeundum devinxerit.

Capitulum vero constare narrat = *di cinque Dignità, diecinove Canonici, e ventisei Porzionarj, oltre di dieci semplici Sacerdoti, Diaconi, e Suddiaconi; i detti cinquanta hanno in beni fondi ciascuno la sua porzione, che rende annualmente* 70. *in* 80. *Ducati, col*

solo

solo peso di circa 100. Messe l'anno. La prima Dignità ha oltre a ciò una prebenda di annui Ducati 100., le tre successive di circa Ducati 20. più, o meno: la quinta, cui è annessa la Teologale, ha una prebenda straricca di circa Ducati 700., ed i diecinove Canonici, tranne la Penitenziaria, ed un altro, che l'hanno di circa 70. in 80. Ducati; ed altri quattro, che sono senza prebenda, tutti gli altri l'hanno non minori di Ducati 6., non maggiori di Ducati 15.

Addit quoque Archiepiscopus, Canonicos, cœterosque Præbendatos Massa communi frui, qua tum omnibus oneribus publicis, tum Distributionibus Anniversariorum, et solemnitatum, tum stipendiis Ministrorum plenissime satisfaciunt, et quidquid superest inter se dividunt, ita ut unicuique ducata sex, vel octo quotannis obveniant. Servitium vero Chori commune esse monet tam Dignitatibus, Canonicis, et Portionariis, quam Presbyteris, Diaconis, et Subdiaconis non Portionariis, qui nil a Capitulo accipiunt, sed datur eis optio, quoties vacatio alicujus Præbendæ contigerit, ejusdemque servitii qualitatem ita describit.

Tutti i 50. Capitolari, e con essi i Sacerdoti semplici, Diaconi, e Suddiaconi sono divisi in sei turni dieci, per turno, e questi dieci sono quelli, che nel dì della loro settimana, assegnato nella Tabella, sostengono il servizio del Coro: sicchè in quella Chiesa ogni Individuo non è obbligato di servire, che in un giorno solo la settimana. Nelle Domeniche il Coro è servito per turno, e soltanto alla Messa Conventuale, ed alli secondi Vesperi sono obbligati tutti = Diebus vero Solemnitatum nemo adstringitur Chori servitio, eo quod adsint Distributiones pro primis Vesperis, Matutino, Laudibus, Prima, Tertia, et Missa solemni, ac pœna non intervenientium sit amissio distributionum; horis autem Sextæ, Nonæ, et Completorii satisfacit turnus dieci. Ad secundas Vesperas omnes interesse compelluntur punctatura duplici; idemque in Missis Conventualibus, et secundis Vesperis Dominicæ servatur.

Fallentia *ordinaria*, est dimidii Grani pro qualibet hora,

ra, et *duplex* unius Grani; fitque hac enormi fallentiæ tenuitate, ut Capitularis toto anno absens a Choro, summa Ducatorum quatuor, vel ad summum quinque mulctetur. Eadem vero est fallentiæ norma tum pro Dignitatibus, quarum reditus centum superant Ducata; tum pro Canonicis, qui Ducata centum percipiunt; tum pro portionariis, qui 70., vel 80. Ducata ab Ecclesia habent, tum denique pro non Portionariis, quibus nihil Cathedralis Ecclesia pro servitio tribuit: *quando* (ita Archiepiscopus) *per le Leggi della Chiesa, ed anche per sistema Ecclesiastico di questo Regno il mancante al servigio dell' intiero anno dovrebbe soggiacere ad una puntatura equivalente almeno al terzo delle rendite, che percepisce dalla Chiesa.*

Prosequitur Archiepiscopus, Capitulum ipsum ignorare titulum, et auctoritatem, cujus vigore servitium hujusmodi fuerit invectum. Causa vero potuit esse ingens anteactis temporibus Ecclesiasticorum numerus, et non magna capacitas Chori, qui 60., vel 70. viros continere vix potest. Res ita se habuerunt usque ad *annum* 1742., quo Sedem Ostunensem obtinuit Franciscus Antonius Scoppa, eaque in Ecclesia Clericos quamplurimos, et Presbyteros 150. invenit: his autem sensim deficientibus, novit Episcopus, Ecclesiæ servitium in deterius dietim abire. Justas itaque excitavit querelas, et hortationibus, minisque a Promothore Fiscali Fori Ecclesiastici convocari curavit Capitulum, ut Chori servitium ampliaret, quod nisi Canonici, ac cœteri Capitulares sponte fecissent, se ad formam SS. Canonum, et Concilii Tridentini, ex officio jussurum est minatus.

Così fù (pergit Archiepiscopus) *che ai 16. di Novembre 1773. congregatisi capitolarmente innanzi a detto Vescovo, l'Arcidiacono d'allora, confessando di esser giuste, e sante l'intenzioni del Vescovo, e ragionevoli le di lui lagnanze, fu di voto, che invece di stabilirsi un servizio per Settimana intiera, come il Vescovo era in risoluzione di determinare si facesse la divisione degli obligati in tre turni per settimana, cosicchè quelli, che prima servivano un sol giorno, in avvenire servissero in giorni due di ciascuna settimana.* Omnes in voto

Ar-

Archidiaconi fuere, et Episcopo probante novus Tabellæ inscriptus fuit turnus, quo inservientes Feria II. et III. erant numero viginti sex, Feria IV. et V. viginti quatuor, Feria VI. et Sabbatho viginti sex. Verum defuncto Episcopo Scoppa, servitium novissime institutum abjecerunt Capitulares, et vetus illi anteposuerunt, quamvis ob imminutum eorum numerum Ecclesia summum patiatur detrimentum. *Adunque*, concludit Archiepiscopus, *secondo la descritta consuetudine non sono quotidianamente destinati a servire il coro, che soli dieci individui, de' quali avvenendo spesso, che alcuni sieno impotenti per vecchiaja, o malattia, ed altri non curanti il dovere, e l'esile puntatura: ordinariamente sostengono il coro cinque, o sei, o sette individui, per cui mancano sempre gli assistenti alle Messe Conventuali; mentre la Chiesa fornisce la sussistenza comoda a cinquanta Individui.*

Convocato Ostunensi Capitulo *die 3. Decembris* 1822 varia fuit Capitularium opinio; prævaluit autem sententia, nihil innovandum esse, ac deputandos, qui Archiepiscopum perpetuum Administratorem adeuntes providerent, ne servitium novum induceretur; non alia quidem de causa, nisi quia ab instituto Majorum recedere nolebant. Canonicus tamen Cataldus Incalzi opportunam censuit servitii statutam ampliationem *die 16. Novembris* 1773., et fallentiæ ordinariæ augmentum ad Granum unum, duplicis vero, ad duo Grana, atque hujus servitii adprobationem ab hac Sac. Congregatione esse implorandam. Verum de hoc nulla unquam ab Ostunensi Capitulo fuit oblata petitio.

Exploratum est ex *Canon. ult. Dist.* 92. eos, qui chorali beneficio fruebantur, singulis diebus Choro interesse ad celebranda divina Officia debuisse; attamen uti notat *Garzias de Beneficiis part. 3 Cap.* 311., cum nimis gravis videretur totius anni residentia, oportuit aliquid juxta fragilitatem humanam indulgere ad corporis, animique levamen. Plures tamen deinde irrepserunt corruptelæ, ad quas eliminandas Tridentini Patres, severitati indulgentiam miscentes, trium mensium vacationes Capitulis indulserunt, ge-

ne-

nerali Præbendatis omnibus tum Cathedralium, tum Collegiatarum Ecclesiarum indicta lege, ut = *non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt = Sess. 24. Cap. 12. de Reform.*

Quapropter Sac. Congregatio, deficiente necessaria causa, perpetuo reprobavit Statuta, et consuetudines vacandi a servitio Chori ultra tres menses: suisque stare viribus respondit leges, et consuetudines, quæ longius servitii tempus statuerunt, ut videre est in *Catacen. 29. Aprilis* 1698. *Lib. Decr. 48. fol.* 567., *in Tusculana Servitii Chori* 18. *Junii* 1808., *et in Salernitana Servitii Chori* 23. *Junii* 1821. Nulliusque momenti habendam, imo a Trid. Synodo sublatam penitus edixit quamcumque contrariam consuetudinem etiam immemorabilem, uti monent *Fagnan. in Cap. Licet de Præben. n.* 33. *et seq.*, *Bened. XIV. Notific.* 107. § 6. *n.* 31. *in fine*, qui refert resolutionem hujus Sac. Congregationis in *Calaritana* 1581. *Lib. 3. Decret. pag.* 186., cui consonat alia definitio *in Jovinen. Jurium Parochialium* 17. *Junii* 1820.

Favore Capituli cum præbendarum tenuitas proponi nequeat, uti ex Archiepiscopi relatione patet, nihil præter longævam consuetudinem afferri posse videtur. Consuetudo enim, quando centenaria vel immemorabilis est, præsumptionem cujuscumque melioris tituli, ac proinde Apostolici etiam Beneplaciti secumfert. *L. hoc jure §. Diutius ff. de aqu. quot.*, *Rota in Romana Locationis super devolutione, et associationi* 15. *Martii* 1789. *coram Emo Cesarei*, et Sac. Congregatio in *Prænestina Reparationis Ecclesiæ* 6. *Maj* 1820. Videant tamen EE. PP., an consuetudo utiliter proferri valeat, postquam *anno* 1773. immutatum fuit Chori servitium, novaque methodus usque ad obitum Episcopi Scoppa fuit servata: quandoquidem unicus etiam actus ad consuetudinem evertendam sufficit. *Rota cor. Ludovis. dec.* 162. *n.* 9. *cor. Falconer. tit. de miscell. dec.* 34. *n.* 16., et Sac. Congregatio in *Bovinen. Jurium Parochialium* 27. *Maji* 1821. Videant quoque, an ad Ostunense Capitulum pertineat de-

definitio, quam in longe duriori casu tenuitatis præbendarum, et immemorabilis consuetudinis edidit hæc Sac. Congreg. in *Hieracen. Servitii* 13. *Martii* 1660. *Lib. Decr.* 22. *fol.* 66. *terg.* Nam exposuerunt Canonici Cathedralis Hieracensis, *se per Episcopum cogi ad servitium Chori juxta formam a Sac. Conc. Trid. præscriptam, cum tamen ipsi attenta redituum tenuitate, et immemorabili consuetudine soliti sint, mense quolibet in sex partes diviso, alternatim inservire, seu ut vulgo dicitur* per sestaria. *Quare petebant præscribi Episcopo, ne quid innovaret*: verum Sac. Congreg. respondit *Non esse annuendum*.

Quoad fallentias inquirendum est, an ordinaria in dimidio Grano, et duplex in unico Grano constitui possit; jubente Tridentina Synodo *Sess.* 21. *cap.* 3. *tam in Ecclesiis Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones, vel ita tenues, ut verosimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum, et obventionum, tam Canonicatuum, quam Dignitatum, Personatuum, Portionum, et Officiorum separari debere, et in distributiones quotidianas converti*: idque totidem verbis repetit *Moneta de Distrib. part.* 1. *qu.* 5. *n.* 25. et opportune monet *Bened. XIV. citat. Notific.* 107. §. 7. *n.* 41. Quin præsidium ab observantia quantumvis immemorabili sperare valeat Ostunense Capitulum; eam enim pro distributionibus normam statuit laudata Synodus *non obstantibus exemptionibus, ac aliis consuetudinibus etiam immemorabilibus*.

Cæterum irrationabilis dicenda est consuetudo, quæ amplam negligendo Ecclesiæ servitio viam sternit, et finem evertit, ob quem distributiones quotidianæ fuere constitutæ. *Cap.* 7. *et Cap. ult. de consuet., Azor. part.* 1. *Lib.* 5. *cap.* 17. *qu.* 5., *Sac. Congr. in Januen. Juris eligendi, et adhibendi Notarii* 31. *Julii* 1819. *et in Balneoregien. Visitationis SS. Liminum quoad curam animarum* 24. *Maji* 1821. Itaque ne consuetudinis quidem nomen meretur, sed abusus, et corruptela est appellanda; ideoque illam omnino reprobari, et abusum eliminari oportet *Glossa in cap. Cum tanto* §. *Legitima. De consuet. Sac. Congregatio in citat.*

tat.

tat. Balneoregien. Visitationis etc. 24. Maji 1821. Quare ab EE. VV. dirimenda erunt

Dubia

I. *An, et quomodo ampliandum sit servitium Chori in casu etc.*
II. *An, et in qua summa sint constituendæ fallentiæ in casu etc.*

Die Sabathi 26. Junii 1824. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

PISAUREN. QUARTÆ FUNERALIS. *Sess.25.cap.13. de reform.*

Dubium

An, et quomodo Parocho S. Jacobi debeatur Quarta Funeralis in casu etc.

Affirmative juxta loci consuetudinem.

RAVENNATEN. REDUCTIONIS MISSARUM. *Sess.25.cap.4. de reform.*

Dubium

An, et quomodo sit reducendum onus Missarum in casu etc.

Negative in omnibus.

Sess. 22. cap. 6, et sess. 25. cap. 4. de reform.

BONONIEN. REDUCTIONIS MISSARUM.

Dubia

I. *An constet de piis Legatis in casu etc.*
Et quatenus affirmative
II. *An, et quomodo concedenda sit reductio Missarum in casu etc.*
III. *An, et quomodo concedenda sit absolutio quoad præteritum in casu etc.*

Ad I. Affirmative.
Ad II. Negative in omnibus.
Ad III. Negative in omnibus, et Emus Archiepiscopus curet executionem legatorum ad formam testamenti, et capi inscriptionem.

Sess. 24. cap. 12. de reform.

BRUNDUSINA SEU OSTUNEN. SERVITII CHORI.

Dubia

I. *An, et quomodo ampliandum sit Servitium Chori in casu etc.*
II. *An, et in qua summa sint constituendæ fallentiæ in casu etc.*

Ad I. affirmative ad formam decreti Concilii Tridentini sess. 24. cap. 12. de refor., et ad mentem.
Ad II. Affirmative, in tertia parte fructuum ad formam decreti Concilii Tridentini sess. 21. cap. 3. de reform.

Sess. 24. cap. 1. de reform. Matrim.

LAURETANA MATRIMONII SUPER ALIMENTIS.
Facti seriem habent EE. PP. in Folio *diei 31. Januarii labentis anni*; controversia vero proposita sub Dubio: *An,*

An, in qua summa, et a quo tempore sit locus subministrationi alimentorum in casu etc. dirempta fuit in Comitiis *diei 21. Februarii sequentis*, edito rescripto: *Affirmative pro summa scutorum vigintiquinque quolibet mense a die motæ Litis*. Moras nectere coram Episcopali Curia Lauretana, et judicium ad impediendam præfati rescripti executionem instituere tentavit Vincentius Riccardi, etiam nomine filii sui Jo: Baptistæ: sed instante Theresia Bellini, *die 2. Aprilis proxim. præt.* decretum fuit *ab Episcopali Curia*, *esse procedendum ad promptam executionem rescripti Sac. Congregationis diei 21. Februarii*. Novi ineundi certaminis veniam tunc imploravit Vincentius, eamque non aliter in Causa Alimentorum obtinuit, quam addita clausula *non retardata executione*: hinc ad R. P. D. Auditorem SSmi confugit, qui eidem *impertitus est licentiam de redeundo, subministratis scutis centum, pro quibus relaxavit Mandatum.*

Decreto R. P. D. Auditoris SSmi paruit Vincentius Riccardi: hodie vero propugnat, nulla deberi alimenta Theresiæ, cui succenset, quod alias Comitem Osualdum Carradori ad ineunda secum sponsalia illecebris adduxerit, et quam insimulat, ad contrahendum clandestinum matrimonium nuper machinationibus impulisse Jo. Baptistam filium suum, quem non sanæ mentis adolescentem esse, Medicorum, et Chirurgi attestationibus evincere nititur: quem imo dementem, ac fatuum ab omnibus haberi, compluribus allatis testibus ostendit, inter quos Parochus recensetur, intra cujus Parœciæ fines idem Jo. Baptista nunc Florentiæ degit. Non inficiatur Vincentius, generatim alimenta deberi mulieri etiam pendente lite de matrimonii validitate, ne illis carens litem deserere cogatur, ac fame pereat: at negat, hanc juris, et forensis praxis regulam opitulari Theresiæ, quæ instituti de matrimonii validitate, vel dispensatione judicii cursum remoratur. Corporis enim inspectionem fieri non patitur, etsi jussu hujus Sac. Congregationis terminus ad illam explendam fuerit statutus: ac tantummodo = *promette, che quante volte dal suo Consorte* (qui jam ab anno Florentiæ vivit) *gli verrà VERBALMENTE detto, o che si assoggetti alla visita, o che*

esso non sarà dispiacente, se si sottomette a questa ispezione del suo corpo, si addatterà subito ai voleri dei Superiori.

Animadvertendum in primis esse, ait Vincentius, *contra quem* alimenta petantur: nam Jo. Baptista Riccardi filiusfamilias est, nihilque in Bonis habet; ideoque alimenta contra ejus Patrem petuntur. De Socero quidem statutum est, ut Nurum legitimam agnoscere, ac proinde alere teneatur; at pro legitima Nuru haberi nequit mulier, quæ cum filio de validitate matrimonii litigat, proindeque hoc in themate Pater ad alimenta præstanda cogi nequit, uti respondit *Rota in Recent. part. 4. tom. 3. decis.* 617. *num.* 1. *et seq.* Addit etiam, se Filii matrimonio cum Theresia nunquam assensum præbuisse, imo semper dissensisse: hinc etsi nulla contra rei veritatem esset de illius validitate controversia, *jure actionis* alimenta contra filium, a Patre vero *in subsidium* tantum, *officio Judicis*, ac intra limites meræ necessitatis peti possent, *Rota in Recent. part.* 18. *tom.* 1. *decis.* 330. *num.* 15., *et in Salernitana Alimentorum super Rejudicata* 11. *Maji* 1753. §. 5. *cor. Bussio.*

Itaque opus foret, ut Theresia evinceret, se tanta premi ægestate, ut vivere nequeat, nisi alimenta in subsidium Judicis officio consequatur, *Rota in Recent. citat. decis.* 330. *num.* 18. Negat Vincentius, allatas de hujusmodi necessitate fuisse concludentes probationes, ac præterea sui patrimonii tenuitatem exponit, qua fit, ut deductis oneribus, et æris alieni usuris, vix annuus reditus supersit *scutorum* 427. 98. Inde vero infert, injustam simul, et excessivam fuisse taxationem alimentorum pro Theresia in *scutis* 25. *quolibet mense*, ideoque in annuis *scutis* 300., qua fieret, ut *scuta* 127. 98. remanerent, quibus ipse Paterfamilias annos numerans *septuaginta quatuor*, Uxor, ac Filius Jo. Baptista ad vitam sustentandam uterentur. Quamobrem non præsens tantum Lis deserenda, sed omnibus esset fame pereundum, ut commodam Theresia vitam duceret: concludit proinde, neque statutam alimentorum quantitatem, neque ulla prorsus alimenta eidem Theresiæ deberi.

Verum reponit Theresiæ Defensor, nunc de alimentis disputari, non de validitate matrimonii, pro qua cæteroquin Sententia prodiit Vicarii Generalis Lauretanæ

Cu-

Curiæ Episcopalis: ad controversiam vero tantummodo de matrimonii validitate pertinere, quæ de assertis Theresiæ illecebris, ac machinationibus, deque inconsulto excogitata Jo. Baptistæ dementia proponuntur. Fatetur quidem, Theresiam olim sponsalia cum Com. Osualdo Carradori contraxisse: verum adeo abfuisse dicit, ut eum illecebris irretitum sibi sponsum quæsierit, quin imo Osualdum paulo post a sponsalibus resilire ultro permiserit, quamvis ipsum ad promissa implenda validissimis Juris remediis cogere potuisset. Negat autem ullis machinationibus cum Jo. Baptista usam esse Theresiam: de quibus cum nullæ prorsus afferantur probationes, tum quamlibet earum suspicionem exulare asseverat, quia Jo. Baptistæ, cum primum de matrimonio contrahendo verba fecit, sponsalia cum Comite Osualdo Carradori inita, et deinde resoluta sincere pandidit.

Dementiæ vero fabulam, si de illa nunc esset disserendi locus, multis nominibus explodi sustinet Theresiæ Defensor. Homini enim a natura datum est, ut sapiat, ideoque inimica naturali ejusdem statui est insania, de qua proinde graves, inconcussæ, et nulli omnino ambiguitati obnoxiæ probationes sunt afferendæ, *Rota in Ferrarien. Immissionis* 21. *Februarii* 1791. *§.*20. *cor. Acciajuoli*, *et in Ravennaten. Beneficii* 22. *Junii* 1795. *§.6. cor. Eod.* Testes quidem complures induxit Vincentius, sed extrajudiciales, pendente lite ad opportunitatem conquisitos, de propria credulitate, vel de auditu ab aliis deponentes, aut leves, et ineptas scientiæ suæ causas proponentes; qui varia, ac etiam invicem pugnantia narrant; qui ut plurimum conditione viles, fama non integri, atque idcirco gravissimis suspicionibus, et exceptionibus sunt obnoxii. Præterea hujusmodi Testes ab aliis conflictantur Testibus de sana Jo. Baptistæ mente disertum dicentibus testimonium, quod summi esse momenti habendum, et contrariorum Testium dictis anteferendum docet *Rota in Ferrarien. Immissionis* 27. *Junii* 1783. *§.* 11. *cor. Soderino*, *et in citat. Ravennaten. Beneficii* 22. *Junii* 1795. *§.8. cor. Acciajuoli*.

Testibus de sana Jo. Baptistæ mente deponentibus adstipulantur Acta Judicii coram Vicario Generali Laureta-

no

no expleti, ac præsertim responsiones interrogationibus judicialibus ab eodem Jo. Baptista datæ, quæ ipsum non sanitate mentis tantum, sed quadam etiam ingenii vi pollere ostendunt: quo in Judicio neque assertæ dementiæ commentum fuit propositum, neque Vicarius Generalis pro validitate matrimonii suam tulisset sententiam, si Jo. Baptista Riccardi imbecillis, ac fatuus ab omnibus esset habitus. Constabat denique in facto, Jo. Baptistam optimis imbutum moribus, et eximia pietate adolescentem, dum Laureti morabatur, ac eo præcise tempore, quo matrimonium cum Theresia contraxit, pluries suscepto Pœnitentiæ Sacramento; pluries etiam fuisse Sacra Synaxi refectum: præsto igitur erat sanæ mentis demonstratio, qua nulla firmior, et luculentior proferri poterat, uti respondit *Rota in Romana Testamenti 23. Junii 1754. §.7. cor. Card. Molino, in Ferrarien. Immissionis 27. Junii 1783. §.7. cor. Soderino, et in citat. Ravennaten. Beneficii 22. Junii 1795. §.12. cor. Acciajuoli.*

Alimenta vero petens Theresia, pergit ejus Defensor, et bono jure se pollere ostendit, et paupertate premi; quorum alterum ex Episcopalis Lauretanæ Curiæ sententia profluit, alterum vero firmis probatur monumentis. Paupertati socia cum Uxoris qualitas accedat, alimenta eidem Theresiæ debentur juxta conditionem Familiæ Riccardi, quam nobilissimam dixerunt, ac opibus apprime florentem innuerunt, qui Vincentii jura in præterita actione tuebantur. Quin obsit alimenta peti non tam a Viro, quam a Viri Patre: ea vero a Socero deberi legitimæ Nurui, non autem a Patre illius, cum quo fœmina de matrimonii validitate contendit. Nam Theresia, quæ Sententiam pro validitate sui matrimonii jam obtinuit, legitima Nurus est habenda, ut in themate monent *Surd. de Aliment. quæst.118. num. 8., Rota in Recent. part. 8. dec. 124. num.6. et* 15. Fœminæ autem non tam de validitate, quam de existentia matrimonii litiganti, a Patre tunc jure denegantur alimenta, quando *non apparet uxor filii sui*, uti habet a Vincentio allegata *dec.617. num.3. in recent. part. 4. tom.3.*, quod ad Theresiam nequaquam pertinere patet.

Addit

Addit quoque, inspectioni corporis minime Theresiam repugnare, sed illam rite, recteque peragi velle: quod si repugnaret, non tamen alimentis esset privanda, antequam ipsam injuria contradicere decerneretur. Peragendam vero esse inspectionem Theresia contendit, volente, vel certe sciente, ac non abnuente Viro suo Jo. Baptista, præeunte Decreto, quo eadem inspectio demandetur, quodque omnibus interesse habentibus fuerit intimatum. Editum quidem fuit hujusmodi Decretum: at quando Mense *Maji mox elapsi* interesse habentes erant citandi, Apparitor *Laureti* citationem obtulisse asseruit *alli Sigg. Gio. Battista Riccardi, ed al Sig. Vincenzo Riccardi in persona*; apertissima idcirco est hujusmodi *relationis* falsitas, cum Jo. Baptista jam ab anno Lauretum deseruerit, ac Florentiæ moretur. Eodem vitio cætera infecta sunt Acta: minime proinde constat, Jo. Baptistam peragendæ inspectioni corporis Uxoris assensum suum accommodasse; patet imo, ipso prorsus ignorante, omnia patrari in apertam juris, et praxis eversionem. Inde vero contigisse dicit, ut protestata sit Theresia de Viri assensu *verbalmente* obtinendo, cum Jo. Baptistam Laureti adesse judicialibus ex Actis erueretur: cumque post indicatas falsitates, ac tam patentia molimina nequaquam fidendum sit consensui, quem præsens Jo. Baptista non præstiterit, si forte ab ipso per Litteras præstitus exhibeatur.

Opulentum esse patrimonium Familiæ Riccardi asserit Theresiæ Defensor, ac prolatis Censualis Codicis adnotationibus evincere conatur, quibus et armenta, et Debitorum nomina adjungenda monet. Nihil autem fidendum dicit suspectissimæ nuper interrogati Periti relationi, quam Vincentius exhibuit, et cui æque suspectas de nuper contracto ære alieno Syngraphas, et veteres quasdam hypothecarias inscriptiones adjunxit. Perito enim succenset, quia in statuendo Fundorum valore erraverit: æs autem alienum ad fraudem faciendam simulatum esse dicit, et hypothecarias inscriptiones ad nomina jam extincta pertinere posse. Inde vero concludit, inanem esse de alimentis *jure actionis*, vel potius *in subsidium*, *et Judicis officio* præstandis disputationem, cum tam uberes existant pa-

patrimonii Riccardi reditus, ut mitissima sit alimentorum taxatio in annuis *scutis* 300. pro Theresia, quam statuit præcedens Sac. Congregationis resolutio, cui confirmationis robur hodie adjici implorat.

Cætera EE. PP. habent in Allegationibus, et Summariis utrinque distribuendis: dignentur autem resumere Folium *diei* 31. *Januarii prox. præt.*, ac dirimere, quod proponitur

Dubium

An sit standum, vel recedendum a Decisis in casu etc.

In decretis juxta modum, nempe pro scutis decem pro quolibet mense.

Sess. 24. cap. 14. de Reform.

INTERAMNEN. OPTIONIS. Cætera inter bona, ex quibus Massa Capitularis pro distributionibus Cathedralis Ecclesiæ Interamnen. constabat, prædia recensebantur a piis testatoribus Fabio Nuccula, et Plautilla Ranieri Capitulo relicta, cum onere plura Anniversaria, et Missas quolibet anno celebrandi. Rem sibi, et agrorum culturæ perutilem fore censentes Canonici, si prædicta prædia inter ipsos partirentur; hanc Sacram adierunt Congregationem, votique compotes facti sunt rescripto *diei* 20. *Junii* 1643., quo preces ablegatæ fuere Episcopo Interamnen., qui *pro suo arbitrio indulgeat, ut Canonici Oratores dictas terras Præbendis Canonicalibus pro rata distribuere valeant.*

Episcopus autem *die* 26. *Februarii* 1644. decrevit, *ut distributio fieri debeat a Canonicis modo, et forma, prout in Capitulis confectis a Dominatione sua*; quibus cautum fuerat. 1.° *Che non s' intenda per alcun tempo mai traslato il dominio del Capitolo, che ha sopra dette terre, ma solo l'usufrutto di esse.* 2.° *Che il fruttato della parte delle terre, che toccherà a qualsivoglia Priore, o Canonico, s' intenda sempre per di-*

stri-

stribuzione quotidiana. 3.° Che la puntatura a danno importi per l'avvenire tanto, quanto importa, se in essa fosse compreso il frutto delle terre, che al presente si distribuiranno. 9.° Che si possa ottare la parte del defonto dalli più antichi, e più susseguenti. 11.° Che in ultimo il Capitolo si riserva l'autorità di poter ampliare, dichiarare, e moderare li sudetti Capitoli, non mutata la sostanza di essi in pregiudizio del servizio del Coro, e del Capitolo, e terre distribuite.

Canonicus Prior Interamnensis Ecclesiæ Cathedralis prima, et unica est dignitas post Pontificalem, et duplices pro Chorali servitio distributiones lucratur; hinc ex quindecim æqualibus portionibus, in quas terræ *die 27. Februarii* 1644. distributæ fuere, duas, *undecimam*, et *decimam quintam*, sorte adeptus est Prior Franciscus Scacchi, singulis autem Canonicis singulæ partes obtigerunt.

Obiit eodem anno Prior Scacchi, et ad tramites Capitulorum alteram ex duabus portionibus terrarum, quas ipse possederat, optavit Canonicus Diamante *die 3. Octobris*, eamque optionem nedum facto probavit novus Prior Joannes Campi, partem terrarum a Canonico Diamante dimissam, et alteram defuncti Prioris portionem nanciscendo, sed insuper ad lites in posterum penitus eliminandas auctor fuit, ut *die 3. Februarii insequentis anni* 1645. capitulariter statueretur: *che morendo alcuno Priore, o Canonico, sia lecito prima al Priore, e poi agli altri Canonici per anzianità presenti, ed assenti per causa legittima, ottare le porzioni del defonto Priore, e quella del defonto Canonico.* Reque vera cum ipse Prior Campi, tum ejus Successores partes terrarum (quæ ob facilem transitum de uno ad alium *Volanti* appellari cœperunt) per obitum Canonicorum vacantes iteratis vicibus optarunt, et vicissim Canonici jure optandi portiones Priorum, qui ex hac vita migrarant, similiter usi sunt ad annum usque 1685., in quo partes Prioris Petri Pauli Paradisi per optionem adepti sunt Canonici Franciscus Scarlattini, et Jo: Baptista Cenni.

Prioratus dignitatem a Sede Apostolica sibi conferri deinde obtinuit Canonicus Scarlattini, eoque decedente, ipsius Coadjutor Christophorus Dammi partes terra-

rum, quas possederat Coadjutus, assecutus est; idemque servatum fuisse post obitum Prioris Damini certo constat, cujus Coadjutor Gabriel Nicoletti easdem obtinuit *Volanti*, quin Capitulum optionem sibi vindicare contenderit. Verum ubi *anno* 1801. sine Coadjutore obiit Prior Nicoletti, *die* 21. *Junii* de optione *delle Volanti* a Capitulo est actum, *ma non avendosi cognizione precisa dei beni, che le componevano, fu differita l'ozzione, e venne registrata in quella risoluzione Capitolare la formale protesta del Capitolo per detta ozzione da farsi in appresso.* Priori Nicoletti successit Aloysius Federici, qui licet *die* 11. *Julii* 1801. a Dataria Bullas collationis Prioratus obtinuisset pro annuo reditu aureorum 24.; alias *die 22. ejusdem mensis* impetravit Apostolicas Litteras pro annuo reditu aureorum 55., atque ita in possessionem immissus fuit *delle Volanti*, quas antecessor possederat.

Antiquis Capitulis *anni* 1644. accesserunt Constitutiones Capitulares *anno* 1804., probante Episcopo, confectæ; in quibus terrarum divisionem in quindecim partes, jamdiu *Volanti* nuncupatas, Capitulum in primis ratam habuit, ac deinde statuit: *Vacata che sia qualunque di tali Volanti, deve subito darsi luogo all'ozzione e prima li più anziani, e poi li susseguenti sono liberi a prender l' amministrazione, e goder l'usufrutto lasciando però la Volante goduta, la quale similmente considerandosi in tal caso come vacante, potrà ottarsi dagli altri*; ita ut *se mai alcuno dei nuovamente provisti di Priorato, o Canonicato pretendesse la Volante del suo Antecessore, commetterebbe una vera ingiustizia, e la commetterebbe ancorchè la pretendesse in virtù di Bolle Apostoliche, se nella supplica data non avesse sinceramente espressa la natura di tal Volante, e il dominio legittimo, che ne ha il Capitolo, perchè la grazia ottenuta, essendo evidentemente surrettizia, anche il possesso sarebbe una vera usurpazione.*

Vita functo Priore Federici, expleta est a Capitulo *nel dì 6. Gennaro* 1822. *l'ozzione delle due Volanti, che eransi godute dal detto Prior Federici, per la qual'ozzione motivò favorevolmente il suo parere Monsignor D. Gregorio Fabrizj in allora Canonico Consultore, il qua-*

quale profittò di tal'ozzione, e conseguì una più pingue Volante. Sed Prioratus Dignitate donatus paulo post a Sede Apostolica idem R.P.D. Fabrizj cum assignatione *delle Volanti* ab aliis Canonicis dimissarum, jura ejusdem Dignitatis, non minus quam Sedis Apostolicæ, per optionem læsa existimans, *die* 7. *Decembris* 1822. querelam in Cancellaria Episcopali proposuit nullitatis optionis a Capitulo peractæ, easdem contendens sibi deberi *Volanti*, quibus ejus Antecessores gavisi fuerant. Supplicem deinde obtulit libellum, quo ab hac Sac. Congregatione quæstionis definitionem poposcit. Rogatus de more Episcopus, transmisit quidem in scriptis jura Capituli, sed cum novo Episcopo nova sint omnia, a voto suo pandendo abstinuit.

Optionem evertere nititur R. P. D. Fabrizj *ex regula* 4. Cancellariæ, qua S. Sedis dispositioni reservantur omnes Dignitates majores post Pontificales in Ecclesiis Cathedralibus, atque *ex Regula* 8. *nunc* 9., qua statuitur, adversus Apostolicas reservationes minime suffragari consuetudines etiam immemorabiles, nec non privilegia, etiam in limine fundationis concessa, et Indulta Apostolica optandi majores, et pinguiores præbendas. Quamvis enim *Regula* 9. Cancellariæ de optione loquatur beneficiorum, quæ in mensibus vacant Apostolicæ Sedi reservatis; ejus tamen dispositio protrahitur ad Beneficia quomodolibet summis Pontificibus reservata, *Gonzalez ad Reg.* 8. *glos.* 34. *n.* 2., *Rota decis.* 4. de *consuet. in novissim.* Impedit autem eadem Regula non modo Beneficiorum, verum etiam annexorum optionem, adeout vigore statuti, aut consuetudinis optari annexa queant, si Beneficia conferat Episcopus, ubi tamen collatio pertineat ad Sedem Apostolicam, cesset optio, et annexa una cum principali ab eadem Apostolica Sede conferantur, *Rota coram Emerix Jun. dec.* 745. *num.* 3., *et in Mantuana Optionis* 10. *Januarii* 1721. *§. certe coram Lancetta*. Reservatio enim, et affectio super principali præbendam afficit, et alia ei annexa, *Panormit. in cap. Majoribus n.* 4., *et cap. Dilecto n.* 6. *de Præbend.* Nec opus est, ut inseparabiliter singulis Beneficiis sint annexa, *Card. de Luca de pension. disc.* 16. *n.* 3., *Tondut. de pens. cap.* 22. *n.* 15., *Pignatelli tom.* 5.

 consult.

consult. 73. *num.* 2. Cum enim annexa inseparabiliter Beneficio, vel Canonicatui ne per momentum quidem ab eo divelli queant, *Gonzalez loc. cit. n.* 32., *Lotter. de re benef. lib.* 1. *quæst.* 19. *n.* 23., ac proinde eodem jure censenda sint, ac ipse Canonicatus; Regula 9. generatim intelligenda est de annexis etiam separabiliter, secus inutiliter optioni derogasset, *Passerin. in cap. final. n.* 82. *de consuet. in* 6., *Pasqualig. quæst.* 254., *et Rigant. in Comment. ad reg.* 9. *Cancell.* §. 5. *n.* 16.

Prædiorum vero, seu portionum annexio in genere habetur, quoties portiones ita a Canonicatibus proficiscantur, ceu filia a matre, *Cap. Dilecto. de præbend. Rota cor. Manzaned. decis.* 81. *n.* 4., *et in Mediolanen. Canonicatus* 4. *Julii* 1636. §. *Non obstat. cor. Ghislerio.* Item si conferri nequeant, nisi ejusdem Ecclesiæ Canonicis, *Card. de Luca loc. cit. n.* 3., *Pignatelli consult.* 74. *tom.* 5., *et Rota in eadem Mediolanen.* Tandem si tot fuerint portiones, quot Canonicatus, juxta theoricam *Abbatis in Cap. Majoribus n.* 4. *de Præbend.*, *Piton. Discept. Eccl.* 10. *n.* 22., *Barbosa de Canonic. cap.* 12. *n.* 10. Quæ omnia prorsus convenire portionibus *Volanti* Ecclesiæ Interamnen. R. P. D. Fabrizj animadvertit. Rescripto enim hujus S. Congregationis *anni* 1643. prædia ex piis legatis obventa singulis præbendis Canonicalibus pro rata fuerunt distributa, ac propterea singulis Canonicatibus in genere annexa; Fructus igitur eorumdem prædiorum ex Canonicatibus, sicut filia a matre, nasci videntur. Portiones *Volanti* aliis tribui nequeunt, quam Canonicis memoratæ Ecclesiæ Cathedralis, quibus tantummodo optandi jus fuit reservatum. Demum tot sunt *Volanti*, quot Canonicatus, uti est in facto apprime compertum.

Ultimum quoque statum, et centenariam observantiam profert R. P. D. Fabrizj, ut reservationi Prioratus annexa quoque subesse, et optionem haud rite factam evincat. Pontifex enim in ultimo statu, seu provisione Apostolica *anni* 1801. Aloysio Federici contulit et Prioratum, et portiones *Volanti* a defuncto Priore Nicoletti possessas, inde vero jus oritur S. Sedis de Prioratu, et annexis in nova vacatione disponendi, *Piton.*

in addit. ad discept. 10. n. 39., *Rota in Praten. Beneficii 1. Decemb. 1719. §. Constans. cor. Crispo*; Tunc autem Prior Federici vigore Literarum Apostolicarum easdem nactus est, ac ad obitum usque retinuit, *Volanti*, quas ab annis 1685., et 1693. Prior Scarlattini, ac deinde Priores Dammi, et Nicoletti sine optione, et procul ab omni Capituli contentione possederant. Nec sibi Præsul Fabrizj obesse censet, vel antiqua optionum exempla, vel Capitula *anni* 1644., et Capitulares Constitutiones *anni* 1804., cum exemplis hujusmodi jam derogaverit contraria observantia, imo nulla opus fuerit derogatione, quoniam *Regula* 9. Cancellariæ quaslibet abrogat consuetudines pinguiores optandi præbendas, *Rota in Recent. part. 8. decis. 10. n. 4.*, *et decis. 138. num. 1.* Portiones autem *Volanti* non ex bonis laicorum, sed ex reditibus, qui jamdiu ad Ecclesiam spectabant, ab Episcopo, et Capitulo constitutæ fuerunt. Nullum itaque pactum, vel conditio, nulla Capitula, vel Capitulares Constitutiones etiam in limine fundationis excludere poterant reservationem Apostolicam, *citat. Reg. 9. Canc.*, *Piton. in citat. addit. n. 33.*, *Rota in Aprutina Beneficii 19. Junii 1705. §. Nam. coram Scotto*, *et in Barchinonen. Beneficii 6. Junii 1720. §. Porro. coram Cerro.*

Capitulum vero Interamnense optionem portionum *Volanti* minime a *Regula* 9. Cancellariæ excludi contendit. Fatetur ultro, eidem Regulæ subjici membra Canonicatibus inseparabiliter annexa; tunc enim quid unum cum præbenda Canonicali constituunt, et naturam induunt principalis, ideoque illorum, uti et Canonicatus, collatio ad Sedem Apostolicam spectat, *Rota in Mediolanen. Optionis 29. Aprilis 1711. § neque ista. cor. Falconerio*, *et in Mantuana Optionis 10. Januarii 1721. §. Ita. cor. Lancetta.* Negat autem prorsus, *Regulæ* 9. obnoxias esse portiones in genere tantum, et separabiliter Canonicatibus annexas. Quum enim hujusmodi portiones, in genere tantum annexæ, a singulis Canonicatibus per optionem separari queant, atque inter Canonicos permutari sine ulla tituli Canonicalis mutatione, nullaque intercedente Superioris auctoritate, veluti res temporales habentur, uti admonent *Lotter. de re benefic. lib. 1. quæst. 19. n. 18.*, *Piton. in cit. addit. n. 10. et seq.* Reservatio autem

per

per Regulam 9. inducta præbendas tantum spirituales, non res temporales comprehendit, uti post *Castropal. oper. moral. tom. 2. tract. 3. disp. 2. punct. 22 §. 6. n. 7.*, *et Rotam cor. Manzaned. decis. 52 n. 3.* docet *Gonzalez ad Reg. 8. Cancel. gloss. 34.* scribens *regulam nostram prohibentem consuetudinem etiam immemorabilem optandi, procedere dumtaxat in optione præbendarum spiritualium, secus vero temporalium.*

Porro quod portiones *Volanti* Cathedralis Ecclesiæ Interamnen. sint tantummodo in genere, et separabiliter singulis præbendis Canonicalibus adnexæ, ipse contitetur Præsul Fabrizj; et liquido constat ex Statutis, et consuetudine illius Ecclesiæ, optionem terrarum in vacatione tribuentibus antiquiori Canonico, nulla interveniente tituli mutatione, aut superioris auctoritate. Quæ optandi ratio suadet etiam, easdem *Volanti* res esse temporales ad tradita *per Piton. in cit. addit: num. 11. et 12.*, *Lotter. loc. cit. num. 14.*; *Monet. de opt. cap. 7. quæst. 3. conclus. 3. num. 33.*

Præterea quamvis Regula 9. Cancellariæ derogans consuetudinibus optandi præbendas pinguiores, afficeret quoque fundos separabiliter, et in genere Canonicatibus annexos; minus tamen recte, ait Capitulum, ea derogatio producitur ad Beneficia Sedi Apostolicæ reservata per alias Cancellariæ regulas, docente peritissimo Riganti *ad eamd. Reg. 9. num. 18.* = *Quando agitur de alia reservatione generaliter deducta, vel ab Extravag.* Ad regimen, *vel ab aliis Regulis Cancellariæ, hoc casu, licet tituli Canonicales optari non possint, hujusmodi tamen res temporales optari possunt, quoties non concurrit specialis derogatio* =. Et concinunt *Fermosinus in cap. Cum M. Ferrariensis. De constit. quæst. 2. num. 31.*, *Rota decis. 743. §. fin. cor. Emerix*, *et in Bononien. Canonicatus, seu Optionis 26. Junii 1690. §. Quia. cor. Ursino.* Prioratus Ecclesiæ Interamnen. a Sede Apostolica collatus fuit non vigore Regulæ 9., sed *Regulæ 4.* reservantis majores Dignitates post Pontificales; neque in Bullis a Priore Præsule Fabrizj obtentis optioni ullatenus fuit derogatum; quin immo eidem Priori *le Volanti* ab aliis Canonicis dimissæ fuere tributæ.

Accedit, portiones præstimoniales, unum corpus cum

Massa

Massa Ecclesiæ constituentes, quarum fructus successoribus non reservantur, sed servientibus accrescunt. Apostolicis non subdi reservationibus, uti monent *Riganti loc. cit. §. 2. num. 399.*, *Corrad. in prax. benef. lib. 3. cap. 5. num. 20.*, *Rota in Nullius, seu Pampilonen. Beneficii 10. Maji 1697. §. Ab hujusmodi cor. Molo.* Hisce vero portionibus adamussim æquiparantur *le Volanti* Ecclesiæ Interamnen., cum prædia, quæ antiquitus Massam Capitularem distributionum constituebant, fuerint quidem singulis Canonicalibus præbendis distributa, sed proprietas penes Capitulum remanserit, et unum utendi fruendi jus in Canonicos translatum fuerit, adjecta lege = *che il fruttato della parte delle terre, che toccherà a qualsivoglia Priore, o Canonico, s'intenda sempre per distribuzione quotidiana.* Igitur nunc quoque *le Volanti* Massam Capitularem distributionum constituere videntur; siquidem punctaturæ, quæ ab absentibus solvuntur ex fructibus earumdem *Volanti*, accrescunt præsentibus. Item decedente Priore, vel aliquo ex Canonicis, fructus solius Præbendæ Prioralis, aut Canonicalis percipiuntur a Subcollectore Spoliorum, *non già il fruttato delle così dette Volanti, che si godevano dal defonto Priore, o Canonico, giacchè le rendite delle medesime vengono percepite in detto tempo dal Canonico Camerlengo della Massa Capitolare, come appartenenti alla medesima, e facienti parte delle distribuzioni quotidiane*, uti testatur Canonicus Aloysius Garavita in Diœcesi Interamnen. Spoliorum Subcollector.

Denique Capitulum optionem tuetur non modo Statutis, quæ antiquioribus Canonicis jus concedant partes terrarum etiam a defunctis Prioribus possessas optandi; verum etiam antiquissima consuetudine, quæ saltem vim habet declarandi, portiones Canonicatibus annexas reservationibus non subesse, ut ex Rota probat *Piton. in cit. addit. num. 12.*, *et seq.* Et quamvis duo Coadjutores Dammi, et Nicoletti easdem retinuerint *Volanti*, quas *annis* 1685., *et* 1693. Prior Scarlattini erat adeptus, ac jugiter possedit; consuetudo tamen nullo pacto interrupta, multoque minus contraria observantia invecta fuit. Præter quam enim jus optandi est actus facultativus, ideoque si omittatur,

tatur, consuetudo haud interrumpitur, *Cap. final. de consuetud. in 6.*, *Moneta de option. cap. 8. quæst. 2. num. 18.*, *Calderin. consil. 3. num. 3.*, illud præterea accedit, quod iis in casibus optioni locus esse non poterat. Cum enim in declaratione Capitulari *anni* 1645. statutum fuerit, ut in vacationibus *delle Volanti* præ cæteris optandi jus pertineret ad Priorem; *le Volanti* ab Antecessoribus possessas retinuerunt Coadjutores, qui in Prioratu sine nova collatione successerunt, eo jure utentes, quod ad ipsos quoque spectabat, uti post alios tradit *Fagnan. in cap. ex parte num. 16. de Cleric. ægrot.* Coadjutor siquidem omnibus Canonicatus prærogativis, et juribus, quibus Coadjutus, uti valet, *Cap. Is qui 46. de R. J. in 6.*, *Garzias de Benef. tract. de Coadjut. cap. 5. num. 128.*, *et hæc S. Congregatio in Romana Jubilationis 9. Febr. 1822. §. Accedit.*

Neque consuetudinem intervertere potuit exemplum Prioris Federici; ipse enim, ut easdem, ac Antecessor, obtineret *Volanti*, novis indiguit Apostolicis Litteris, quæ optioni derogarent, et quas reapse obtinuit. Præsul autem Fabrizj Bullas Prioratus impetravit sine clausula derogatoria juri optandi, imo cum assignatione *delle Volanti*, quæ ab aliis Canonicis per optionem dimitterentur. Inde vero concludit Capitulum, tam ex jure, quam ex consuetudine perspicuum esse, optionem *anno* 1822. peractam, validam, et legitimam esse renuntiandam.

Erit tamen Eminentissimorum Patrum dirimere.

Dubium.

An sustineatur optio delle Volanti *in casu etc.*

Dilata ad sequentem.

BONONIEN. REDUCTIONIS ONERUM. Metropolitanæ Bononiensis Ecclesiæ S. Petri Servitium Chorale ante *annum* 1806. explebant *sexdecim* Canonici, *sexdecim* Mansionarii, *septem* Capellani *Ludovisiani* nuncupati, et Capellanus *Paleotti* dictus, necnon Clerici permulti qui Chorales appellabantur; ipsisque opem diebus festis *viginti Capellani Consortiales*, ac lecta musices peritorum manus (*Cappella* vernaculo sermone dicimus) in vesperis præsertim, ac Missis canendis ferebant. Sed temporum asperitate omnia eo anno ita mutata sunt, ut ad chorale servitium præstandum cum Canonicis, decem Mansionarii tantummodo remanserint, quibus deinde alii quinque fuere additi, et quibus canendi onus tam feriatis, quam festivis diebus fuit integre subeundum. Cum autem ipsos nimium gravari noverit Eñus Bononiensis Archiepiscopus, præsertim quia ob aliquot Mansionariorum provectam ætatem, vel infirmam valetudinem perpauci supererant, qui canere possent; rem ita temperavit, audito, et consentiente Capitulo, ut Mansionarii diebus ferialibus, et semiduplicibus canere Missas non tenerentur. Praxim *anno* 1806. invectam, et hucusque servatam, ab hac Sac. Congregatione probari Bononienses Mansionarii Metropolitanæ Ecclesiæ S. Petri suppliciter implorant, cum se ad gravius onus ferendum impares profiteantur. *Sess. 24. Cap. 12 de Reformat.*

Preces remisi *Eño Archiepiscopo pro Informatione, et voto, audito præsertim Capitulo, ut referret de annuo reditu, et oneribus uniuscujusque Mansionariæ comprehensis distributionibus, numero tum Mansionariarum, tum cæterorum Capitularium inservientium choro, tam ante annum* 1806., *quam de præsenti, de vera impotentia, et an sit spes redintegrationis, saltem in parte, præbendarum suppressarum, de vera necessitate reductionis onerum, et de tempore necessario.* Ipse autem ita distincte respondit. = *Dicam* 1. *De annuo reditu, et oneribus uniuscujusque Mansionariæ comcomprehensis, distributionibus.* 2. *De numero ipsorum Mansionariorum.* 3. *Item de numero cæterorum Capitularium inservientium Choro tam ante annum* 1800., *quam de præsenti.* 4. *De vera impotentia.* 5. *An sit spes redintegrationis, saltem in parte, præbendarum*

 sup-

suppressarum. 6. De vera necessitate reducendi onera, de quibus sermo est. 7. De tempore item ad hoc necessario.

Ad primum: annuus reditus unicuique Mansionariæ assignatus constat annuis scutis 142. 85. 9.; *ipse autem reditus consumitur totus in distributionibus, exceptis tamen scutis* 24. 19. 8., *in qua summa stat præbenda uniuscujusque Mansionarii. Onera vero sunt quotidianæ interventiones ad Chorum, Psalmodia, Missæ aut cantatæ, aut tantummodo lectæ, quæ Conventuales dicuntur, et supplicationes, sive processiones, quæ per annum fiunt, aut infra septa Ecclesiæ, aut extra.*

Ad secundum. Quindecim sunt Mansionarii. Decem ex ipsis habent assignationem scutorum 142. 85.9. *a R. C. Apostolica solutam. Tenentur autem quotidie interesse Choro. Reliqui quinque hujusmodi sunt. Duo appellantur Mansionarii* Boncompagni *cum annua assignatione scutorum* 100. *Horum onera sunt interventio ad Chorum diebus festis tantum, atque celebratio viginti Missarum in unoquoque Mense. Alteri duo Mansionarii nuncupati* Grassi *cum annua assignatione scutorum* 48., *qui tenentur interesse Choro quotidie. Quintus demum Mansionarius obtinet Beneficium suum a familia* Gozzadini, *quæ habet hoc jus patronatus. Ipse autem fruitur eadem assignatione, qua fruuntur cæteri decem, teneturque et ipse Choro quotidie interesse.*

Ad tertium. Numerus inservientium Choro quotidie, ut moris erat ante annum 1800., *constabat, ut sequitur. Nempe sexdecim Mansionarii, sex Capellani* Ludovisiani *ita dicti, Capellanus* Paleotti *nuncupatus, et insuper Clerici satis multi, qui chorales dicebantur. Omnibus autem diebus festis, multisque aliis infra annum ferialibus, aderant Choro viginti Capellani dicti* Consortiales, *qui tum psallendo, tum diversis aliis choralibus muneribus fungendo, opem ferebant cæteris Collegis inservientibus. Insuper memoratis diebus festis inserviebat Ecclesiæ Metropolitanæ illa, quæ dicitur* Cappella, *quæ tenebatur Missam, atque Vesperas can-*

tare

tare, proindeque hac ratione Chorales, de quibus supra locutus sum, ab hoc onere vacabant.

In præsens vero inservientes Choro sunt, ut infra. Sexdecim Canonici, et tredecim Mansionarii: diebus vero festis inserviunt Choro sex Capellani Ludovisiani *nuncupati, itemque duo Mansionarii* Boncompagni. *Hic vero operæ pretium est animadvertere, quod supradictis Mansionariis, præter cætera onera, incumbunt etiam ea, quæ olim incumbebant suppressæ* Capellæ, *et viginti Capellanis Consortialibus, itemque Clericis choralibus, qui omnes pariter suppressi sunt.*

Ad quartum. Quoad veram impotentiam, hanc ex dictis satis constare credo. Addam vero quod ex sexdecim Canonicis, qui Choro interesse deberent quotidie, tres jubilationis indulto gaudent. Insuper Canonicus Pœnitentiarius, et Canonicus Parochus Chorum non multum frequentant, quia ad alia officia tenentur, ipseque Canonicus Theologus, feriis autumnalibus exceptis, a choro abstinet, legitimeque dispensatus est, quia Theologiam scholasticam docet in meo Archiepiscopali Seminario. Omitto *dicere, alium ex Canonicis munere Visitatoris carcerum fungi debere, alterum senio confectum, alterum ob valetudinem sæpe sæpius Choro interesse nequire. Hisce omnibus iterum addam, quod memoratis tredecim Mansionariis, unus ex ipsis jubilationis indulto fruitur, alter vero quatuor ab hinc annis ægrotat. Cæteri autem sive ob ætatem, sive ob defectum vocis, sive ob labores jam exantlatos, impares sunt ad ea omnia onera sustinenda, quæ Chorus imponit. Atque hoc loco non abs re erit, si et illa observabo, quod Magister Cæremoniarum unus est ex Mansionariis, proindeque sæpe accidere, ut dum muneribus satisfacit, qua Cæremoniarum Præfectus, necessario deesse debet illis, quæ Mansionariam respiciunt.*

Ad quintum: nulla spes est redintegrationis præbendarum, quia a Gubernio Pontificio jam decretum est, quod præbendæ suppressæ remaneant. Quinimo per idem Gubernium decretum ultro est, quod duæ Mansionariæ Grassi *vacabunt omnino per obitum illorum, qui hisce Beneficiis modo gaudent; pariterque sancitum est,*

 quod

quod tres Capellaniæ Ludovisianæ, quarum nominatio Ecclesiastica dicitur (cæteræ autem tres sunt jurispatronatus) pariter vacabunt per obitum illorum, qui modo hæc beneficia obtinent.

Ad sextum. De vera necessitate loquendo, ut in sexto articulo proposui, reducendi nempe onera, de quibus agitur; dico, necessitatem ipsam aperte probari, primo ex paucitate actualium inservientium Choro; secundo ex defectu valetudinis, virium quoque, nec non et vocum, de quibus causis superius actum est.

Ad septimum. Relate ad tempus necessarium assero, usque dum necessitatibus Chori non consulatur, Mansionarios indigere indulto, de quo quæstio est, scilicet ut iidem minime teneantur Missam canere diebus ferialibus, aut semiduplicibus, quodque proinde ipsis integrum sit, illam sequi praxim ab anno 1806. invectam, et quæ in hodiernum usque diem perseverat.

Interesse habentes hoc in negotio alii non sunt, quam Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ. Antequam autem Mansionarii recursum facerent ad S. Sedem, res jam agitata fuerat inter me, Capitulum, et Mansionarios. Canonici enim ex una parte antiquiorem Chori disciplinam denuo instaurari optabant; ex altera vero satis compertum habebant et ipsi, difficillimum admodum esse, Mansionarios ob memoratas causas humeros novis oneribus submittere. Hinc Capitulares totam hanc rem ad me detulerunt, declarantes se ratum habituros quod ipse statuissem. Verum cum hæc facultas penes me nequaquam sit, sed a Summo Pontifice dependeat; hinc Mansionarii sese, ut par erat, ad S. Sedem converterunt, rogando, ut a dictis novis oneribus suscipiendis benigne absolvantur. Quis autem animi mei sensus hac super re sit, ex iis, quæ hactenus exposui, elucere posse censeo. Opinor nempe, quod rebus sic stantibus, Oratores ab hac Sacra Congregatione exaudiri probe possint.

Quotidie in Choro canendam esse Missam Conventualem in Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis, pluries decrevit Sacra Rituum Congregatio, et præsertim in *Urbinaten.* 21. *Junii* 1611., *et in Faventina* 25. *Junii ejusdem anni*; idque diserte docuit S. M. Benedictus

XIV. de

XIV de Synodo Diœcesana *lib. 13 cap. ult. §. 4.*, quod jamdiu statutum fuisse monuit *Fagn. in Cap. Cum creatura. De celebratione Missarum* his verbis. = *Et pro festo, vel feria secundum temporum congruentiam Missarum solemnia et conventualiter celebretis, et faciatis conventualiter celebrari.* Profecto suadent hæc omnia, nullo modo precibus Mansionariorum esse annuendum.

At Mansionarii asseverant, se nimium paucos esse, ideoque præter onera propria, etiam illa, quæ ad Capellanos Consortiales, ad Clericos chorales, ad *Capellam* denique pertinebant, se perferre minime posse: rei veritatem apprime perspectam habuisse tam Capitulum, quam Eminentissimum Archiepiscopum, quando ipse, consentiente Capitulo, benigne annuit, ut diebus ferialibus, et semiduplicibus Missam canere non tenerentur. Addunt, nil aliud peti, quam ut a cantu abstinere liceat indicatis diebus, impleto in reliquis Chori servitio, quod obligatione canendi adjuncta nimis grave evadit, ac sine evidenti valetudinis detrimento præstari nequit: hanc autem valetudinis causam plurimum semper valuisse, ut etiam Chori servitium reduceretur. *Pirhing. in Jus canon. lib. 3. tit. 4. de Cleric. non resid. §. 25.*, et hæc Sacra Congregatio in *Cingulana Servitii Chori 29. Martii 1817. §. In* II. *Dubio*

Videant autem EE PP., an pauci dici possint Mansionarii Metropolitanæ Bononiensis Ecclesiæ, quos tredecim nunc esse, qui Choro quotidie interesse debent, sexdecim vero, qui ad Chori servitium diebus festis tenentur, retulit Emus Archiepiscopus: et an potius ob eorum numerum alternative Missas canere possint diebus ferialibus, et semiduplicibus. Fieret inde, ut onus canendi levius quoad singulos evaderet; cantus in Missis minime deesset: ideoque non tam de reducendo, quam de aliquantisper immutando Chori servitio ageretur, quod facilius concedi posse respondit *Sac. Congregatio in S. Severini 13. Junii 1725.*, *in Tranen. 22. Novembris 1738.*, *in cit. Cingulana Servitii Chori 29. Martii 1817. §. Nihilominus*

minus, et in Salernitana Servitii Chori 23. Junii 1821, §. Verum. Itaque proponitur definiendum

Dubium

An, et quomodo Mansionariis concedendum sit indultum vacandi a cantu in Missis dierum ferialium, et semiduplicium in casu etc.

Negative in omnibus.

Sess. 22. cap. 2. de Sacrif. Miss. sess. 24. cap. 2. de refor.

MELEVITANA MISSÆ CONVENTUALIS. Parochialem Ecclesiam S. Laurentii Civitatis *Victoriosæ* in Insula Melitensi, orantibus ejusdem Parocho, et Capellanis, ad Collegiatæ honorem *anno* 1820. evexit S. M. Pontifex Pius VII. duodecim Canonicis, et quinque statutis Dignitatibus, inter quas primum obtinet locum Archipresbyter, cui animarum cura est demandata. Biennio vix elapso, hanc Sacram Congregationem adiit novæ Collegiatæ Capitulum, et ob Præbendarum tenuitatem imploravit, ut Missæ Conventualis onus ad dies tantum festos de præcepto reduceretur. Verum *die 24. Augusti* 1822. dimissum fuit rescripto *Non adesse causam canonicam*; cumque preces iterasset *die 4. Decembris ejusdem anni*, non aliud retulit responsum, quam, *In decisis sub die 4. Augusti prox. præteriti*. Verum tertio porrectus supplex libellus Episcopo remissus fuit *die 8. Januarii* 1823., ut audito Capitulo, et transmisso statu activo, et passivo Collegiatæ, referret de *annuo reditu, et oneribus cujuslibet Præbendæ, comprehensis distributionibus; et an, et cujus causa reditus decreverint, et de tempore necessario.*

Episcopus activum, et passivum Collegiatæ statum transmisit, atque hæc retulit. = *Constat Capitulum quinque Dignitatibus, et duodecim Canonicis, quorum præben-*

bendæ ex Mensæ Capitularis reditibus singulis Canonicis quolibet anno æqualiter assignantur, duobus ex hoc numero tantum exceptis, Archipresbytero scilicet, qui primam obtinet Dignitatem, cui in Litteris Apostolicis erectionis assignati fuerunt pro præbenda reditus omnes, et proventus Paroeciæ, nec non altero Canonico, qui Canonicatum obtinet de jurepatronatus laicorum.

Omnes Mensæ Capitularis reditus, qui hactenus non decreverunt, deductis oneribus, non excedunt summam scutorum 220., et obulorum 53. Monetæ Romanæ, quæ inter quindecim Canonicos æqualiter distributa, tenuissimam summam scutorum 14. 32. ejusdem monetæ tantummodo constituunt. Pro quotidianis itidem distributionibus singulis Canonicis in Litteris Apostolicis erectionis assignati fuerunt reditus, qui supersunt post adimplementum Legatorum piorum, iique inter septemdecim Canonicos distributi scuta 6. 19. pro quolibet non excedunt; ac proinde manifestum est, Canonicorum præbendas, comprehensis distributionibus, ad exiguam summam scutorum 20. 51. vix pertingere.

Hisce non obstantibus, Oratores minime latent Sac. Canonum sanctiones, atque istius Sacræ Congregationis resolutiones, Apostolica auctoritate confirmatæ, quibus præscribitur, in omnibus Cathedralibus, et Collegiatis quotidiana Missæ Conventualis celebratio canenda, pro Benefactoribus in genere singulis diebus applicanda. Cum vero illorum præbendæ, atque distributiones exiguæ ita sint, ut detracta eleemosyna pro quotidiana Missa Conventuali, ad nihilum fere redigantur; hinc Oratores humiliter exorant, ut Missa Conventualis, singulis diebus in Collegiata celebranda pro benefactoribus in genere, ad festos tantummodo dies reducatur. Cumque injunctum mihi fuerit, ut super illorum precibus sententiam meam aperirem, ad providendum præbendarum exiguitati, Capituli precibus unanimi voto supplicantis libenter annuerem. Idque etiam provisum fuerat ab istaSacra Congregatione cum Capitulo Collegiatæ S. Pauli Apostoli in hac Civitate Vallettæ, quamvis non ita exiguæ fuerint illorum præbendæ. Quoad tempus vero ad id neces-

necessarium, præfiniri non posse mihi videtur, cum id unice pendeat a futuris temporum circumstantiis: putarem vero hujusmodi dispensationem elargiri posse quousque singulorum præbendæ ad scuta quadraginta octo monetæ Rom. adauctæ fuerint; quod plane augmentum elargitum conspicitur in iisdem Litteris Apostolicis, secuto obitu aliquorum ex Canonicis, quorum præbendæ suppressæ remanere debeant in beneficium aliorum usque ad summam prædictam.

Notissima Constitutione *Cum semper oblatas*, quam edidit *anno* 1744., jussit S. M. Benedictus XIV., ut in omnibus Patriarchalibus, Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis quotidie Missa cum cantu celebraretur, ac pro Capituli Benefactoribus in genere, sublata quavis contraria consuetudine, applicaretur. *Sac. Congr. in Amerina Missæ Conventualis 16. Decembris* 1820. Casum vero nimiæ Capituli redituum tenuitatis perpendens Pontifex, postquam monuit, quod *Tridentina quidem Synodus sess. 24. cap. 15. opportunas rationes ostendit, quibus Canonicalium Præbendarum inopiæ valeat provideri*, illico addidit: *Si designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congregationem Concilii recursum habere, cujus erit . . . . . Auctoritate Apostolica a Prædecessoribus nostris eidem impertita, et a Nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.*

Hac potestate ob redituum tenuitatem sæpe usa est, et Missam Conventualem ad festos tantum dies reduxit hæc Sac. Congregatio, præsertim in *Placentina Missæ Conventualis* 30. *Julii* 1796., *et in Firmana Servitii Chori, et Reductionis Missæ Conventualis* 20. *Septembris* 1807. Quænam autem esse debeat redituum tenuitas, ut Missarum Conventualium reductio ad festos dies concedi valeat, alias docuit eadem Sac. Congregatio; statuitque, tenues, ad indicatum effectum, non censeri annuos reditus scuta triginta excedentes, ut in *Amerina* 18. *Septembris* 1751., *in Taurinen.* 10. *Julii* 1790., *et in Camerinen* 14. *Decembris* 1798.

Cum itaque Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Laurentii Ci-

Civitatis Victoriosæ in Insula Melitensi reditus annuos percipiant, qui *scuta* 21. non attingunt, eorum precibus annuendum videtur. Canonici tamen hodie sunt ii, qui *anno* 1820. multis supplicibus verbis a S. M. Pio VII. Ecclesiæ erectionem in Collegiatam orarunt, et impetrarunt, ipsisque procul dubio compertissima erat redituum tenuitas, cui consulendum curarunt statuto in Litteris Apostolicis erectionis augmento usque ad *scuta* 48. pro singulis Canonicis; idque secuto obitu aliquorum Canonicorum, *quorum præbendæ*, uti retulit Episcopus, *suppressæ remanere debent in beneficium aliorum usque ad summam prædictam.* Igitur onus quotidianæ Missæ Conventualis scienter, et ultro subierunt Canonici, quia ad tempus tantum reditus impares futuros norunt; ideoque minime indulgenda reductio videtur, cum reditus post *annum* 1820. non decreverint, cumque non facile concedatur reductio onerum, quæ sponte accepto habita, et jam executioni fuerint commissa, uti respondit hæc Sac. Congregatio in *Camerinen. Reductionis Missarum* 16. *Junii* 1792., *in Lucana Reductionis* 17. *Maji* 1817. *ad I. Dub.*, *et in Florentina Reductionis* 2. *Augusti* 1823. §. *Quoties.*

Cæterum si nunc quoque habendam tenuitatis redituum rationem censeant EE. PP., perpendere dignentur, an satis provisum erit, si dispensatio indulgeatur ab applicatione quotidianæ Missæ Conventualis pro Benefactoribus in genere, applicationem ipsam ad festos tantum dies reducendo, firma remanente ejusdem Missæ quotidiana celebratione, uti alias monuit Sac. Congregatio in *Mazzarien. Missæ Conventualis* 2. *Junii* 1821. §. *Hæc.* Videant quoque, ad quod tempus concedenda sit reductio, cum exploratum sit, Apostolica Auctoritate jam fuisse sancitum, ut Canonicatuum reditus augeantur, ac præfinitum fuisse, quomodo hujusmodi augmentum certo sit obtinendum, cumque reducenda ad festos dies non sit Missa Conventualis ob tenuitatem redituum, quando hi annua *scuta* 30. excedunt; Sacra Congregatio *in Mazzarien. Reductionis onerum* 14. *Decembris* 1822. §. *At videant*, *et in Corcyren. Missæ Conventualis* 8. *Martii prox. præteriti.* Proponitur idcirco

Dubium

An, et quomodo concedenda sit reductio Missæ Conventualis in casu etc.

Sess. 25. Cap. de Reform.

FERETRANA NOMINATIONIS. Ædiculam, quam Accolæ nuncuparunt *la Cella del Padiglione*, intra fines Plebis Montis Madii Feretranæ Diœcesis ædificari, ac Deiparæ Virgini dicari curaverat Leo Facchini; illam vero cum adnexa domo, et aliquot prædiolis Sodalitio SS. Sacramenti ejusdem Plebis cesserunt Jo. Paulus, et Petrinus germani Fratres de Taurellis, Leonis heredes, ut ea Sodalitium *pro proprio Oratorio, et spiritualibus exercitiis Confratrum* uteretur, onere adjecto, quod *Confraternitatis Rectores singulis annis duodecim Missas more Confratrum prædictorum celebrari facere teneantur*. Cessionem cum indicato Missarum onere Pontifex Urbanus VIII., datis *anno* 1626. ad Vicarium Generalem Feretrani Episcopi Litteris, probavit, et Apostolicæ auctoritatis robore munivit. Ædiculam postea Confratres ampliarunt, constructa Ecclesia, quam hodie dicunt S. Mariæ *del Padiglione*.

Legatum *scutorum* 200. favore prædictæ Ecclesiæ scripsit ante *annum* 1745. Eleonora Fabri, et unam Missam singulis Sabbathis celebrari voluit: cum autem sibi Legatum uniri petiisset Sodalitium, Episcopus Bonajuti, tunc Feretranam Ecclesiam regens, illud in Beneficium simplex, seu perpetuam Capellaniam erexit, atque hac sub conditione Sodalitio Legati unionem concessit, effectum habituram, quando vel decederet, vel Legatum dimitteret Sacerdos Antonius Sarti ejusdem possessor. Capellaniam nunc vacantem, cum Episcopus Feretranus conferre velit, Sodalitii Officiales nominationem Capellani sui juris esse contendunt, et supplici oblato Libello ejusdem juris declarationem ab EE. VV. implorant.

Requisitus de more Feretranus Episcopus, ita suum pandidit animum = *Quod Confraternitas SSmi Sacramenti Montis Madii jus habeat in Ecclesiam S. Mariæ* del Padiglione, *prout asserunt ejusdem Officiales . . . . nemo unquam dubitavit. Non est autem ita certum, quod ad Confraternitatem pertineat etiam simplex Beneficium, seu perpetua Capellania erecta in supradicta Ecclesia. Duo etenim diversa videntur Ecclesia, et Beneficium. Ecclesia cum suis pertinentiis, ac bonis dono datis ab hæredibus Facchini usque, et sub anno 1626. ad Confraternitatem spectat. Beneficium vero, ibidem erectum, per Litteras Patentales hujusce Curiæ Episcopalis libere collatum est, prout certo di-*

dici

dari ex perquisitis Cancellariæ Libris. Mirum autem non est, si mentio fiat Capellani a Confraternitate nominati, et ad ejus nutum amovibilis; ille enim Capellanus erat Confraternitatis, quique xv. Missas quotannis celebrare debebat ad onus in unione Ecclesiæ Pantiglionis assumptum adimplendum. At Capellanus, cui Episcopi mei Prædecessores institutionem dare consueverunt, est Capellanus Beneficii erecti in prædicta Ecclesia, cujus quidem Beneficii erectionem in Libris meæ Cancellariæ invenire mihi datum non est: inveni tamen quod quædam Eleonora Fabri in sæpedicta Ecclesia Legatum instituerit scutorum 200. cum obligatione celebrationis unius Missæ in quolibet Sabatho. Legatum hoc sibi uniri Confraternitas petivit a meo Prædecessore Sebastiano Bonajuti, qui per Literas (quarum Copiam teneo, absque tamen diei, et anni designatione, sed post annum 1747., antea enim Episcopus non erat) Legati unionem adprobavit certis conditionibus et cautelis, et post mortem, vel liberam dimissionem [illegible] Antonii Sarti illius Possessoris. Nihilominus [illegible] secuta morte sub Mense Octobris anni 1799. Legatum illud, seu potius Beneficium per Bullas Cancellariæ 15. Februarii 1800. ab immediato Antecessore meo Tosi collatum fuit Clerico Josepho de Rossi, qui illud dimisit tempore et sub anno 1816.

Rogatus deinde idem Episcopus, ut audito in scriptis *Promotore Fiscali, responderet magis præcise de collationibus Beneficii factis ab Episcopis, transmissis Documentis ad rem facientibus, ita respondit. Curiæ meæ Promotor Fiscalis duo admodum diversa esse affirmat Ecclesiam S. Mariæ Pantiglionis, et Beneficium in eadem erectum. Primum ad Confraternitatem spectare fatetur libenter, non ita tamen Beneficium, quod collativum dicit, duobus innixus fundamentis, de quibus mea antecedens relatio loquebatur, quæque vobis transmitti jubetis, uti exceptus, hic adjungendo Promotoris responsionem. Præter hæc nihil aliud ad rem faciens in meæ Cancellariæ actis invenitur.*

Promotor autem Fiscalis ultro concedit, Aediculam, Bona omnia eidem adjuncta, eorumque administrationem ad Sodalitium spectare; verum id negat de Legato ab Eleonora Fabri relicto, ac Decreto Cancellariæ Episcopalis Feretranæ in simplex Beneficium erecto. Nititur præcipue verbis Epistolæ Episcopi Bonajuti, cujus exemplum in Sodalitii Codicibus extat.

et ex qua patet, Legati relicti ab Eleonora Fabri unionem, Sodalitio indultam certis sub conditionibus omnino implendis, effectum habituram non fuisse, nisi dimissione Presbyteri Sarti, vel ejus morte sequuta, etsi Sodales ad conditionum implementum sese in solidum devinxissent. Antistite Bonajuti jamdiu defuncto, Presbyter Sarti *Mense Octobris anni* 1799. decessit, et Feretranus Episcopus Terzi (forsan ob non impletas a Sodalitio conditiones) nemine reclamante simplex Beneficium, seu Capellaniam Sacerdoti Josepho de Rossi contulit, ceu Litteræ tunc expeditæ testantur his verbis : *Cum sicut accepimus, simplex Beneficium perpetuum, sive perpetua Capellania erecta in Ecclesia S. Mariæ Padiglionis Montis Madii hujus nostræ Feretranæ Dioecesis sub invocatione ejusdem tituli S. Mariæ vacaverit, et vacet ad præsens per obitum quondam Antonii Sarti, sequutum de Mense Octobris anni elapsi* 1799., *ultimi illius Possessoris, cumque jus nominandi Capellanum, seu Rectorem dictæ Capellaniæ, seu simplicis sine Cura Beneficii ad nos spectet, et pertineat ..... Te in Capellanum, seu Rectorem dictæ Capellaniæ ..... Auctoritate Nostra Ordinaria nominavimus, et instituimus, ac in illius, et bonorum, ac jurium suorum corporalem possessionem, tenore præsentium inducimus etc.*

Officiales vero Sodalitii SS. Sacramenti non solum Ecclesiam S. Mariæ *del Padiglione* cum cæteris illius bonis, ac juribus, sed nominationem quoque ad indicatum Beneficium, vel Capellaniam perpetuam ad se pertinere contendunt, Apostolicis freti Litteris, quibus Urbanus VIII. AEdiculæ, adnexæ domus, ac prædiorum cessionem favore Sodalitii probavit, cum onere tamen *singulis annis* 12. *Missas more Confratrum celebrari faciendi*; et Feretrano Vicario verba faciens hæc addidit = *Discretioni tuæ mandamus, quatenus Donationem, et assignationem, ac scripturas præfatas, et in eis contenta, quæcumque, licita tamen, et honesta, auctoritate nostra sine alicujus præjudicio, approbare, et confirmare valeas, illisque perpetuæ, et inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicias, ac pro potiori cautela eisdem Confratribus nunc, et pro tempore existentibus, ut ex nunc deinceps perpetuis futuris tem-*

por-

peribus in Ecclesia B. Mariæ hujusmodi injunctas, et alias Missas pro eorum arbitrio per quoscumque Presbyteros Sæculares, vel de Superioris licentia cujusvis Ordinis Regularis ab Ordinario approbandos, de hujusmodi Ordinarii licentia celebrari facere, consuetaque eorum spiritualia exercitia in dicta Ecclesia S. Mariæ, tamquam Oratorio ipsius Confraternitatis adimplere, ita quod liceat modernis, et pro tempore existentibus hujusmodi Confraternitatis Confratribus. Domus, et Fundi, ac Terræ petiorum prædictorum possessionem per se, vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere, etapprehensam perpetuo retinere, fructus quoque, reditus, proventus, et emolumenta quæcumque ex eis provenientia in Confraternitatis, et Ecclesiæ B. Mariæ hujusmodi usum, et utilitatem convertere, Diœcesani loci, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requisita, dicta Auctoritate Nostra concedas, et indulgeas etc.

Addunt quoque, acceptilationibus, quas Religiosi Minoris Observantiæ pro eleemosynis Missarum ab eis in Ecclesia S. Mariæ *del Padiglione* celebratarum exararunt, aperte evinci, ad Sodalitium tantum sui Capellani nominationem spectare: Inventaria vero jussu Feretrani Episcopi a Sodalitio identidem confecta ostendere, Sodales tantum, ac præterea neminem in rebus, quæ ad eamdem Ecclesiam spectant, sese immiscere; pluries denique usque *ad annum* 1687. habita esse Sodalium comitia pro Capellani electione. deesse deinde in Sodalitii tabulario Codices, et Acta usque ad *annum* 1745.; verum ex recentioribus monumentis, quæ *ad annum* 1786. porriguntur, præclare elici, Capellanum jugiter a Sodalitio fuisse nominatum.

De Legato autem ab Eleonora Fabri relicto subdunt, disputatum fuisse in comitiis *diei* 10. *Octobris* 1745. quia Sacerdos Antonius Sarti illud sibi tributum asserebat *dal Popolo*, *e Confratelli*, ut ejus titulo Ordines Sacros susciperet; secutam tamen concessionem negabant Sodales: quæsitum idcirco fuisse = *se li Confratelli . . . . sono risoluti di prendere detto Legato a favore di detta Compagnia, che per il passato non è stato mai risoluto* =, ac secretis Sodalium suffragiis Le-

gatum

gatum fuisse accepto habitum = *supposto, che sua Signoria Illustrissima, e Rma vi concorra con il placet.* = Affirmant demum, ad idem Legatum pertinere resolutionem *diei 9. Decembris* 1759., qua Sodales Jacobo Albertini indulserunt = *la Cappella della Compagnia nella Chiesa della B. Vergine del Padiglione a fine di potersi far ordinare al Suddiaconato* =. Quam ob rem concludunt, Legatum indubitanter spectare ad Sodalitium; a quo proinde Capellanus est præsentandus.

Animadvertendum tamen videtur, Apostolicas Urbani VIII. Litteras ad Aediculam tantum, et Bona ab Hæredibus Leonis Facchini Sodalitio cessa pertinere: Legatum Eleonoræ Fabri Mense Octobris *anni* 1745., a Sodalitio acceptatum fuisse; ideoque Sodalitium ante id tempus de eodem disponere nequivisse; acceptationi autem additam conditionem fuisse consensus obtinendi ab Episcopo; qui ex Legato Beneficium simplex, sive perpetuam Capellaniam erexit, de qua usque ad obitum Sacerdotis Antonii Sarti nulla esse poterit collatio. Cum itaque *anno* 1799. obierit Sacerdos Sarti, resolutio *anni* 1759., qua Jacobo Albertini concessa fuit *la Cappella della Compagnia . . . a fine di potersi ordinare al Suddiaconato*, non ad Legatum Fabri, verum ad Bona ab Heredibus Facchini cessa erit referenda.

Illud quoque minime prætereundum, ex possessione insigne commodum derivare, cum in pari causa melior sit possidentis conditio juxta *Reg. 65. Juris in 6.*, et *Textum in Lege In pari. ff. eodem*, ac possessio relevet ab onere probandi, illud part in contradictorem transferit, qui idcirco actor est: *actore autem non probante, qui convenitur, et si nihil præstiterit obtinebit*, *Cap. Cum Ecclesia §. final. eod. tit.*, *L. Possessione Cod. De Probationibus*. Episcopum Feretranum in possessione Capellaniam libere conferendi versari, minime ambigitur: videant autem pro sua sapientia EE. PP., an Sodalitium satis firmis, et luculentis probationibus evicerit, Capellani nominationem ad se pertinere, ac dirimere dignentur

Dubium

An Sodalitio competat jus nominandi Capellanum in casu etc. *Die*

Die Sabathi 24. Julii 1824. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

MELEVITANA MISSÆ CONVENTUALIS

Dubium

An, et quomodo concedenda sit reductio Missæ Conventualis in casu etc.

Sess. 22. cap. 2. de Sacrif. miss. et sess 24. cap. 12. de refor.

Negative in omnibus.

FERETRANA NOMINATIONIS.

Dubium

An Sodalitio competat jus nominandi Capellanum in casu etc.

Sess. 25. cap. 9. de refor.

Dilata, et coadjuventur probationes, et referat Episcopus de Fundo Capellaniæ, de numero Missarum, et quomodo adimpletæ fuerint vivente Sacerdote Sarti, nec non a quo idem fuerit nominatus Capellanus, et quæ relatio sit inter onera Missarum, quæ ab ipso adimplebantur, cum Capellania erecta ex legato Fabri, et post ejusdem Sarti mortem effectum habitura.

FORO-

Sess. 25. cap. 4. de Reform.

FOROLIVIEN. Transactionem post diuturnum judicii certamen inter Congregationem præpositam administrationi Locorum piorum Forolivii, et Jacobum, ac alios Romagnoli Forolivienses initam, quam ab hac Sac. Congregatione approbari idem Jacobus exorat; accurate, ac docte expendit in suo Voto Eminentissimus, et Reverendissimus Cardinalis Serlupi, cujus sapientiæ commissa fuit petitio, ut suam de illa sententiam aperiret. Quid concedendum, quid vero denegandum sit, ex eodem Voto, quod ad litteram exscribo, EE. PP. cognoscent.

„ Jacobus, aliique Romagnoli, et Antonius Colombani emerunt *anno* 1812. pretio *scutorum* 5432. 66. „ Coenobium cum Horto, adhærens Ecclesiæ S. Peregrini Latiosi in Civitate Foroliviensi, quod PP. „ Servi B. Mariæ Virginis nuncupati antea incoluerant, et tunc venale prostabat. Excepta Ecclesia, „ eique conjuncto Sacrario, totum Aedificium venditione comprehensum fuit, et præsertim Conclave quoddam in prima contignatione, sive Capitulum, quod eo PP. convenirent, appellatum, seu „ privatum Sacellum, quod aram habeat subjectam „ Crucifixi Imagini, quam miraculo in S. Peregrinum ipsum edito claram Forolivienses multa religione venerantur. Ad hoc Sacellum erat aditus „ privatus e Claustro interiore Coenobii; est et angusta porta ad latus Sacrarii Ecclesiæ patens, quam „ post emptionem Romagnolii clausam pro arbitrio „ tenere initio consueverunt. Servarunt autem Sacellum religioso usui, ut acceperant, destinatum; „ imo restaurationibus, et ornamentis auxerunt.

„ Anno 1822. orta lis est inter Congregationem præpositam administrationi Locorum Piorum Forolivii, et Romagnolios: nam hi claudere perpetuo, „ et stabiliter volebant minorem januam e Sacello „ ad Sacrarium ducentem, contra vero Congregatio „ jus activæ servitutis tuebatur, et apertam portam „ a Romagnoliis esse tenendam, ut populi devotioni fieret satis. Diu multumque agitata re in Ecclesiastica Curia Foroliviensi, nec modicis hinc „ inde expensis factis, satius deinceps visum est trans-

actio-

actionem inire, cujus hæc summa fuit, ad præsentem quod attinet quæstionem: Romagnolii Piæ Congregationi venderent Sacellum, Ecclesiæ per Sacristiam perpetuo adjungendum, pretio a Peritis statuendo, qui tamen æstimare etiam deberent ad ejus summam augendam = *il ben mi stà, ossia vantaggio, che con tale alienazione viene ad acquistare l' Istituto suddetto.* = Itaque evectum est pretium ad *scut.* 398. 07. concordi duorum Peritorum judicio. 2. Clausa janua principali Sacelli ad Clivum, ut dixi pertinente, novus interior aditus perpetuo commodo Familiæ Romagnoli, et successorum aperiretur ad idem Sacellum, atque inde etiam per Sacrariam ad Ecclesiam = *il comodo, che viene riservato alla di lui famiglia perpetuamente di avere, mediante una porticella, accesso in detta Cappella, e che la Congregazione degl' Istituti Pii s'interessi, affinché da chi si compete, esso Signor Giacomo, e sua Famiglia dalla detta Cappella possa aver accesso nella Chiesa per i divini Ufficj* = 3. Congregatio permitteret = *per quanto può spettare alla medesima, di aprire una finestra nel piano superiore del locale, che guarda in faccia alla Cappella di S. Pellegrino, che muniscasi di ferrata, e scuro di legno. e promette d' interessarsi presso Monsignor Vescovo, e l' Amministratore Camerale, se occorrerà, onde abbia effetto la detta apertura* = Hæc præcipue conventa sunt *die* 23. *Octobris* 1822., ac deinde, levibus additis temperamentis (de quibus postea) ad E.mum Foroliviensem Legatum delata, ejus auctoritate confirmata sunt: ut scilicet ineundi contractus facultas esset Administratoribus, ac pretium de publico solvi posset. Religio postea incessit Romagnoliis, num forte Ecclesiæ juribus adversi quidquam concordia contineretur, eaque de causa supplicem libellum huic Sacræ Congregationi porrexerunt ad probationem concordiæ obtinendam. Remissæ sunt preces Foroliviensi Episcopo pro informatione, et Voto, qui auditis præsertim Promotore Fiscali, et transmissis documentis ad rem facien. referat de legitima causa transactionis, ejusque utilitate, de qualitate Oratoris in-

,, signis benefactoris Capellæ, de summa a[illegible] eadem
,, retrahenda ex venditione, nec non de significatio-
,, ne in præsenti casu verborum = *il ben mi stà* =
,, Episcopus transactionem, prout inita est, in omni-
,, bus censuit confirmandam, et requisita transmisit
,, Documenta. Fiscalis Promotor in eamdem con-
,, cessit sententiam Romagnoliis omnino velificantem.
,, Interim tamen non defuerunt, qui graviter conque-
,, sti sunt apud S. Congregationem ob duplicem præ-
,, sertim servitutem, quæ [illegible] incommo-
,, do Ecclesiæ imponitur ex transactione. Cum ita-
,, que mihi commissum sit, ut rem perpendam, et
,, Votum aperiam, sapienti EE. PP. judicio exhibeo,
,, quæ sequuntur.

,, Concordiam generice esse confirmandam, ut firma ma-
,, neat venditio Sacelli, perpetuo conjungendi cum Ec-
,, lesia S. Peregrini, haud ambigam. Nam locus ipse
,, est Foroliviensium devotione, et concursu jamdiu
,, celebratus ob veneratam Jesu Christi Crucifixi Ima-
,, ginem, claram miraculo in S. Peregrinum ipsum
,, edito, cujus corpus in contigua Ecclesia honori-
,, ficentissime servatur, et colitur. Est autem extra
,, controversiam, Sacellum hoc Cœnobii Religiosorum
,, partem constituisse, et venditione Romagnoliis fa-
,, cta insigni pretio *scut.* [illegible] fuisse [illegible]
,, sum. Ea de causa [illegible] impositum est
,, claudendi ostium ad [illegible] pertinens,
,, ut commeatus ad [illegible]; atque
,, oborta controversia [illegible] Ecclesiæ, et
,, Romagnolios constitutum [illegible] annum Cru-
,, cifixi Imago ad Ecclesiam transferretur, ibique
,, publicæ venerationi [illegible], interim vero ostio-
,, lum e Sacrario ad Sacellum patens esset. Verum
,, id caruit effectu, et res in eodem statu manse-
,, runt.

,, Cum itaque Romagnolii domini sint Sacelli, justa
,, fuit transigendi causa, et opportuna agnoscenda
,, emptio Sacelli Ecclesiæ perpetuo adjungendi, tum
,, ut lites cessarent, tum ut [illegible] loci religio re-
[illegible] constitutum est a duobus Peri-
,, tis hinc inde electis in *scutis* 398. 07. Hoc nimis
,, amplum existimari potest, cum pateat intrinsecus
Sacel-

„ Sacelli spatium non amplius pedes 18. 5. in lon„ gum, et latum. Quod Periti ex transactione ratio„ nem habuerint = *del discapito, che Romagnoli ha,* „ *o può avere nello scorporare con detta alienazione dal* „ *restante del locale la Cappella* = atque ob id pretium „ aliquantulum auxerint, non intercedo. At aliud aug„ mentum probare nequeo tum conventum, tum „ constitutum a Peritis ex eo, quod vulgo dicitur = „ *il ben mi stà* =. Convenerunt Partes = *inoltre deb*„ *bano i Periti considerare il ben mi stà.* = Quid hac ap„ pellatione intelligerent, statim explicarunt = *ossia il* „ *vantaggio, che con tale alienazione viene ad acqui*„ *stare l'Istituto.* Itemque Periti in æstimatione = *di con*„ *siderare però il ben mi stà, ossia vantaggio, che con* „ *tale alienazione venisse ad acquistare l'Istituto* = Epi„ scopus de ea re explicanda interrogatus respondit = „ *Verba* il ben mi stà *referuntur ad majorem convenien*„ *tiam, atque utilitatem Ecclesiæ in possessione Orato*„ *rii, in quo summa veneratione colitur Imago SSmi* „ *Crucifixi, qui D. Peregrini crus tangendo sanavit,* „ *et ad donum ejusdem S. Imaginis, Altaris, aliarum* „ *Picturarum ibi existen. ab Oratore Ecclesiæ factum* = „ Quod spectat ad Imaginem, Altare, et alias pictu„ ras, si donatio facta est a Romagnoliis, absonum „ videtur, æstimationem ea de causa augeri: non „ enim rem donat, qui ejus pretium assequitur. At„ tamen perpensis concordiæ verbis earum rerum „ nulla donatio facta est: præstituta quippe Roma„ gnoliis compensatio est, sive correspectivitas ex alio „ pacto, cum peculiarem aditum sibi perpetuo reserva„ verint ad Sacellum, et ex eo ad Sacrarium, et Ecclesi„ am = *per li divini Uffizi* = addentes = *in correspettività* „ *del quale comodo il Signor Romagnoli lascia all' Istitu*„ *to tutti gl' infissi mobili, Altare, e pitture, che tro*„ *vansi alla Cappella, e muri, che a lui appartengo*„ *no, di che i Periti non dovranno avere riguardo nel*„ *la loro stima.* = Quod in Conventione *diei* 4. *Octobris* „ repetitum legitur. Itaque æstimatio *del ben mi stà,* „ et auctio pretii inde a Peritis facta, ad alia per„ tinet.

„ Reliquum est igitur, ut nihil aliud sub iis verbis = „ *il ben mi stà* = nisi commoditas, et utilitas veni-

„ ati, quæ ex emptione, et conjunctione Sacelli Ec-
„ clesiæ paratur. Atque hoc adamussim est, quod
„ Romagnolii æstimandum proposuerunt = *Il ben mi*
„ *stà, ossia vantaggio, che con tale alienazione viene ad*
„ *acquistare l' Istituto* = At vero Pium Institutum, seu
„ Congregatio de Ecclesiæ utilitate sollicita nihil ali-
„ ud propositum habuit, quam ut vetustam, piam-
„ que Populares Forolivienses retinere possent con-
„ suetudinem libere accedendi ad Sacellum Ecclesiæ
„ proximum Crucifixi Imaginem veneraturi. Quod
„ cum bonum mere spirituale sit ad Fidelium reli-
„ gionem, et devotionem retinendam, certe nec vendi,
„ nec emi potest, ideoque ejus causa nihil adden-
„ dum erat æstimationi Sacelli. Quidquid ergo ac-
„ cessit pretio a Peritis præfinito ratione habita = *del*
„ *ben mi stà*, = detrahendum est, remque remitti
„ oporteret eorum judicio ad congruam reductionem
„ proponendam, ut valida censeri posset, et adpro-
„ bari concordia, nisi si compensatio placeat ex alia
„ re, quam mox subjiciam.
„ Illud 2. Familiæ, et successorum commodo cautum
„ transactione voluerunt Romagnolii, ut sibi jus es-
„ set aperiendi novam januam ex interiore domo, et
„ accedendi ad Sacellum, atque ita ad Sacrarium,
„ et Ecclesiam. Hanc servitutem uti Ecclesiæ liber-
„ tati damnosam, et cum perpetua sit, viam ape-
„ rientem futuris incommoditatibus, probandam non
„ esse censerem. Nam verendum est, ne domesti-
„ corum, Mulierum, ac puerorum assiduo inter-
„ ventu, absurda, et incongrua oriantur, et decori
„ Domus Dei, atque sacrarum functionum dignita-
„ ti quidquam detrahatur. Generice autem constitu-
„ tum est, ut nemo possit habere fenestram, per quam
„ prospectus, nec portam, per quam transitus sit in
„ Ecclesiam, ut pluries declaravit S. Congregatio Epi-
„ scoporum, et Regularium, et signanter in *Caser-*
„ *tana* 8. *Junii* 1646. *in Alexanen.* 14. *Novembris* 1659.
„ imo injungitur Episcopo, ut cryptas, et aditus sub-
„ terraneos a domibus privatorum ad Ecclesias, et lo-
„ ca immunia claudere faciat. *S. Congreg. Imm. in Aqui-*
„ *lana* 9. *Martii* 1632. Neque privato cuilibet januam
„ habere licet, per quam e propria domo transeat in
„ Ecclesiam, etiamsi extaret longa consuetudo, et es-
sent

„ sent patroni, uti declaravit eadem S. Congregatio
„ *Epis. et Regul. in Faventina* 15. *Februarii* 1619., et
„ refert *Ferraris Verb. Ecclesia artic.* 5. *num.* 4. = *Si*
„ *devono murare le porte, per le quali dalle case contigue,*
„ *si può entrare nella Chiesa, non ostante i Patroni*
„ *siano soliti per lungo tempo tenerle aperte.* Item
„ claudenda est janua, quæ aditum faciat ad Sacri-
„ stiam, non obstante transactione, et concordia,
„ *S. Congregatio Concilii in Eugubina* 2. *Junii, et* 4. *Au-*
„ *gusti* 1736. *in Thesaur. Resolut. tom.* 7. Non est igi-
„ tur probanda transactio, quæ id ferat, ut a Lai-
„ corum domo porta aperta sit ad Sacrarium, et Ec-
„ clesiam.„

„ Unus excipitur casus, si in limine fundationis Ec-
„ clesiæ Fundator, vel aliquis insignis Benefactor si-
„ bi reservaverit jus habendi prospectum, seu ingres-
„ sum in ipsam, ne scilicet Laici a fundationibus
„ retrahantur. Verum Familia Romagnolia hac præ-
„ rogativa non gaudet, nec quoad Ecclesiam, nec
„ quoad Sacellum SSmi Crucifixi. Si Sacellum do-
„ nassent, apta fortasse causa proponi posset, ex qua
„ tam gravis servitus Ecclesiæ aliqua ratione imponi
„ posset. Cum vero satis grande pretium *scut.* 398.07.
„ sibi solvi stipulati sint, et rationem haberi insuper
„ voluerint = *del ben mi stà* =, nullum ex transa-
„ ctione beneficii genus in Ecclesiam collatum est,
„ et causa idcirco deest, unde servitus privato ven-
„ ditorum commodo, damno Ecclesiæ constituta, ad-
„ probari queat.

„ Quod si antea Sacellum habebat ostium ad Sacra-
„ rium Ecclesiæ patens, atque etiam januam ad atrium
„ Cœnobii nunc clausam, non ideo nova servitus in
„ præsens non inducitur. Tunc enim Ecclesiam, et
„ Cœnobium retinebat PP. Servorum Mariæ Religiosa
„ Familia; nunc vero ad profanum usum versum
„ Aedificium habet laicorum familia, quæ hactenus
„ in dominio Sacelli versata est; ita ut antiquus sta-
„ tus nihil conferat ad hodiernum ob possessorum
„ diversitatem.

„ Nec rem mutat temperamentum transactioni additum =
„ *Che i Signori Romagnoli, e successori in perp., anche*
sin-

singolari, abbiano mediante la porticella ec. accesso all' Oratorio nell' ora degli Uffizi divini, e nelle altre circostanze, in cui i medesimi volessero far praticare nell' Oratorio delle sacre funzioni; dichiarandosi, s' intendino per divini Uffizj tutte le orazioni, e funzioni, che si praticano nell' Oratorio medesimo, ed anche nella Chiesa. A tale effetto il Signor Romagnoli avrà diritto di avere una chiave della stessa porticella, affinchè nelle ore suddette possa godere di detto suo diritto, e da un altra parte possa internamente all' Oratorio chiudere la porticella nei momenti di passaggio per reciproca sicurezza delle Parti. Nelle ore poi, che tacciono i divini Uffizi, la Congregazione avrà diritto, mediante apposito catenaccio interno, tener chiusa la porticella, il qual catenaccio analogamente al sopra disposto si dovrà dalla Congregazione far aprire nelle ore degli Uffizj suddetti, assumendo a tal' effetto di usare le opportune diligenze. = Hæc enim omnia servitutem
„ non tollunt Ecclesiæ, et Sacrarii; imo ex indefinita
„ facultate indulta Familiæ Romagnoli toties acceden-
„ di ad Sacellum, et Ecclesiam, quoties Ecclesiasti-
„ cæ functiones, et orationes fiant in Ecclesia, et Sa-
„ cello ipso, atque etiam tunc cum ipsis quando-
„ cumque placeat jubere novas functiones ex arbitrio
„ fieri in Sacello, nemo non videt, quam gravis ser-
„ vitus Ecclesiæ imponatur, quantaque sint incom-
„ moda, quæ oriri possint, quibus sero nimis reme-
„ dium quæratur.

„ Addiderunt etiam Romagnolii= *che quand' anche i buoni*
„ *uffici, onde il Signor Romagnoli ottenga l' accesso alla*
„ *Chiesa, non sortissero quest' effetto, nondimeno il me-*
„ *desimo intende, che assolutamente, e liberamente re-*
„ *stino in proprietà dell' Istituto i mobili infissi, ed al-*
„ *tro, di cui in detto articolo, li quali si dichiarano da-*
„ *ti, e ceduti per correspettività della porticella da aprir-*
„ *si* = At vero etiamsi aditus ad Ecclesiam denegetur,
„ satis patet, inutilem omnino, et illusoriam futu-
„ ram prohibitionem: nam si janua ad Sacellum
„ aperiatur, in quod occasione sacrarum functionum,
„ etiam a Romagnoliis indicendarum, ingredi pro ar-
„ bitrio possint, cum Sacellum portam habeat ad Sa-

cra-

„ creditum, et hoc ad Ecclesiam, quis Romagnoliis,
„ eorumque familiae aditum ad Ecclesiam denegabit?
„ Claudendam igitur perpetuo arbitror januam, quam
„ a privata domo ad Sacellum Romagnolii jam ape-
„ ruerunt. Et quoniam ad hanc commoditatem obti-
„ nendam consentiunt = *tutti gl' infissi mobili, Altare,*
„ *e pittura, che trovansi nella Cappella* – horum re-
„ rum aestimatio solvenda [illegible] Romagnoliis. Sed ipsi
„ vicissim demere debent [illegible] pretio Sacelli augmen-
„ tum = *del ben mi sta* = haud licite constitutum.
„ Quare ad ulteriores controversias, et difficultates tol-
„ lendas, non abnuerem, inducta qualibet veluti
„ compensatione, probare pretium Sacelli in ipsa
„ summa scut. 398. 07. praefinitum.
„ Unum tandem ex indulgentia quadam, et ad eorum
„ explendam devotionem Romagnoliis permittendum
„ ducerem, ut quemadmodum transactione propo-
„ suerunt, habeant = *un fenestrino nel piano supe-*
„ *riore del locale, che guarda in faccia alla Cappella*
„ *di S. Pellegrino* = ubi Missam audire, aliisque Eccle-
„ siasticis functionibus interesse possint. Nam et ali-
„ quando laicis contiguas Ecclesiis domos habentibus
„ concedi solere, notum est. Hujusmodi autem fe-
„ *nestrella* [illegible] in altiore loco aperienda, [illegible]
„ et munienda cancello ferreo, atque = *con* [illegible]
„ *gno* = ut proponitur, sed cum crate ferrea parieti
„ infixa, ne videri [illegible] qui ibi morantur, ab iis, qui
„ sint in Ecclesia, [illegible]
„ Rerum itaque omnium collatione [illegible] ut probetur tran-
„ sactio, sive [illegible] pretium Sacelli pro pretio scut.
„ 398. 07. modo supra explicato, et inhibeatur ape-
„ ritio ostii ad Sacellum, et quatenus apertum sit,
„ muro claudatur: ut tandem permittatur apertio par-
„ vae fenestrae ad Ecclesiam, adhibitis cautelis supra
„ explicatis.

Definienda itaque proponuntur

Dubia

I. An sit locus approbationi Transactionis in casu etc.

II. An, et quomodo sit consulendum SSmo, ut clausa janua principali ad claustrum, novus interior aditus ad

ad Sacellum, et inde per Sacrarium ad Ecclesiam aperiatur in casu etc.

III. An, et quomodo sit consulendum SSmo pro concessione fenestræ in Ecclesia in casu etc.

Ad I. Affirmative juxta votum Emi Relatoris, et ad mentem: mens est, ut ex approbatione transactionis nil inferatur pro approbatione contractus acquisitionis Conventus.

Ad II. Negative juxta votum Emi Relatoris.

Ad III. Affirmative juxta votum Emi Relatoris, durante Oratorum agnatione, et habitatione, per Breve.

Sess. 22. cap. 6 de reform.

BURGI S. SEPULCHRI TRANSLATIONIS MISSARUM. [illegible] ad Altare Deiparæ doloris gladio transfixæ in Ecclesia Parochiali S. Mariæ Patrum ejusdem Deiparæ Servorum fundavit *anno* 1819. Antonius Colaschi Burgi S. Sepulchri, statuitque, ut Capellanus quotidie duabus horis ante meridiem Sacrum faceret. Fundum vero dotis nomine assignavit, et donavit annui, et a quovis onere liberi reditus *scutorum* 75., ac jussit, ut Capellanus quotannis Ecclesiæ solveret *scuta* 12. pro lampade, quam diu, noctuque ante indicatum Altare ardere voluit. Juspatronatus, sive jus nominandi Capellanum sibi reservavit Antonius, *ed ai suoi figli, e discendenti maschj di maschio in infinito, e mancati questi, ai figli, e discendenti maschj di maschio in infinito del defonto suo fratello Lorenzo Colaschi, ed in mancanza delle discendenze mascoline suddette ai discendenti maschi della linea femminina.* Denique disposuit, *che dandosi il caso di soppressione della suddetta Chiesa di S. Maria de' Servi, sia in facoltà de Patroni, che per i tempi saranno della detta Uffiziatura, di trasferirla in altra Chiesa a loro piacimento. Qual traslazione il Signor Fondatore medesimo intende, e vuole, che non possa, nè debba farsi giammai fuori del caso preaccennato, senza l' assenso dell' Ordinario, dei Patroni, e del Signor Presidente della Chiesa suddetta.*

Verum quia pene desertam Antonius Colaschi deinde vidit insignem, ac vetustam Ecclesiam Parochialem S.

Au-

Augustini in eadem Civitate Burgi S. Sepulchri; ne omnino claudatur, uti durantibus præteritorum temporum calamitatibus contigit, veniam ad prædictam Ecclesiam transferendi a se fundatam Capellaniam implorat.

Preces remisi Episcopo *pro informatione, et voto, auditis præsertim PP. Servitis in scriptis, ut transmissa fundatione referret de legitima causa, et vera necessitate translationis, et utrum cultui Ecclesiæ S. Mariæ, vel populi commodo præjudicium inferatur, et de evidenti utilitate.*

Episcopus autem hæc retulit = *Ritorno la domanda di Antonio Colaschi di questa Città, la quale, a dir vero, ha tutta la ragionevolezza di esser favorita, giacchè quanto egli propone nella medesima, ridonda in vantaggio del Popolo, ed assicura la sussistenza della Chiesa di S. Agostino, la quale d'altronde è totalmente sprovvista di mezzi, per mantenersi aperta. Non ostanti per altro questi giusti riflessi, i Padri Serviti, da me interpellati su questo proposito, mi hanno esternato il loro aperto dissenso, significandomi, che la loro coscienza non gli permette di aderire alla traslazione dell' uffiziatura Colaschi in pregiudizio della loro Chiesa, e Parrochia. Il dissenso però dei nominati Religiosi a me sembra poco ragionevole, essendo falso, che la progettata traslazione sia di pregiudizio alla loro Chiesa, mentre questa è provveduta di un numero più che sufficiente di Messe; ed essendo del pari insussistente il danno della Parrocchia, che anzi la traslazione della nominata Uffiziatura ne procurerebbe il vantaggio, essendo il Popolo di S. Maria de' Servi tutto situato intorno alla Chiesa di S. Agostino, che ne era l' antica cura, dal che chiaramente risulta non il danno, ma piuttosto il vantaggio della Parrocchia medesima. E quì mi sia permessa una breve riflessione, che cioè i Religiosi Serviti mal corrispondono al vantaggio, che ritraggono dalla Chiesa di S. Agostino, mentre in forza dell' aggregazione dell' antica Parrocchia di S. Agostino alla Chiesa dei Servi, quei Religiosi godono un'entrata annuale di qualche rilievo; onde non dovrebbe rincrescergli fare adesso un piccolo sagrifizio per la sussistenza di quella povera Chiesa, il qual sagrifizio,*

mentre procurerebbe il vantaggio della Chiesa di S. Agostino, non disesterebbe in modo veruno quella dei Servi. Ond' è che dalla ripugnanza, che mostrano quei Religiosi di procurare qualunque piccolo sollievo a favore della Chiesa di S. Agostino, pare, che debba inferirsi, che essi bramerebbero di vedere quella povera Chiesa nuovamente chiusa, per non essere in obligo di esercitare ivi tutte le funzioni Parrocchiali, che sono tenuti di praticare costantemente, per essere la detta Chiesa di Sant' Agostino centrale di quella Popolazione. Restringendo finalmente a pochi termini la presente Informazioae mi credo in debito di riferire, che effettuandosi la domandata traslazione, si provvede alla sussistenza della Chiesa di S. Agostino, che tanto è utile, e comoda alla Popolazione, che siccome ciò non reca disesto alcuno neppure alla Chiesa dei Serviti, mi sembra, che il loro dissenso non sia ragionevole =

Hæc Episcopus: pauca in jure sunt addenda. Donatio inter vivos, semel legitime expleta, revocari amplius per donatorem nequit *Leg. ultim. Cod. De revoc. donat. = Generaliter sancimus, omnes donationes lege confectas, firmas, illibatasque manere = Reiffenst. in* Jus *Canon. lib. 3. tit. 25. §. 2. num. 5, Ferrar. verb. Donatio art. 3. num.* 1. Inde vero inferendum videtur, petitam Missarum, seu laicalis Capellaniæ translationem nullo modo esse concedendam, præsertim cum in Donationis tabulis legatur, translationem præter casum *di soppressione della Chiesa di S. Maria de' Servi*, ipso Fundatore volente, ac statuente, *non possa, nè debba farsi giammai senza il consenso dell' Ordinario, dei Patroni, e del Signor Presidente della Chiesa suddetta.* Assensum siquidem ultro præbet Episcopus, ac pro translatione instat Patronus: verum aperte, et constanter dissentiunt PP. Ordinis Servorum, ad quos Ecclesia in fundatione designata pertinet: atque hujusmodi dissensus plurimum semper valuit apud hanc Sacram Congregationem, ut in *Firmana Erectionis* 18. *Augusti* 1787. *et in Tudertina* 25. *Maji* 1822.

Nullum tamen detrimentum cultui prædictæ Ecclesiæ infertur, uti testatur Episcopus: adest autem populi commodum, et ratio conservandi Ecclesiam S. Augustini, quæ olim Parochialis fuit. Quamobrem publica ne-

necessitatis, ac utilitatis causa concurrere videtur, ob quam sæpe translationem Missarum indulsit hæc Sac. Congregatio, *ut in Placentina Translationis, et commutationis Onerum 21. Junii 1794., in Terracinen. et Sutrina Translationis Missarum 26. Aprilis 1806., et in Casalen. Commutationis onerum, ac voluntatis 30. Martii 1822. §. Missarum.*

Itaque pro sua sapientia EE. PP. dirimere dignentur

Dubium

An sit concedenda translatio Missarum in casu etc.

Affirmative, facto verbo cum SSmo.

BRICTINORIEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, ET APPLICATIONIS. Irrevocabili Donatione inter vivos *anno* 1612. Andreas Caligari, tunc Brictinoriensis Episcopus, dedit *scutata mille ad rationem bonenenorum 80. pro quolibet scutato* (nempe scuta 727. 27. 4. currentis monetæ Romanæ) *Venerabili Capitulo, et Canonicis Cathedralis S. Catharinæ de Brictinorio, cum hac conditione, ac pacto expresso nec aliter etc. quod dictum Capitulum, et Canonici teneantur singulis annis Kalendis Septembris dare scutata 50. similia Clerico pauperi Brictinorien., vel Diœcesis* (saltem ad Subdiaconatus Ordinem promoto, et in percelebri aliqua Italiæ Universitate alendo) *qui per dictum Episcopum, dum vixerit, electus fuerit, et post ejus obitum a dicto Capitulo, et ab omnibus Canonicis; et præterea dictum Capitulum, et Canonici teneantur solvere quolibet anno scutata decem duobus Clericis, idest scutata quinque pro quolibet Clerico, qui teneantur inservire Missis, et Divinis Officiis in dicta Cathedrali Ecclesia, et reliqui fructus, si qui erunt, distribuantur inter dictos Canonicos pro modo servitii, sicuti cæteræ distributiones quotidianæ* =. Investimento collocata in tot censibus prædicta *scutata mille*, annua

Sess. 22. cap. 6., et 8. de Refor.

reddebant *scutata octoginta*, ideoque pro Capitulo supererant quotannis *scutata 20.*

Verum labentibus annis perierunt aliquorum Censuum sortes, omnium vero fructus decreverunt, et restitutæ sortes, ac novo investimento collocatæ cum cæteris Capituli Censibus fuere confusæ. Itaque hanc Sac. Congregationem supplices adierunt Canonici, et onerum reductionem, ac facultatem alios Census subrogandi implorarunt: *et die 24. Martii* 1753. rescribi obtinuerunt = *Facta per Capitulum assignatione quantitatis summæ Censuum, de quorum identitate non constat, ad rationem fructuum currentium juxta illorum quantitatem pro reductione onerum per contributum*. Brictinoriensis autem Episcopus executor delegatus sequenti *anno* 1754. mandavit, persolvi quotannis Romana *scutata* 28. 22. 8. *Clerico Subdiacono Brictinoriensi studiorum causa ad publicam Universitatem accedenti, tum scuta* 5. 64. 6. *duobus Clericis in Ecclesia Cathedrali Missas inservientibus*: atque hanc reductionem *die* 11. *Maji* 1777. approbavit Sa. Me. Pius VI., ita tamen ut quoties *nullus Clericus ad publicam Universitatem accesserit, annua scuta* 28. 22. 8. *investiri debeant, quousque efformatus fuerit reditus in totum scutorum* 43. 20., *et sic persolvantur annua scuta* 36. *Clerico Subdiacono studiis vacanti in publica Universitate, et scuta* 7. 20. *duobus Clericis Missas inservientibus. Et si subinde etiam acciderit, ut aliquo anno nullus inveniatur Clericus Subdiaconus, qui ad publicam Universitatem velit accedere, semper eo anno scuta* 36. *investiantur, ut eo magis augeatur annuum assignamentum præstandum Clericis Subdiaconis ad publicam Universitatem in posterum accessuris*. Hanc autem investimenti legem *die 24. Septembris ejusdem anni* ita moderatus est Pius VI., ut jusserit investimenta facienda ex annuis *scutis* 36. cedere favore Brictinoriensis Capituli, *usquequo pertingant ad annuum reditum scutorum* 20. *inter Canonicos distribuendum, subinde vero reliqua, quæ fieri contigerit, investimenta cedant perpetuo in augmentum annui assignamenti Clericis Subdiaconis præstandi.*

Antistitis Caligari voluntas ita impleta fuit usque *ad annum* 1804., quo Ubaldus Giunchi ab Universitate redux

dux Brictinorium venit: tunc autem Capitulum elegit Paulum Forani, sed ejus nominatio effectu caruit, quia in Italici Regni Universitatibus nemo aderat, qui Ecclesiasticas scientias doceret, et Paulus ab Italico Regimine veniam petendi exteram Universitatem impetrare nequivit. Restituto Pontificio imperio, Capitulum pluries affigi edicta curavit ad invitandos Brictinorienses juvenes, Ecclesiasticas scientias addiscendi cupidos; verum nemo comparuit. Interea reditus, quamvis pro parte ob præteritorum temporum calamitatem vel perierint, vel exigi nondum potuerint, pro parte tamen fuere investimento collocati, adeout caput nunc ascendat *ad Romana scuta* 1350. 43., et annua reddat *scuta* 70. 77. 3., spesque affulgeat, et caput, et reditus nominum exactione augendi.

Rebus in hunc statum adductis, Brictinoriensis Episcopus poscit, ut annua quantitas impendenda pro adolescente in Universitate studiis operam navante, Diœcesano Seminario adscribatur pro alendo juvene, qualitatibus prædito ab Antistite Caligari præscriptis, et litteris, sacrisque disciplinis instituendo. Rogavi de more eumdem Episcopum, qui monumenta transmisit, e quibus superius narrata deprompsi; qui Capitulum audivit, illudque aperte contradicens est expertus, cum contendat, sibi uti Donatario Episcopi Caligari annuos Bonorum reditus esse addicendos; qui denique ita sensum animi sui pandidit.

Principaliter intendit ipse (Episcopus Caligari) *ut mihi videtur, constituere hujus Cathedralis Capitulum non Donatarium principalem, sed secundarium, seu administratorem ad hoc, ut ex fructibus scutatorum mille monetæ antiquæ suppeditaret scutata* 50. *pauperi Clerico modo Civitatis, modo Diœcesis, qui ad studia se dare vellet, et similis monetæ scutata complexive decem duobus inservientibus Missis, et Divinis Officiis. Quod autem non verus Donatarius sit, sed simplex administrator, patet ex sequentibus verbis : reliqui autem fructus, si qui erunt, distribuantur inter Canonicos pro modo servitii etc., ex qua conditione dignoscitur, quod quando nihil superest, nihil Canonicis debeatur. Ad hoc autem ut suam mentem efficacius exprimeret dictus Episcopus Andreas Caligari subjunxit.* Quod si dictum Capitulum, et Canonici servare, et implere recusent, compelli ab Episcopo possint, ac debeant

ad

ad solvenda dicta scutata 60. respective, et etiam ad restituendum dicta *scutata* 1000. ad hoc, ut administrentur ad prædictum effectum. „ *Quid clarius ad demonstrandum, præcipuam Donantis voluntatem fuisse favore juvenis pauperis studere volentis, non vero Capituli in administratione electi? Ast si felicioribus temporibus licet aliquando, non tamen semper, inveniatur juvenis Clericus, qui pro moneta scut. 36. eligeret aliquam Universitatem pergere studiorum causa, quomodo invenietur in ista calamitosa ætate? Nullus est certe, qui sese offerat, licet publicis Notificationibus, ad Valvas hujus Ecclesiæ affixis, invitetur; seo ut reor, nullus erit nec in posterum. Nam quomodo juvenis pauper in extranea Civitate, cum dicta pecunia se alere poterit, decenter vestiri, Magistros solvere, strenas facere? Sed hoc non displicet Canonicis, quorum scopus semper fuit, et est, dictos fructus perpetuo incorporare propriis distributionibus.*

Certum est, quod quamquam pia institutio Caligari non bene fuerit antea administrata, nihilominus ex multis vacationibus studentis factus est cumulus sufficiens, imo fructus annui modo ascendunt ad scuta Rom. 70., unde etiam si darentur scut. 40., et 10 duobus inservientibus Ecclesiæ, remanerent pro Canonicis scut. 20. Subministrentur Clerico pauperi tantum scut. 36., detur juvenis incaute allectus, qui dictos nummos acceptet ad effectum præscriptum. Quis tamen tuta conscientia eum mittet ad aliquam Universitatem ista perversa ætate, in qua experientia docet, quod corruptio morum, ac dogmata contra fidem, et Principes, discuntur si non a Magistris, saltem a sociis? Ego certe numquam darem vota mea, etiamsi ista ad centum ascenderent. Concedo, quod ante vicissitudines toleratas multi redierint cum profectu; nego quod in præsentiarum hoc possit sperari, et dico quod cum majori fundamento magis timendum est.

Sed interest Capitulum, inquiunt Canonici, quod nullatenus varientur speciales, et præcisæ conditiones, quibus, et non aliter acceptata fuit donatio; atqui, repono Ego, speciales, et expressæ conditiones fuerunt, ut darentur scut. 36. juveni pauperi studere volenti, ergo hæ conditiones nullatenus variandæ sunt. Subsumo. Istæ conditiones non possunt modo servari, invitando aliquem juvenem pauperem ad unam ex Uni-

ver-

versitatibus Italiæ juxta mentem Donantis ; ergo serventur eo modo , qui sit proximior menti ipsius Donantis , invitando juvenem studere volentem saltem ad Seminarium : mutatis enim circumstantiis , necessario mutatur et jus . In Seminario certe aptior modo habetur educatio pro Clerico , qui Ecclesiasticàm palestram currere intendit . Interest Capitulum , ut ea , quæ donata sunt pro juvene studente distribuantur inter Canonicos ; si temporaliter loquamur , quis negel ? Sed interest mea , ut initietur aliquis Minister pro Domo Dei .

Dos Capituli non est opulenta sicut olim , est tamen congrua , et sufficiens , signanter pro diligentibus . Ast quale miserum augmentum daretur huic doti , ipsi incorporando donationem Caligari , nisi ad summum trium scutatorum pro singulis annis ? Interea tamen pia laudata institutio penitus destrueretur , et Civitas, ac Diœcesis hac orbaretur utilitate .

Annua quota Seminario persolvenda pro juvenis alimentis est modo quadraginta scutorum , sed requiritur , ut sit saltem ætatis circa duodecim annorum , honestis , et legitimis parentibus ortus , bonis moribus instructus , detque signa vocationis Ecclesiasticæ . Juvenis vero a Capitulo eligendus juxta mentem Donatoris , debet insuper esse pauper ; deberet etiam esse Subdiaconus ; sed 1.° si erit Subdiaconus habebit , vel Patrimonium , vel Beneficium , ideoque erit sufficienter provisus . 2°. difficile se offert . 3.° illa ætas mihi videtur sera, si primævis indigeat studiis. 4.° cum gavisus sit libertate sæculi ad vigesimum primum annum usque ætatis , difficultas se continebit sicut adolescentiores , se rigorose accomodando regulis Seminarii , unde cæteri possent relaxari sequendo ejus exempla . Ob has rationes puto , quod requisitum Subdiaconatus indigeat dispensatione , si talis dispensatio arridet EE. VV. quarum judicio sapientissimo reverenter submitto ea , quæ dixi .

Gymnasiis , quæ olim prope Cathedrales , et Collegiatas Ecclesias florentissima erant Clericorum , et vitæ communis collegia , publicæ successerunt Academiæ , quas sæculo octavo colere cœperunt Clerici , quasque amplissimis donarunt privilegiis Honorius III. in *Cap. Super specula* 5. *De Magistr.* , et Innocentius IV. in *Cap. Cum de diversis. De privileg. in 6.* , atque hu-

jus-

jusmodi privilegia a Tridentina Synodo *in Cap. 1. Sess. 5. de Reform.* servata fuisse monet *Thomassin. de vet., et nov. Eccl. disciplin. tom. 2. part. 2. lib. 1. Cap. 101. n. 1., et seq., et Lib. 3. Cap. 71. n. 3 et seq.* Consulto igitur disposuit Episcopus Caligari, ut juvenis Subdiaconus in percelebri aliqua Italiæ Universitate es-et alendus; ideoque commutanda minime videtur ejus voluntas: nam *quæ ad certum usum largitate sunt destinata Fidelium, ad illum debent, non ad alium, salva quidem Sedis Apostolicæ auctoritate, converti*, uti decrevit Clemens V. in *Clement. Quia contingit. de Religios. dom.* Quamobrem commutationes voluntatum, non nisi *ex justa, et necessaria causa* concedendas esse statuit Concilium Tridentinum *Sess. 22. Cap. 6. De reform.*

Inveniri tamen hac nostra ætate vix quisquam poterit, qui annuo tenui subsidio *scutorum* 36. allectus, celebrem aliquam Universitatem ad Ecclesiasticas scientias addiscendas petat: neque vero multoties propositis Edictis plurium annorum curriculo nemo hactenus est inventus. Profecto vel necessaria, vel certe justa commutationis causa semper habita est, quum finis obtineri nequit, quem sibi pius Fundator proposuit, uti post alios tradit *Amostaz. de Caus. piis Lib. 1. Cap. 14. n. 33.* Tunc autem perpendendum est, quid verosimilius idem Fundator voluisset, quidque in hujusmodi casu præscripsisset: idque potissimum in interpretandis Defunctorum voluntatibus valet *Card. de Luca de test. discur. 72. n. 15.*, adeo ut hæc non vera commutatio, sed æqua potius, et rationabilis dicenda sit voluntatis declaratio, uti censuit hæc S. Congregatio *in Romana Commutationis voluntatis* 27. *Februarii* 1734., *in Nullius Terræ Pontiani* 25. *Januarii* 1744. §. *Cum itaque, in Prænestina Commutationis Voluntatis* 15. *Martii* 1777. §. *Regula juris, et in Eugubina Commutationis Voluntatis* 11. *Martii* 1786. §. *Tridentinum.*

Meliori sane, quo fieri posset, modo impleretur Antistitis Caligari voluntas, si insigni Academiæ Diœcesanum subrogaretur Seminarium, in quo et mores, et Ecclesiasticæ scientiæ vigent: quo fit, ut aptiora sint Seminaria institutioni Clericorum, eaque reapse Tridentina Synodus Academiis suffecerit, uti notat *Fagnan.*

gnan. in Cap. Super specula num. 1. De Magistr. Ostendit siquidem Episcopus in sua Informatione, minime audiendos esse Brictinorienses Canonicos, dum contendunt, Capitulo, uti Donatario Præsulis Caligari, omnes donatorum Bonorum reditus esse adscribendos; cum imo Præsul onera Donationi adjecta omnino impleri voluerit, ac tantummodo adjecerit, ut *reliqui fructus, si qui erunt*, inter Canonicos *pro modo servitii* distribuantur; cumque largitati Pii VI. acceptum referre debeant Canonici, quod certam annuam quantitatem *scutorum* 20. ex reditibus Bonorum Caligari consequantur.

Prætereundum nec est, Antistitem Caligari etiam in Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ Brixichellæ Faventinæ Diœcesis parem quantitatem *scutatorum* 1000. monetæ veteris Donationis titulo contulisse, persimili adjecta lege, ut ex annuis fructibus *si debba tenere perpetuamente un Scolare di Brisichella, o Valle d'Amone nello studio pubblico di qualche famosa Città . . . . , il quale faccia professione di vita Ecclesiastica . . . . e sia almeno ordinato al Sac. Ordine del Suddiaconato.* Cum nullus inveniretur juvenis, qui tenui accepto annuo subsidio Rom. *scutorum* 36. ad Academiam se conferre vellet, petitum fuit ab hac Sac. Congregatione, an commutata Donatoris voluntate juvenis esset in Faventino Seminario collocandus, ibique Sacris Litteris, et Disciplinis instituendus, uti Faventinus proponebat Episcopus, qui dispensationem quoque a lege assumendi Subdiaconatum implorabat, ne Clericos nimis adultos admittere adigeretur in Seminarium, in quo a pueris recipiendi sunt Clerici juxta *Concil. Lateran. V. sub Leone X. Sess. 9. de Reform.*, et declarationem *Sacri Conc. Trid. Sess. 23. Cap. 18. de Reform.* Votis autem Episcopi omnino consonum hujus Sac. Ordinis rescriptum prodiit *in Faventina Commutationis Voluntatis, et Applicationis 15. Septembris* 1792.

Proponitur itaque dirimendum.

Dubium

An, et quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione Voluntatis, et applicatione in casu etc.

Affirmative juxta votum Episcopi.

Sess. 24. cap. 12. de reform.

CALLIEN., ET PERGULANA = Tribus Dignitatibus et decem Canonicis constabat Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Andreæ Pergulæ, quum *anno* 1817. a Pontifice Optimo, ac vere Maximo Pio VII. eadem Ecclesia Episcopalis Cathedræ honore donata, et Con-Cathedralis cum Calliensi Ecclesia fuit renuntiata. Fundationis lege Canonici ad Sacerdotium assumendum minime tenebantur: verum Episcopo Eugubino die 12: *Decembris* 1786. Litteras dederat in forma Brevis sa. me. Pius VI., quibus jusserat, ut octo ex citioribus præbendis semper in futurum essent Presbyterales: Patronisque Dignitatum, seu Canonicatuum præcepit, ne unquam nominare valerent, nisi eos, *qui in sacro Presbyteratus ordine, aut in eo sint initiati, aut infra annum ad illum commode promoveri possint; secus illorum nominatio nulla sit, viribusque, et effectu penitus vacuari mandamus.*

Episcopus a Pontifice delegatus inter alias Præbendas presbyterales Dignitatem Archipresbyteratus recensuit, quæ *anno* 1743. una cum alio Canonicatu ab Eugenio ex Comitibus Giannini fundata fuerat, reservato Patronatus jure activo Nepoti suo Josepho Giannini, ejusque successoribus, et hæredibus = *con patto però che questi, e ciascuno di essi debbano sempre nominare a detti Canonicati i di lui Parenti idonei, e capaci, ed in loro mancanza Gentiluomini, o almeno Cittadini nativi, e tali di questa Patria, e non altrimenti.* Vacavit *die 24. Februarii* 1823. ob mortem Sacerdotis Petri Giannini Dignitas Archipresbyteratus, omnes Patroni nominarunt Clericum Augustinum Luzi, Fundatoris consanguineum, qui tamen, *die 29. Augusti* 1804. in lucem editus, ob defectum ætatis institutionem nunquam obtinuit.

Interea Clericus Thomas Gamberi, natus die 25. *Octobris* 1801., Cathedralis Pergulanæ Canonicus, Institutoris pariter consanguineus, quamvis a Patronis minime præsentatus, ab hac Sacra Congregatione petiit, ut ipsi Archipresbyteralis Dignitas concederetur, utpote pollenti omnibus qualitatibus, quæ a Fundatore et a supra memoratis Apostolicis Litteris fuere præscriptæ. Rogavi de more Episcopum, qui auditis omni-

nibus interesse habentibus, ita suam pandidit sententiam.

Quoniam mihi a S. ista Congregatione injungitur, ut præsenti in quæstione sensum meum aperiam, animo id peragam quam libentissimo. Præsentatio a Patronis facta in persona Augustini Luzi, nullius certe ponderis, et roboris considerari debet. Habita enim ratione ad Breve S. M. Pii VI., quo præscribitur, ut nemo inter Capitulares Cathedralis Pergulæ admittatur, qui in ordine Sacerdotali minime sit constitutus, consequitur, Augustinum Luzi, ut supra præsentatum, et nominatum, ad hanc dignitatem Canonicalem obtinendam haud capacem, et idoneum esse propter defectum ætatis. Ex relatione enim Capitulari eruitur, prædictum Clericum natum esse die 23. Augusti 1804. Porro eodem defectu ætatis laborat Thomas Gamberi, qui annum vigesimum secundum nondum explevit. Ambo igitur inhabiles, et incapaces sunt, nisi Sacratissimi Principis clementia in alterutrius favorem dispenset. Cum autem Patroni ad Augustini Luzi præsentationem descenderint, qui sane majorem spem, quam Gamberi præsefert, futurum Ecclesiæ proficuum, si ipsius ingenium, indoles, sedulaque in studiis opera inspiciatur, opinarer, prædicti Augustini Luzi precibus annui posse.

Nullas autem preces exhibuit Clericus Luzi pro obtinenda dispensatione ab ætatis defectu: illam tamen Patroni pro eo flagitarunt, *et die 4. Maji* 1823. Episcopo declararunt, se paratos esse, ni hæc Sac. Congregatio hujusmodi precibus annuat, ad præsentandum *altro soggetto parente più prossimo più idoneo, e capace, secondo la mente dell' istitutore, e Breve Pontificio.*

Contendit Canonicus Gamberi sibi deberi Archipresbyteralem Dignitatem, eo quod omnibus præditus sit qualitatibus præscriptis a Fundatore, et ab Apostolicis Litteris: se enim Fundatoris propinquum probat, seque putat in canonica ætate constitutum; quoniam etsi natus die 25. *Octobris* 1801. nondum compleverit 23. *annum*, ut opus esset juxta ætatem Sacerdotii a Conc. Trid. *Sess.* 23. *cap.* 12. *de Reform* statutam; in proxima tamen ordinatione subdiaconatu recepto, si Apostolica dispensatio accedat, ad presbyte-

 ra-

ratum infra annum ascendere poterit. Neque, si ei fides habeatur, alius adest, qui necessariis qualitatibus polleat, quibus, ac præcipue ætate, destituitur Clericus Luzi a Patronis nominatus: hinc ejus nominatio, quod nulla sit, viribus, et effectu penitus vacuetur, ex Litteris Sanctæ Memoriæ Pii VI. perspicue constat. Nullo itaque modo institutionem sibi denegandam esse concludit Canonicus Gamberi, quin materiali opus sit Patronorum præsentatione, quandoquidem cum unicus sit, qui passivo patronatu, omnibusque necessariis requisitis gaudeat, nominationis loco ipsi est Fundatoris voluntas, *Piton. de controv. Patron. Alleg. 85. num. 3., Garz. de Benef. par. 4. cap. 3. n. 65.; Rota in Consana Benef. 4. Julii* 1759. *§. 3. coram Card. Elephantulio, in Ferrarien. Capellaniæ die* 11. *ejusdem mensis §. 2. coram Ratta, et Sac. Congregatio in AEsina Beneficii* 21. *Septembris* 1822.

Verum ex Litteris S. M. Pii VI. præclare patet, instituendum in ætate esse debere, ut infra annum ad Presbyteratum commode promoveri possit, quod idem est, ac 23 *annum* ætatis saltem complevisse: ad hanc vero ætatem nondum Canonicum Gamberi pervenisse ex eo elucet, quod tantummodo *die* 25. *Octobris* proxime venturi *annum* 23. explebit. Inde vero consequitur, utrumque Litigatorem Apostolica dispensatione indigere, ut Archipresbyteratum consequi valeat; quin potior sit causa Canonici Gamberi ob spem ad Sacrum Presbyteratus Ordinem cum Apostolico indulto a defectu ætatis infra annum ascendendi. Dispensationes enim hujusmodi a libera Summi Pontificis voluntate pendent: hinc nulla potest earum ratio in jure reddendo haberi, antequam illas jam obtentas fuisse doceatur.

Omnis ergo est quæstio de dispensatione a defectu ætatis; cui nempe ex Litigatoribus concedenda sit, cum utrique proximitas cum Fundatore Archipresbyteratus faveat. Canonico Gamberi opitulatur dispositio Trid. *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* ætatem requirens *annorum* 22. saltem inceptorum, ut quis Cathedralium Dignitates licite obtineat; qua in ætate ipse est constitutus, et quæ minime adest in Clerico Luzi. Præterea Canonicus Gamberi ætate major, et in cleri-

sicali statu antiquior, est præferendus, uti monet *Panimoll. Dec. 101. Adnot. 1. n. 12.*, *et Rota in Volaterrana Beneficii 7. Julii 1709. §. Ast quando. coram Ansaldo apud Piton. de Controv. Patron. Alleg. 85. n. 15.*, eoque magis in obtinendo Beneficio Sacerdotali *habitu*, ob majorem nempe aptitudinem, quæ plurimum valet, quæque in eo reperitur, qui citius est ad Sacerdotium promovendus, *Rota in Volaterrana Beneficii 7. Decembris 1708. §. Verum quoque. coram Crispo, apud eumdem Piton. loc. cit.*

Hæc autem eo firmius retinenda videntur, quia sanctioni Concilii Tridentini, et indicatis Juris regulis apprime consonant Apostolicæ Litteræ S. M. Pii VI., quibus statutum fuit, in Pergulana Cathedrali Ecclesia octo præbendas presbyteris omnino esse conferendas, ut divino cultui consultum esset. Tandem Canonico Gamberi favet, quod jam aliam præbendam in Ecclesia possideat, jamque de eodem Capitulo sit; primus autem hanc Sac. Congregationem adiverit: quæ quidem præventio valde æstimari solet in concedendis dispensationibus, etiam æquali merito concurrente juxta regulam, qui prior in tempore, potior est in jure, de qua S. Congregatio in *cit. Æsina Beneficii 21. Septembris 1822.*

Præferendus tamen ob personales qualitates videri poterit Clericus Luzi, qui referente Episcopo *majorem spem, quam Gamberi, præsefert futurum Ecclesiæ proficuum, si ipsius ingenium, indoles, sedulaque in studiis opera inspiciatur*; *quam ob rem*, concludit idem Episcopus: *opinarer, prædicti Augustini Luzi precibus annui posse*. Clerico autem Luzi præter Episcopum etiam Patroni suffragantur, qui omnes, Canonico Gamberi posthabito, ipsum ad Archipresbyteratum nominarunt; Episcopi vero, et Patronorum favor ab hac Sac. Congregatione plurimi semper est habitus. Illud quoque pro sua sapientia EE. PP. perpendant, paratos esse Patronos ad novam præsentationem faciendam, atque ad nominandum *altro soggetto*

pa-

parente più prossimo, più idoneo, e capace, si Clericus Luzi excludatur; ideoque dirimere dignentur.

Dubium

An, et cujus favore sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu etc.

Negative in omnibus, et Episcopus præfigat terminum unius mensis patronis ad explendam nominationem.

Sess. 24. Cap. 15. de Reform.

URBEVETANA REDUCTIONIS, ET APPLICATIONIS. Precibus, quas Urbevetanæ Cathedralis Ecclesiæ Capellani *viginti quatuor*, *primæ erectionis* nuncupati, et Chorali servitio addicti, huic Sacræ Congregationi *anno* 1817. obtulerunt, inter cætera flagitarunt, ut Capellaniarum numerus reduceretur ad augendos superextantium reditus, tunc nimium tenues, utpote annua *scuta* 23. pro quolibet Capellano non excedentes. Itaque in Comitiis *diei* 6. *Martii* 1819. propositum fuit Dubium I. *An, et quæ Capellaniæ sint reducendæ in casu etc.*; et quamvis Urbevetanum Capitulum, ab Episcopo interrogatum, non expedire Capellaniarum reductionem autumasset, prodiit tamen responsum, *Affirmative pro sex Capellaniis, et juxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo*. Episcopus autem proposuerat, ut reductio fieret de Capellaniis actu vacantibus, et successive vacaturis, eisque inhærentia onera Missarum Capellaniis conservandis imponerentur; resolutionem vero hujus Sacræ Congregationis S. M. Pius VII. *die* 10. *ejusdem mensis Martii* plenissime probavit, ac respective confirmavit.

Executioni memorati Rescripti manus admovit Episcopus: cum autem quamdam Capellaniam a bo. me. R. P D Francisco Ravizza fundatam suppresserit, Canonicus Joseph Palazzi Orienti, qui se Camera-

rium

rium Fabricæ Cathedralis Ecclesiæ Urbevetanæ dixit, supplicem porrexit libellum, in quo exposuit, nominationem Capellani ad prædictæ Fabricæ Camerarium spectare; sed non nunquam auditum fuisse, quamvis de ejusdem Fabricæ juribus tollendis ageretur; ideoque exoravit, ut novum de Capellanorum petitione institueretur examen. Dimissus, responso: *Doceat de remissione Causæ cum clausula de aperitione Oris*, ad R. P. D. Auditorem SSmi confugit, qui suo Rescripto *diei* 17. *Augusti* 1823. Causam, seu Causas huic Sacræ Congregationi *cognoscendas remisit cum clausula de aperitione Oris arbitrio*. Novum itaque libellum obtulit Canonicus Palazzi Orienti, quem de more ad Urbevetanum Episcopum remisi pro Informatione, et Voto: ipse autem respondit, prædictum Canonicum sese perperam asseruisse Fabricæ Camerarium, cum munus suum expleverit anno antequam supplex hanc Sacram Congregationem adiret; ac præterea monuit, quod Fabricæ *Laica administratio nihil juris habet super spiritualia, et super Beneficia, et profecto nihil juris habet reclamandi in casu, de quo agitur, et locum habere non potest*.

Addit etiam, quod ipse debitæ executioni *Decretum Sacræ Congregationis demandavit, Capitulo, et Camerario Fabricæ notificatis, atque data occasione vacationis Capellaniarum primæ erectionis, jam tres Capellanias suppressit, seu reduxit, medietatem nempe earum, quæ supprimendæ, seu reducendæ sunt. Post hæc non video* (prosequitur Episcopus) *quomodo possit reclamare, qui se dicit Fabricæ Ecclesiæ Camerarium. Capellaniarum fructus erant nimis tenues, ideoque juxta Concilii Tridentini Decreta poterant Capellani supplicare pro reductione. Auditum est Capitulum; dedit votum Episcopus: Sacra Congregatio decrevit pro reductione sex Capellaniarum; ad extremum Summus Pontifex, qui pro suprema sua potestate supplet eminenter omnes facultates, et defectus, approbavit, et confirmavit, et hæc reductio jam habet executionem pro medietate. Quid ergo amplius desideratur? Causa finita est, et EE. Patres silentium imponant reclamanti . . . . . Capellani ad formam*

Decreti

Decreti Sacræ Congregationis adimplerunt onera, et præsertim celebrarunt Missas jam suppressis, seu reductis tribus Capellaniis impositas, et Camerarius reclamans noluit eleemosynas consuetas solvere Capellanis, dicens se non cognoscere, et non admittere suppressionem, seu reductionem factam a Sacra Congregatione Concilii, approbatam, et confirmatam a Summo Pontifice, et executam ab Episcopo delegato. Et tunc Capellani ad tramites justitiæ usi sunt jure proprio coram Tribunali Episcopali, quod visis videndis, et præcipue quod Camerarius Fabricæ pertinaciter nolebat solvere eleemosynas prædictas, Tribunal, inquam, sequestrationem ad hunc effectum posuit super modica summa scutorum triginta unius, quæ Fabricæ Ecclesiæ debebatur, quæque pro eleemosynis Missarum non sufficiunt. Neque verum est, quod vel minimum præjudicium habeat inde Fabrica Ecclesiæ: namque Capellaniarum Missæ semper fuerunt celebratæ, et semper celebrandæ erunt, et est Fabrica Ecclesiæ, quæ habet dotes earumdem, et semper solvit eleemosynas, et semper solvere debebit: imaginarium ergo est præjudicium Ecclesiæ, nisi ponamus, quod sit præjudicium eleemosynas debitas solvere Sacerdotibus Capellanis, seu Sacerdotibus extraneis. Addendum, quod Sacerdotibus Capellanis quemadmodum Camerarius injuste non vult solvere eleemosynas Missarum jam celebratarum, et celebrandarum in posterum; sunt enim perpetuæ: ita noluit, et non vult solvere pro qualibet Capellania sex scutata annua, quæ Fabrica debet solvere, quæque conficiunt summam, ex qua ab immemorabili, et ex fundatione desumitur Choralis distributio, et ideo sunt fructus cuilibet Capellaniæ inhærentes.

Cum itaque omnium, quæ exposita sunt, manifesta sit veritas, maxima evidentia, ac auditi sint omnes interesse habentes, præsertim Capitulum; ad aperiendum animi mei sensum vocatus, dum remitto preces, debeo prorsus sentire, rejiciendas esse preces ipsas, et cogendum mediis legalibus Camerarium pro tempore Fabricæ Ecclesiæ, ut ad normam Decreti Sacræ Congregationis Concilii solvat sine ulla contra-

dictio-

dictione Capellanos Chorales pro Capellaniis reductis, seu suppressis, et non amplius audeat reclamare.
Nihil attulit Canonicus Palazzi Orienti, neque ut nominationem Capellaniæ Ravizza ad Ecclesiæ Fabricam, ejusque Camerarium pro tempore spectare, neque ut se Camerarii munere adhuc fungi evinceret; quorum utrumque in sua Informatione aperte negavit Episcopus: neque demum, ut ostenderet, Capellanias non esse reducendas, ideoque a decisis esse recedendum. Nemo quoque comparuit, qui se hodiernum Camerarium diceret, et instantiam a Canonico Palazzi Orienti propositam prosequeretur: quod aperto est indicio, excitatam a præfato Canonico contentionem ab hodierno Fabricæ Camerario improbari. Definitio igitur ab iisdem pendet *facti* monumentis, ac juris regulis, late collectis, et enucleatis in Folio *diei* 6. *Martii* 1819., quod EE. PP. resumere precor, ut dirimere valeant

Dubia.

I. *An intret arbitrium pro Aperitione Oris in casu etc.*
et quatenus affirmative
II. *An sit standum, vel recedendum a decisis in casu etc.*

Ad I. Negative, et ad mentem.
Ad II. Provisum in primo.

TRANEN. REDUCTIONIS, ET COMMUTATIONIS ONERUM. Capitulum Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ Majoris Oppidi Corati Tranensis Archidiœcesis duabus constat Dignitatibus, Archipresbytero nempe, ad quem Animarum cura pertinet, ac Primicerio, triginta Canonicis, totidemque Participantibus; quibus omnibus integrum ad formam Sac. Canonum incumbit Chorale servitium, tam in eadem Collegiata, quam in filiali Ecclesia S. Mariæ *Græcæ*, in qua duodecim Capitu- *Sess. 25. cap. 4. de Reform.*

pitulares per turnum singulis mensibus designati, Divina celebrant Officia. Non tenues quidem sunt Collegiatæ reditus, ad *Ducata* 3000. circiter ascendentes, verum tot obruti sunt oneribus, ut impletis legatis Missarum, pro Chori servitio, cæterisque Ecclesiæ functionibus Capitulares fere nihil percipiant.

Missarum onera reduxit Tranensis Archiepiscopus, uti Delegatus Apostolicus *anno* 1727., ideoque paulo post Romanum Concilium *anno* 1725. a S. M. Benedicto XIII. habitum, novamque reductionem *anno* 1816. indulsit Archiepiscopus Aloysius Maria Pirelli *attentis facultatibus a Sede Apostolica concessis*, et quoad Missas 6726. eleemosynam taxavit partim ad *Grana* 30., partim ad *Grana* 32., partim denique ad *Grana* 35., adeout pro illarum celebratione *Ducata* 2040. insumantur: reliqua proinde sint *Ducata* 773, *et Grana* 18.; pro Missa Conventuali, pro aliis Missis *fixis* 1022., pro anniversariis 75., ac pro compluribus functionibus, præsertim processionum, peragendis præter quotidianum Chori servitium.

Cum non longe absit decennii terminus, Sac. Congregationem adivit Capituli Procurator generalis, ac petiit, *primo* ut Missæ, quas dicunt *fixas*, et Anniversaria reducantur ad medietatem: cœterisque ex *Missis* 6726. tot celebrentur, quot possunt pro eleemosyna Carolenorum duodecim in singulas, ex quibus *Grana* 20. favore celebrantis, reliquum in utilitatem cedat Massæ Capitularis: *Secundo*, ut anniversariis celebrandis incumbant dumtaxat duodecim Capitulares designati pro Officiatura Ecclesiæ S. Mariæ Græcæ, *non avendo i suddetti dodici Individui verun peso di Messe Conventuali, di Ferie, e di Vigilie*: denique *tertio*, ut quoad onera Missarum, quæ implenda sunt *in determinate Chiese, giorni, ed Altari, ed alcuni colla celebrazione di Messe di requiem*, dispensatio ab hujusmodi legibus, et conditionibus indulgeatur.

Archiepiscopus, quem de more requisivi, statum activum, et passivum Collegiatæ, nec non præcedentium reductionum Indulta transmisit, atque hæc addidit. = *La domanda della cennata riduzione non ad altro ha mira, che a dare un qualche appanaggio ai Capitolari*

lari inservienti quella Chiesa per una di loro maggior decenza, mentre quel Capitolo ha tutta la Massa oberata da pesi di Messe, in maniera che il rilascio di una porzione dell' elemosina delle Messe forma la rendita della punteria Capitolare. Nel presente caso intanto ottenendosi dal Capitolo la moderazione designata nella cennata domanda, ed elevandosi a maggior somma la limosina delle Messe, i Capitolari ne percepirebbero soli carlini due per loro elemosina a cadauna Messa, e tutto il dippiù si aumenterebbe alla Massa Corale. Io da ciò stimo, doversi annuire alla domanda di quel Capitolo equa, e propria, se diversamente non giudichi cotesta venerabile Congregazione, tostochè esaminerà i pezzi d'appoggio. = Iterum rogavi eumdem Archiepiscopum, ut referret de numero Capitularium, et utrum Collegiata sit insignis, vel potius Ecclesia receptitia numerata, vel innumerata: ipse autem respondit = *La Chiesa è Collegiata insigne; così dichiarata dalla Bolla Pontificia per la concessione della Cappa Magna, e da altre Bolle de' miei predecessori, nonchè dalla Legge Statutaria della detta Chiesa. Essa è ricettizia numerata per i soli Cittadini, ed il numero de' Collegiali è di sessantadue, cioè di un Arciprete Curato, d' un Primicerio (che sono le due dignità) di trenta Canonici, e di trenta Partecipanti: numero stabilito dalla enunciata Legge Statutaria; abbenchè attualmente sia per incidente, e per la malagevolezza de' passati tempi di quaranta, giornalmente però si rimpiazza.* =

Præbenda Capitularibus cum detur propter Chori servitium, illius reditus officio respondeant oportet: ideoque si reditus præbendarum impares ad onera ferenda deprehendantur, Sac. Congregatio vel reductionem servitii Chori indulgere consuevit, ut *in Ariminen. 18. Septembris 1751., et in Firmana Servitii Chori, et Reductionis Missarum 9. Augusti 1817. §. Videndum*, vel Legata Missarum ad augendos reditus reducit, ut *in Asculana Missarum 20. Aprilis 1782., in Nullius S. Martini 12. Septembris 1801., et in Taurinen. Absolutionis, Suspensionis, et Reductionis 1. Martii 1817. §. Petitæ*. Annuendum igitur videtur precibus Capituli Oppidi Corati, cum Capitulares præbenda fere careant. Distributis enim inter 62. Capitu-

pitulares *Ducatis* 773. 18., quisque accipit circiter *Ducata* 12. 47, quæ pro rata Missis *fixis* 1022., Anniversariis 75., Missa Conventuali, Processionibus, aliisque compluribus sacris functionibus gravantur. Quod si Missæ fixæ, et Anniversaria reducantur ad medietatem, ac aliæ Missæ 6726. ad numerum, qui celebrari potest pro eleemosyna carolenorum duodecim: præter mox indicatam quantitatem *Ducatorum* 12. 47., deductis pro Celebrante Granis 20., Capitulares singuli perciperent alia *Ducata* 30. 10., proindeque in totum *Ducata* 42. 57., nempe circiter Romana *scuta* 34., quæ satis esse possunt ad ferendum aliarum functionum onus, et quotidianum Chori servitium.

Obstare tamen videtur animadversio, Archiepiscopum Pirelli, dum *anno* 1816. elemosynam Missarum auxit ad *Grana* 30. 32. et 35., ob oculos procul dubio habuisse functiones omnes, et quotidianum Chori servitium, cui præter Missas Capitulum Corati satisfacere tenetur. Igitur antiqua potius confirmanda, quam nova concedenda reductio videtur, quoniam rebus in eodem statu manentibus reductio reductionis semper denegatur: *S. Congregatio in Romana Reductionis* 24. *Novembris* 1804., *et in Florentina* 19. *Augusti* 1815. *§. Postulatur*. Eoque certius, cum non sexaginta duo, sed hodie guadraginta solummodo adsint Capitulares, quorum proinde singuli fere annua *Ducata* 20. percipiunt.

Quod attinet ad Anniversaria, quorum onus imponi vellet duodecim Capitularibus, qui servitium Chorale in Ecclesia Filiali S. Mariæ Græcæ præstare debent animadvertendum erit, post beneficii erectionem nova onera Beneficiatis non esse imponenda, nisi legitima id postulet caussa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ, *S. Congregatio in Veliterna Residentiæ* 20. *Martii* 1790. *§. De viribus*. Cum tamen Capitulares, singulis mensibus per turnum designati, ad filialem Ecclesiam mittantur: non novum onus assumere, sed novum ordinem, novamque methodum onus antiquum adimplendi statuere velleCapitulum videtur.

Verum commutanda foret pia voluntas Testatorum, qui Anniversaria in Ecclesia Collegiata S. Mariæ Majoris a toto Capitulo, non alibi, et a minima ipsius Capituli

parte

parte celebrari jusserunt. Eademque occurrit difficultas quoad petitam translationem Missarum, ac dispensationem a legibus, et conditionibus eas celebrandi *in determinate Chiese, giorni, ed Altari*. Profecto servanda est suprema Defunctorum voluntas, *Can. Ultima voluntas. quæst.* 13. Hinc si Legata impleri, et Missæ celebrari possunt in Ecclesia, et Altari a Fundatoribus designato, solet denegari illarum translatio, ut *in Usentina Celebrationis Missarum* 14. *Januarii* 1748., *in Lucana Translationis, Reductionis, et Sanationis* 26. *Augusti* 1820. §. *Inquirendum.*
Asserit quidem Archipresbyter, qui Parochus est, ac prima Capituli Dignitas, Missarum translationem non esse allaturam *verun pregiudizio spirituale a questa popolazione, nè incomodo, nè deroga al culto delle Chiese*: at voluntatis commutatio, et Missarum translatio tunc solummodo conceditur, quum publica concurrat utilitatis, vel necessitatis causa, uti respondit Sac. Congr. *in Setina Translationis Missarum* 26. *Aprilis* 1806., *et in Casalen. Commutationis onerum, et voluntatis* 30. *Martii* 1822. §. *Missarum*. Nihil prorsus de hujusmodi necessitate, aut utilitate suis in Litteris habet Archiepiscopus, cui cœteroquin committenda foret Missarum distributio, si illarum translationem, et voluntatis Testatorum commutationem indulgendam esse EE. VV. censerent. Proponuntur itaque.

Dubia

I. *An, et quomodo sit concedenda Missarum reductio in casu etc.*

II. *An Anniversariorum celebratio sit committenda Capitularibus, qui per Turnum inserviunt Ecclesiæ S. Mariæ Græcæ in casu etc.*

III. *An, et quomodo sit concedenda translatio Missarum in casu etc.*

Non proposita cum sequenti.

Sess. 24. Cap. 18. de reform.

HYERACEN., ET RHEGINEN. CONCURSUS. Vacante Parochiali Ecclesia S. Nicolai ex Aliph. in Oppido Roccellæ Hyeracensis Dioecesis, Concursum *die* 13. *Martii* 1820. indixit Episcopus, et nomen subeundo examinis periculo dederunt Sacerdotes Paschalis Pellegrino, Dominicus Congiusta, nec non Paschalis Englen, qui tamen admissus fuit adjecta lege, *si et quatenus sæcularizationis, et habilitationis ad beneficia gratiam a S. Sede obtinuisse docuerit, attenta solemni expressa professione in Ordine S. Dominici ab eo emissa.* Certamine habito *die* 23. *ejusdem Mensis Martii* Examinatores pro-Synodales ad Parochiale regimen idoneos renunciarunt Sacerdotem Pellegrino primo loco, et Sacerdotem Congiusta secundo loco; Sacerdotem vero Englen ex defectu scientiæ reprobarunt. Episcopus autem *prædicta die* Parœciam Sacerdoti Congiusta committendam decrevit, Bullasque ejus favore expediri mandavit. Decretum Episcopi ea ipsa die promulgatum, et inter Acta Cancellariae fuit relatum; Paroeciae vero possessionem *die* 17. *Augusti sequentis* Parochus Congiusta est assequutus.

Interea Sacerdos Englen S.M. Pium VII. adierat, a quo perpetuam *sæcularizationem*, eo quod haberet *il Padre di età cadente, ed incomodato di salute, come anche la Madre avanzata in età*, nec non habilitationem ad consequendum *un qualche Benefizio o semplice, o residenziale, anche con cura di anime* imploraverat: preces autem ad Sac. Congregationem Episcoporum, et Regularium remissas die 5. *Maji* 1820. Hyeracensi Episcopo ab eadem ablegari obtinuerat, ut Oratori facultatem indulgeret *manendi extra claustra pro effectu, de quo agitur, durante tantum necessitate, qua cessante, nisi a suis superioribus fuerit revocatus . . . et dummodo provisus sit de sufficienti patrimonio, tunc pariter facultatem eidem concedat manendi in sæculo quoad vixerit in habitu Presbyteri sæcularis etc.*

Episcopus autem, accepto Rescripto, in quo nulla prorsus habilitationis ad saecularia Beneficia assequenda occurrit mentio, *die* 19. *Augusti* 1820. annuam pensionem, quam Sacerdos Englen ab Ærario Regio percipit,

cipit, pro Patrimonio admisit, et Oratori facultatem in saeculo manendi ad formam ejusdem Rescripti concessit.

Dum haec in Curia Hyeracensi agebantur, ad Metropolitanam Curiam Rheginensem confugerat Sacerdos Englen, seque ab Examinatorum relatione, et Episcopi judicio gravatum dicens, provocationem *die* 30. *Julii* 1820. interposuerat, quam ejusdem Curiae Vicarius Generalis *die* 10. *Augusti sequentis* notificari mandavit Curiae suffraganeae Hyeracensi, eamque compelli ad transmittenda Acta Concursus, et interim, inhiberi, ne amplius in Causa procederet: verum notificatio tantummodo *die prima Septembris* 1820. expleta fuit. Vocati deinde fuerunt tam Parochus Congiusta, quam Sacerdos Englen, ut *die* 21. *Octobris sequentis* interessent collationi, et clausurae Actorum, quae ad Metropolitanam Curiam erant transmittenda: tunc autem comparuit Parochus Congiusta, et Actorum trasmissioni sese opposuit, quia I. Appellatio a Sacerdote Englen non fuerat oblata Judici a quo. 2. Intra triginta dies Sacerdos Englen Apostolos non postulaverat. 3. Non post decem dies, sed post aliquot menses appellaverat. 4. Appellans, utpote in Regulari Ordine professus, incapax erat ad assequenda Beneficia saecularia. Hujusmodi appellationis cognitio, una cum Actis Concursus ad Metropolitanam Curiam fuit delata, quae posthabitis exceptionibus Parochi Congiusta, *die* 30. *Novembris* 1820. partibus auditis, appellationem a Sacerdote Englen interpositam admisit, ac mandavit *procedi in dicta Causa revisionis, et appellationis ad ea, quae de jure incumbunt, pro ejusdem expeditione.* Itaque instante Sacerdote Englen *die* 1. *Decembris sequentis* decretum fuit, quod Acta Concursus, relatio Examinatorum, et examen super doctrina, aliisque occurrentibus revideatur per tres Synodales Examinatores Metropolitanae Curiae, *ac proinde partes in peremptorio termino dierum trium dent notam Examinatorum synodalium etc. alias termino elapso eligantur per hanc Audientiam Metropolitanam.*

Obstitit quidem *die* 4. *ejusdem mensis Decembris* Parochus Congiusta, praesertim quia pendente termino

ad

ad appellandum a Decreto admissionis appellationis, a Sacerdote Englen interpositae, ad ulteriora procederetur, et protestationem provocandi ad Apostolicam Sedem a Decreto *diei* 30. *Novembris* emisit: verum in acri partium certamine Parochi exceptiones rejectae fuere, et *die* 12. *Decembris* jussit Metropolitanae Curiae Vicarius Generalis, ut praefatum Decretum executioni committeretur. Itaque Examinatores ex officio designati ad Actorum Concursus examen progressi *die* 21. *ejusdem Mensis Decembris* renunciarunt Sacerdotem Englen primo loco adprobatum, secundo loco Sacerdotem Pellegrino, atque ob scientiae defectum reprobarunt Sacerdotem Congiusta, qui sequenti *die* 22. appellavit ad S. Sedem adversus Decreta *dierum* 30. *Novembris*, *et* 12. *Decembris* 1820. solemni emissa protestatione de Actorum nullitate, si forte contra Appellationem ipsam attentari contingeret. Appellationem in *devolutivo* tantum admisit Metropolitana Curia, et decrevit, ut Episcopus Hyeracen. inter adprobatos Englen, et Pellegrino Parochum eligeret, eumque in Parœciae possessionem induceret.

Accepta *die* 20. *Januarii* 1821. hujus definitivae Sententiae *notificatione*, Parochus Congiusta *sequenti die* 29. iterum ad Sedem Apostolicam appellavit, et iterum appellationem Curia Metropolitana in devolutivo tantum admisit. Citationem deinde specialem cum inhibitione *die* 27. *Februarii* 1821. Appellans Congiusta ab R.P.D. Auditore SSmi obtinuit, quam tamen Curiae Metropolitanae, et Sacerdoti Englen denunciare neglexit; quo factum est, ut instante Sacerdote Englen, et Parocho Congiusta minime vadato, eadem Curia *die* 18. *Maji* 1821. appellationem a praedicto Parocho interpositam prorsus desertam declaraverit, attenta Pragmatica Constitutione Regni utriusque Siciliæ *Appellationum tempora*, qua statuitur intra quinquaginta dies appellationem esse prosequendam. Interea usque a *die prima Martii ejusdem anni* 1821. Sacerdos Pellegrino cuicumque juri ope Concursus acquisito nuncium solemniter miserat.

Citationem specialem tantummodo *die* 20. *Aprilis* 1822. Parochus Congiusta exequendam curavit: tunc autem

Sacer-

Sacerdos Englen R. P. D. Auditorem SSmi adiit, qui controversiam omnem huic Sacræ Congregationi definiendam remisit. Rogatus deinde Archiepiscopus Rheginensis de transmissione Actorum Concursus, authenticum illorum exemplum transmisit, et ad ea se retulit, quæ R.P D Auditori SSmi narraveratLitteris ad ipsum datis *die* 12. *Octobris* 1822., in quibus asseruerat, sibi constitisse de appellatione legitima a Sacerdote Englen interposita, et quoad habilitationem ejusdem Sacerdotis ad sæcularia beneficia præ oculis habuisse Decretum *die* 7. *Augusti* 1809. a Gubernio latum occasione suppressionis Monasteriorum, quo statutum fuit, quod = *i Sacerdoti, ed altri ordinati* in Sacris *vestiranno gli abiti da Prete, formeranno parte delCleroSecolare, e potranno concorrere alle porzioni laiche, a beneficii, ed a qualunque carica Ecclesiastica*.

Requisitus quoque Episcopus Hyeracensis ea exposuit, quæ ex Actis Concursus habentur, monuitque, serotinam fuisse appellationem Sacerdotis Englen, quum tantummodo *die* 30. *Julii* 1820. apud Acta Curiæ Metropolitanæ provocaverit, et non ante *diem* 10. *Augusti sequentis* illam Curiæ Hyeracensi notificari institerit, et opportunum obtinuerit Decretum, cujus vigore notificatio die 1. *Septembris* 1820. fuit expleta

Parochus Congiusta juribus suis minime obesse contendit Sententiam *diei* 18. *Maji* 1821., qua desertam appellationem ab ipso ad Apostolicam Sedem interpositam Rheginensis Curia Metropolitana pronuntiavit, cum eo in judicio nunquam citatus, nunquam fuerit auditus, et Sententia nunquam eidem fuerit judiciorum ritu nunciata: eoque certius, quia jam a *die* 27. *Februarii præcedentis* R. P. D. Auditor SSmi Citationem specialem cum inhibitione indulserat, quam illico exhibuisset, si promotam pro declaranda Causæ desertione instantiam novisset. Suum vero fundamentum prædicta Sententia mutuatur a Pragmatica Regni sanctione, quæ terminum *dierum* 50. ad prosequendam appellationem prætinivit; hanc autem Pragmaticam obsolevisse monet Parochus, cum Conventione *anni* 1818. inter Apostolicam Sedem, et utriusque Siciliæ Regem inita, statutum fuerit *Cap.* 31., quod = *Præsens conventio substituitur om-*

nibus Legibus, Ordinationibus, et Decretis in Regno utriusque Siciliæ, circa res Religionis hucusque latis, et in præcedenti *Cap.* 30. hæc habeantur = *Cætera vero res Ecclesiasticas spectantia, quorum nulla mentio in his articulis facta est, dirigentur juxta vigentem Ecclesiæ disciplinam* =. Neminem autem latet *Cap. V. de appellat.* annum vel biennium ex causa ad appellationem prosequendam appellanti fuisse elargitum.

Irritum quoque dicit Parochus Congiusta Decretum *diei 28. Decembris* 1820.; quo Examinatorum a Curia Metropolitana designatorum judicium fuit approbatum post appellandi protestationem jam a *die* 4. emissam, et formalem appellationem *die* 22. *ejusdem Mensis* apud Acta relictam, itemque Decretum *diei* 1. *Decembris prædicti*, quod præfatos Examinatores deputandos statuit, nondum elapso ad appellandum decendio, cum ex *Can. VII. de Appellat.* = *Non solum innovata post appellationem, a definitiva Sententia interjectam, debent semper (exceptis casibus in quibus jura post Sententiam prohibent appellare) ante omnia per Appellationis Judicem, penitus revocari: sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam, et appellationem (quæ postmodum intra decendium interponitur ab eadem) contigit innovari, ac si post appellationem eamdem innovata fuissent* = Inde vero infert, corruente Decreto electionis Examinatorum, nullam prorsus eorum relationi vim esse tribuendam, quia = *cum principalis causa non subsistit, nec ea quidem, quæ sequuntur, locum habent = L. 119. ff. de reg. Jur.*

Omnem proinde controversiam ad Decretum *diei* 30. *Novembris* 1820. revocat Parochus Congiusta, eoque Ecclesiasticas leges a Metropolitana Curia violatas fuisse asserit, cum suæ oppositionis capita, quæ nunc suæ appellationis fundamenta sunt, injuste despexerit. Nam in appellationis Judicio Sacerdos Englen Judici a quo suum provocationis libellum nequaquam obtulit, uti omnino tenebatur *ex Can. cum debitas* 59. *de appell. Speculator tit. de Appellationibus §. Nunc dicamus. num.* 10. *Barbosa Cap. ultimo num.* 17. *eod. tit.*, *Pirhing. ibidem num.* 83., ac præterea

intra

intra 30. *dierum* curriculum Apostolos petere debuisset *Cap. 6. de appellat. in 6.*

Illud vero in primis perpendendum proponit Parochus Congiusta, nimium serotinam, ideoque prorsus inanem, fuisse appellationem Sacerdotis Englen adversus relationem Hyeracensium Examinatorum, et Hyeracensis Antistitis judicium, quæ omnia *ad diem 23. Martii* 1820. pertinent, et eadem die inter acta illius Cancellariæ fuere relata; Sacerdos autem Englen *die 30. Julii ejusdem anni* apud Curiam Metropolitanam appellavit, cum intra decem dies appellare debuisset *Cap. concertationes 8. de appellat. in 6. et Auth. hodie C. eodem tit.*, secus ejusdem appellatio nequaquam erat admittenda juxta celebrem Encyclicam hujus Sac: Congregationis, quam confirmavit S. M. Benedictus XIV: sua Constitutione *diei* 14. *Decembris* 1742. incipien. *Cum illud*, ubi expresse jussit, quod *non admittatur appellatio, aut a mala Examinatorum relatione, aut ab irrationabili judicio Episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.*

Addit Parochus Congiusta, exploratum in Jure esse, sæcularia beneficia sæcularibus, et regularia regularibus esse conferenda *Cap. cum ad nostram 37. et Cap. Officii 38 de Electionibus, Concil. Tridentin sess.* 14. *cap.* 10. *de reform. sess.* 25. *cap.* 21. *de regular: Garzia de Beneficiis part.* 7. *cap.* 10. *num.* 20. vetitumque regularibus esse absque speciali Apostolico Indulto Parochiales Ecclesias retinere *Cap. Monachi. de statu Monacor.* Itaque Sacerdotem Englen, qui Regularis est in Ordine S. Dominici professus, incapacem fuisse dicit obtinendi Parochialem Ecclesiam S. Nicolai ex Aliph, neque vera ad Concursum fuisse admissum si, *et quatenus sæcularizationis, et habilitationis ad Beneficia gratiam a S. Sede obtinuisse docuerit.* Id autem nunquam docuit idem Sacerdos: quidquid enim sit an Rescriptum Sacræ Congregationis Episcoporum, et Regularium veram, ac perpetuam sæcularizationem importet, cum *die* 5. *Maji* 1820., ideoque longe post habitum Concursum fuerit impetratum, capacitas postea superventa nullo in pretio haberi poterat ad regulam, de qua *Vivian. de Jurepatr. part. 2. lib. 6. cap. 8. num. 49,*, *Rota cor.*

 Bich.

Bich decis. 313. *num* 3., *et in Albanen. Capellaniæ* 9. *Decembris* 1822. §. 5. *cor. Me.* Præsertim cum Episcopus non de capacitate obtinenda, sed de habilitatione, quam a S. Sede *obtinuisse docuerit*, expressam ei legem dixerit: cumque superaccedens qualitas nunquam attendatur detrimento alterius, cui sit jus quæsitum, *Rota in Melevitana Commendæ de Astros* 25. *Januarii* 1734. §. 5. *cor. Vicecomite, et in citat' Albanen. Capellaniæ* §. 5. *cor. Me*

Quin Sacerdotis Englen capacitas a Decreto *diei* 7. *Augusti* 1809., tempore Gallicæ occupationis lato, repeti valeat: habilitationem enim a *S. Sede* indultam requisivit Episcopus, et illius luctuosissimi temporis leges antiquavit, penitusque delevit religio, ac pietas legitimi Principis, accedente conventione *anno* 1818. cum Apostolica Sede inita, de qua superius habita est mentio. Concludit itaque Parochus Congiusta, nullam assumendam esse indaginem Actorum Concursus, præsertim cum authographa non fuerint transmissa, et exemplo, quamvis authentico, minime fidendum asserat: quia scilicet nullum ex Concursu jus quæsitum fuit Sacerdoti Englen, ipse imo uti prorsus a Concursu absens est habendus, adeout ne provocare quidem ei licuerit a relatione Examinatorum, et a justissimo Episcopi Hyeracensis judicio, qui Parœciam eidem Congiusta adscripsit.

Verum Sacerdos Englen incapacitatem ad Beneficia, et animarum curam sibi nullo modo metuendam esse arbitratur, cum vigore memorati Decreti *diei* 7. *Augusti* 1809. a Hyeracensi Episcopo Œconomus Curatus controversæ Parœciæ S. Nicolai ex Aliph, ac deinde etiam Parœciæ S. Anastasiæ fuerit deputatus, atque hujusmodi munus per aliquod tempus exercuerit; cumque non rescripto tantum *diei* 5. *Maji* 1820., sed duobus aliis posterioribus Rescriptis *dierum* 31. *Januarii* 1823. *et* 24. *Jan. labentis anni* 1824. perpetuam sæcularizationem, et completissimam ad quælibet etiam curata Beneficia obtinenda habilitationem a S. Sede sibi indulgeri obtinuerit. Suam imo capacitatem apprime exploratam fuisse dicit eidem Episcopo Hyeracen., qui secus ipsum vel ad concursum, et casuum resolutionem non admisisset, vel certe de aliorum concur-

currentium responsionibus tantummodo scrutinium instituisset.

Negat autem, serotinam dici posse appellationem a se interpositam a Decreto *diei 23. Martii 1820.*, cum jura, quæ appellationem intra decendium interponendam præcipiunt, ad judicia, et formalem processum pertineant, non vero ad extrajudicialem processum et pronunciationem, ad quam Actorum classem referri debent relatio Examinatorum, et Episcopi electio post concursum: atque ad has pertinere asserit regulam, quod Sacri Canones *extra judicium passim* appellare permittunt, nec solent hujusmodi dici appellationes, sed provocationes ad causam, *Cap. 5. de Appellat.*

Cæterum si memoratum Decretum uti judiciale haberi vellet, *decendium* ad appellandum a die tantum scientiæ Decreti esset numerandum; cumque eidem Decretum numquam fuerit intimatum, terminus nunquam esset elapsus, et adhuc penderet, *Cap. Concertationes 8. de appell. in 6.*

Plura deinum affert Sacerdos Englen monumenta gravissima, quibus vitæ suæ rationem laudabilem, ac omnibus probatissimam jugiter fuisse, ac esse evincat, Magistratibus præsertim, cum a Regio Aerario annuam pensionem percipiat, quæ iis tantum persolvitur, quibus post severissimum scrutinium nulla censoria nota inuri potuit, ac Hyeracensi Antistiti, qui ipsum ad audiendas confessiones fidelium, ad animarum curam, ad prædicandum Dei Evangelium elegit; nec non aliis Episcopis, qui eum ad sacras conciones celeberrimis in Ecclesiis habendas designarunt, quas ita habuit, ut eximii Concionatoris laudem, ac famam sit adeptus. Inde vero concludit, nihil esse posse præclarius, quam undique justissimam esse propositam de mala Examinatorum relatione, ac de irrationabili Hyeracensis Episcopi judicio querelam.

Si præjudiciales exceptiones, de quibus omnis est contentio inter Sacerdotem Englen, et Parochum Congiusta, nihili faciendas, et Examinatorum relationes ad trutinam revocandas esse, EE. VV. censeant; decernere dignentur, an imperanda sit transmissio originalium Actorum Concursus, quorum exemplum, authen-

authenticum tamen, fuit a Metropolitana Rheginensi Curia transmissum.

Proponuntur autem dirimenda

Dubia

I. *An legitime appellaverit Sacerdos Englen, itaut locus fuerit revisioni actorum Concursus in casu etc.*

Et quatenus affirmative

II. *An sint trasportanda originalia Acta Concursus in casu etc.*

Die Sabathi 14. Augusti 1824. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

TRANEN. REDUCTIONIS, ET COMMUTATIONIS. *Sess. 25 cap. 4. de reform.*

Dubia

I. *An, et quomodo sit concedenda Missarum reductio in casu etc.*
II. *An Anniversariorum celebratio sit committenda Capitularibus, qui per Turnum inserviunt Ecclesiæ S. Mariæ Græcæ in casu etc.*
III. *An, et quomodo sit concedenda translatio Missarum in casu etc.*

Ad I., II., et III. Negative in omnibus.

HYERACEN., ET RHEGINEN. CONCURSUS. *Sess. 24. cap. 18. de reform.*

Dubia

I. *An legitime appellaverit Sacerdos Englen, itaut locus fuerit revisioni Actorum Concursus in casu etc.*
Et quatenus affirmative
II. *An sint trasportanda originalia Acta Concursus in casu etc.*

Ad I. Negative in omnibus.
Ad II. Provisum in primo.

IN-

Sess. 24 cap. 14. de reformat.

INTERAMNEN OPTIONIS. Prostat hujus Causæ series in Folio *diei* 26. *superioris mensis Junii*; tunc enim propositum fuit Dubium: *An sustineatur optio* delle Volanti *in casu etc.* quum vero R. P. D. Gregorius Fabrizj, typis jam edito Folio, supplicem obtulerit libellum, quo dilationem efflagitabat, E.mi Patres rescribendum duxerunt: *Dilata ad sequentem*; sed ob aliarum controversarum gravitatem ad hanc usque diem protracta est nova controversiæ propositio.

Nihil mihi Partes, quamvis opportune monitæ, interim exhibuere; hinc ea tantum referam, ac perpendenda proponam, quæ Præsul Fabrizj in memorato suo libello attulit. Dignitati Prioratus in Interamnensi Ecclesia Cathedrali se jam nuntium misisse narravit, incoeptamque litem prosequi honoris gratia, atque ut Successori morem gerat. Devium autem esse a veritate dixit, quod de Priore Aloysio Federici Interamnense Capitulum affirmavit; ipsum scilicet novas *die* 22. *Julii* 1801. impetrasse Apostolicas Litteras; quibus optioni derogabatur *delle Volanti*: protulitque attestationem a Substituto Officii Vacationum per obitum Datariæ Apostolicæ exaratam, ex qua colligitur, quod Prior Federici, *quia in Litteris Apostolicis desuper expeditis per errorem expressit, quod dicti Prioratus fructus certi valorem annuum* 24., *et cum distributionibus* 100. *scutorum non excedebant; cum revera fructus certi hujusmodi ad* 55. *scuta, et julios* 7. *cum dimidio annuatim ascendant: ideo obtinuit gratiam perinde valere*. Exploratum vero exinde putat Præsul Fabrizj, ad unam impediendam Prioratus impetrationem ob verum non expressum valorem, secundum ea, quæ in *Reg.* 55. Cancellariæ præscribuntur, iteratas ab ejus Antecessore expeditas fuisse Apostolicas Bullas; atque ideo Priorem Federici non vigore derogationis optioni, sed ex juris tantum dispositione, atque etiam ex consuetudine in Capitulo Interamnensi legitime introducta, easdem obtinuisse *Volanti*, quas Priores Dammi, et Nicoletti antea possederant.

Asseruit denique, Priorem Federici ex hac vita migrasse *die* 27. *Septembris* 1821., ac proinde optionem

die

die 6. *Januarii* sequentis anni 1822., utpote jam elapso tempore a jure præstituto expletam, nullius fuisse roboris. Quamvis enim *in Cap. Cum in tua ult. de consuet. in* 6. consuetudo probetur optandi meliores præbendas; statuitur tamen, ut intra *viginti dies* executioni optio mandetur; quod firmant etiam *Gonzal. ad Reg.* 8. *Cancell. gloss.* 34. *num.* 75., *Barbosa de Canon. cap.* 30. *num.* 5., *Moneta de Option. cap.* 6. *num.* 1. Effluxo autem termino ad optandum a Sacris Canonibus præfixo, (ita disserit Præsul Fabrizj) jus quoque optandi pro ea vice penitus evanescere, et ad Superiorem libera provisio devolvi omnino debet, instar Beneficiorum collationis, quæ elapso tempore ad præsentandum, vel conferendum statuto, libere ad Superiorem pertinet, *Cap. Licet. De suppl. neglig.*, et *Cap. Quia diversitatem De concess. Præbend.* ibique *Gonzalez. num.* 7., atque ita negligens pro ea vice privatur sua facultate, ut etiamsi Superior jure devolutionis non contulerit, negligenti non liceat purgare moram, nec in integrum restitutionem petere, ceu docent *Abbas*, et *Imola apud Fagn. in Cap. Nulla. num.* 26. *De concess. præbend.*

Animadvertendum est tamen, quod *in* Comitiis *diei* 26. *Junii prox. præt.* Interamnense Capitulum tum ex Statutis *anni* 1644. a Delegato Apostolico conditis, tum ex consuetudine, integrum semper sibi fuisse contendit jus in vacationibus optandi portiones Priorum: quæ quidem si EE. VV. explorata, certaque essent, Præsul Fabrizj uno niteretur exemplo Prioris Federici, qui sine optione partes terrarum, sive *Volanti* sui Antecessoris *anno* 1801. obtinuit. Videant autem Emi Patres, utrum hoc exemplum tanti sit, ut Statutis, et consuetudini derogare, aut saltem hanc interrumpere potuerit. Sane jus optandi inter actus facultativos recensetur; quod si semel omittatur, neque Lex tollitur, neque consuetudo intervertitur: idque cum semper obtinet, tum præcipue in themate, quoniam triennio post, scilicet *anno* 1804. Capitulares accesserunt Constitutiones, quæ optionem quarumcumque portionum *Volanti* aperte decreverunt, nullumque expertæ sunt contradictorem.

Testatur quidem Officialis Datariæ novas expeditas fuisse Apostolicas Litteras, ut error certi reditus Prioratus emendaretur; sed non inde apparet, eas tantummodo ad Prioratus impetrationem evadendam fuisse petitas. Fieri etiam potuit, ut Capitulum arbitraretur Sedem Apostolicam, nova Bullarum expeditione cum augmento reditus, Priori Federici concessisse pinguiores *Volanti* ab Antecessore Nicoletti possessas, sicque optioni derogasse. Inde vero consequeretur, Capitulum errore deceptum ab optione abstinuisse: ex errore autem nulla invehi potest consuetudo, quæ legem abroget, aut existentem consuetudinem intervertat, *Gloss. fin. in cap. ult. De consuet.*, *Reiffenst. lib. 1. Decret. tit. 4. num. 126.*, *et S. Cong. in Verulana Stalli 20. Septembris 1823. §. Negant.*

Perpendendum est quoque, an revera Capitulum *anno* 1822. extra legitimum tempus optionem expleverit. Optio siquidem ad præscripta *in Cap. Cum in tua. De consuetud. in 6.* peragenda est intra viginti dies; verum ibi agitur de præbendis, seu de titulis Canonicalibus: in præsenti vero casu de optione disputatur terrarum, quæ ideo *Volanti* appellantur, quia præbendæ vocari nequeunt, cum sint prædiola singulis præbendis assignata, et præbendalia potius dicenda, eo quod in mera, et nuda consistant temporalitate, *Lotter. de re Benef. lib. 1. quæst. 19. num 14.*, *Pilon. in addit. ad discept. 10. num. 11.* Quamobrem si dispositio citat. Capitis *Cum in tua* optioni prædictarum terrarum accommodaretur, fieret quædam Legis extensio de casu ad casum: Leges autem, privationem, et pœnam afferentes, odiosæ censentur, *Reiffenst. num. 2. ad reg. 15. Jur. in. 6.*, *Sanchez de matrim. disput. 1. num. 5.*, et ideo stricte sunt interpretandæ, *cit. Reg. 15. Juris in 6.*, neque vel ex ipsa identitate rationis de casu ad casum sunt extendendæ, *Tiraqu. de retract. in præfat. num. 62.*, *Barbosa ad eamd. Reg. 15. Juris in 6. num. 6.*

Præterea si die 27. Septembris 1821 obiit Prior Federici, viginti dierum terminus effluxisse non videtur legitime impeditis; ut de electione expresse cautum legitur in *Capit. Ne pro defectu. De election*, et de optione Præbendarum sentiunt, *Moneta loc. citat.*

cap.

capit. 6. num. 39., *et Barbosa in capit. ult. de consuet. in 6. n. 37.* Capitulum vero Interamnense juste impeditum fuisse optionem intra legitimum temspus exequendi, facile suadere potest ignorantia terrarum, quæ ad portiones, seu *Volanti* a defuncto Priore Federici possessas pertinerent. Revera hac de causa *anno* 1801. optionem relate ad easdem prorogandam esse in Capitularibus Comitiis Canonici expresse statuerunt.

Quæ vero pro beneficiis conferendis quoad tempus a sacris Canonibus decreta sunt, optioni *delle Volanti* minus recte aptari videntur. Nam elapso tempore ad conferendum, vel eligendum, ipso quidem jure collatio, vel electio ad superiorem devolvitur; id tamen sancitum fuit, *ne pro defectu Pastoris gregem Dominicum lupus rapax invadat: aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave dispendium patiatur*, uti loquitur Innocentius III *in Cap. 41. De elect.* Nullum dispendium Ecclesiæ, nullum servitio chori detrimentum obvenit ex prorogatione optionis portionum *Volanti*; ac proinde non adeo severe in hujusmodi optione, ut in collatione Beneficiorum procedendum videtur, ut post lapsum viginti dierum, re adhuc integra, optio fieri nequeat; multoque minus rescindenda sit jam peracta, præsertim cum Præsuli Fabrizj in Bullis Apostolicis assignatæ fuerint *le Volanti*, a Canonicis per optionem dimissæ.

Cætera EE. PP. habent in Folio *diei 26. Junii mox elapsi*, quod resumere precor, ut, qua juris præstant prudentia, dirimere possint, quod iterum proponitur

Dubium

An sustineatur optio delle Volanti *in casu etc.*

Affirmative.

LAURETANA MATRIMONII SUPER EXPENSIS. = Lite super validitate Matrimonii inter Joannem Baptistam Riccardi, ac Theresiam Bellini initi, in hoc Sacro Ordine pendente, instetit Mulier coram R.P.D. Auditore SSmi, ut ei aliquam decerneret summam pro alimentis, et pro sumptibus litis a Viro, et a Vincentio Riccardi ejus Patre præstandam: obtinuitque *die 17. Septembris* 1822. Causam, et Causas remitti *ad S. Congregationem Concilii, coram qua mandavit, partes uti juribus suis etiam super prætensis alimentis, et sumptibus litis.*

Sess. 24. Cap. 1. de Reformat.

De alimentorum subministratione disputatum fuit in Comitiis *diei 31. proxime præteriti Januarii* sub Dubio *An, et in qua summa, et a quo tempore sit locus subministrationi alimentorum in casu etc.*, rescriptumque prodiit *die* 21. insequentis mensis Februarii: *Affirmative pro summa scut. viginti quinque quolibet mense a die motæ litis*. Instaurato autem certamimine *die 26. Junii* responsum fuit: *In decisis juxta modum, nempe pro scutis decem quolibet mense.*

Nunc super expensarum refectione instituitur quæstio. Jura sua deduxit Mulier, prout in Allegatione distribuenda; Vir autem, quamvis hanc diem adstantibus utriusque partis Defensoribus certamini decreverim, nihil hactenus exhibuit.

Theresiæ Bellini Defensor reficiendos esse contendit pro summa in posterum liquidanda sumptus omnes judiciales, et extrajudiciales, quos Theresia sive penes curiam Ecclesiasticam Laureti, sive coram R. P. D. Auditore SSmi, sive in hac Sacra Congregatione pro obtinenda alimentorum assignatione subire coacta est. Animadvertit enim, nihil esse in jure notius, quam victum in expensas victori esse condemnandum, *L. Properandum. §. Sive autem alterutrum. Cod. de judic.*, *L. Eum quem temere ff. eod.*, *Rota cor. Lancetta decis.* 1299. *n.* 1.; Theresiam vero, e judicio victricem semper discessisse dicit, ac propterea impensas omnes eidem rependere oportere.

Fieri autem non posse autumat, ut Emi Patres in summa pro alimentis assignata tot sumptus litis comprehendere voluerint. Quamvis enim decreto R. P. D.

Au-

Auditoris SS.mi huic Sacro Senatui commissa fuerit causæ cognitio super alimentis, et sumptibus litis, hactenus tamen juxta propositum Dubium, actum non est, nisi de præstatione alimentorum, quorum nomine impensæ litis minime continentur.

Nec Theresiæ officere putat, quod in alimentorum definitione condemnatio in expensas addita non fuerit. Cum enim de sumptuum refectione actio in S. Congregatione non fuerit instituta, nil mirum quod nulla de eisdem fiat mentio. Nec prætereundum, ait, hujusmodi impensas non tam officio Judicis, quam jure actionis deberi, atque ideo semper peti posse *ad Textum in L. Mulier §. Si rem, ubi Gloss. in verbo fortassis. ff. De Legat. 3.*, et firmat *Ridolphin. in prax. judiciar. part. 1. Cap. 13. n. 606.*

Postremo addit, sumptus omnes esse reficiendos, nec rationem habendam, quod alimenta, in Comitiis *diei 21. Februarii* in scutis viginti quinque decreta, *die 26. Junii* ad scuta decem fuerint coercita, quoniam ex hac alimentorum imminutione minime sequitur, Mulierem non plenam consecutam fuisse victoriam. Theresia enim alimentorum subministrationem in genere petiit, summamque constituendam hujus S. Ordinis prudentiæ remisit. Quum vero S. Congregatio alimenta suppeditanda semel, atque iterum decreverit, jure dici nequit Theresiam causa decidisse. Præterea, imminutionem illam tribuendam dicit Adversariorum culpæ, qui, nihil omnino Mulieri deberi contendentes, nec statum patrimonii ediderunt, nec vadimonium servarunt; quæ si initio litis præstitissent, Causa suo in exordio esset absoluta.

Dirimendum itaque proponitur.

Dubium

An, et quomodo sit locus refectioni expensarum judicialium, et extrajudicialium in casu etc.

Affirmative, et esse locum refectioni expensarum judicialium, et extrajudicialium factarum in causa super alimentis, et ad D. Secretarium pro taxatione, et ad mentem.

PA-

Sess. 25. Cap. 20. de Reform.

PATAVINA ORATORII = Comes Hieronymus Dotto Dauli Patritius Patavinus *anno* 1744. Oratorium, rusticanæ suæ habitationi adhærens, ædificari curavit, ac S. Vincentio Ferrerio dicari intra limites Parœciæ S. Thomæ Apostoli de Albignasico in Diœcesi Patavina. Situm est Oratorium prope viam publicam, quæ ad Parœciam ducit, a qua unico lapide circiter distat. Oratorio cubiculum est adnexum, in quo sacra supellex servatur, ac præter januam pro adeundo cubiculo extat in Oratorio parva fenestra, quam ideo apertam fuisse patet, ut Familia Dotto Dauli, a cæteris in Oratorium confluentibus segregata, Sacrum audire posset.

Fundatori Oratorii successit jure hæreditario nobilis Familia Patavina de Rivo, quæ deinde Fundum, et rusticanam Domum villico Petro Voltan vendidit, ad quem idcirco et Oratorium transiit. Nuper autem Sacerdos Joseph Bianchi, Rector prædictæ Parœciæ de Albignasico, ob cubiculum Oratorio adnexum, quod ipse triclinium cum camino dicit, ob imminutam pro medietate amplitudinem viæ (medietas enim alia a Petro culta fuit, ac sata ad trifolium) ob appositum denique septum ligneum, vulgo *Sbarra*, prope Oratorium: ab hac Sac. Congregatione definiri petiit, utrum idem Oratorium habendum sit publicum, vel privatum; et quatenus publicum censeatur, utrum janua, et fenestra sint claudendæ.

Requisivi Patavinum Episcopum pro Informatione, et Voto, ut auditis interesse habentibus, et perquisitis Cancellariæ Episcopalis, et Ecclesiæ Parochialis Libris, ac SS. Visitationum Decretis, referret, an in ædificatione Oratorii permissa fuerit Missæ celebratio, et aperitio fenestræ, et an adsit scandalum in populo, et divinis impedimentum.

Episcopus ita respondit = *Per incominciare dalle fatte ispezioni, assoggettare deve il Vescovo di Padova la verità incontrastabile, che il predetto Oratorio, dedicato a S. Vincenzo Ferrerio, è posto nella Parrocchia suburbana di Albignasego sopra una pubblica strada, che conduce alla Parrocchia stessa, da cui è distan-*

te un miglio all' incirca, questa strada di sua natura pubblica lo fu sempre; nondimeno essendo d' inutile soverchia grandezza, dai conterminanti colla stessa ne venne convertita una porzione ad uso di Prato, e da stecconata difesa, onde non sia calpestato dai Passaggieri il prodotto lungo la detta via, esistendo però libero il transito per la strada stessa fino all' Oratorio non solo ai pedoni, ma per ogni Vettura, da cui ritiene la qualità di vera strada pubblica, e che a pubblico luogo conduce.

L' Oratorio costrutto nella forma, ed a tenore delle Sinodali Costituzioni, non ha mai presentato, nè presenta motivo di osservazione per relativa, e dovuta riforma: non vi è in fatto contiguo il triclinio, mentovato nell' istanza dal Rev. Bianchi, Parroco di Albignasego, ma una stanza bensì vi si trova destinata all' oggetto di conservare le sacre suppellettili, inservienti a quell' Oratorio per la celebrazione della S. Messa; e se in questa stanza vi si rimarcano le antiche vestigia di un camino ad uso di scaldatojo, questo venne di già demolito, e forse allora, che dagli antichi nobili Padroni venne nell' anno 1744. *eretto quel sacro luogo, nè quella Camera serve adesso a verun altro uso, che per detto Oratorio.*

Ugualmente fino dalla prima costruzione dello stesso Oratorio esisteva la Porta, che colla contigua abitazione comunica, ed altresì una fenestra per comodo di que' di Famiglia, che ascoltavano la S. Messa separati dalla moltitudine; l' una, e l' altra ab ipso fundationis exordio *fu certamente permessa dal Vescovo d' allora, e perchè la porta comunica con stanza addetta all' Oratorio, separata questa dai luoghi inservienti ai domestici usi; e perchè il prospetto privato non pregiudica menomamente la decenza dovuta al luogo sacro, nè somministra occasione alcuna di scandalo, oggetti pei quali soltanto vietata viene tale servitù degli Oratorj.*

La celebrazione poi della Santa Messa fu sempre in esso Oratorio permessa (sebbene non sempre esercitata), e questo Oratorio nello stato, ed essere, che si trova presentemente, fu allora fin dalla sua erezione mu-

munito d' approvazione Canonica, e d' indi in poi confermata con approvazione stessa, come lo provano, e la facoltà concessa dal Vicario Generale del Vescovo di Padova Carlo Cardinale Rezzonico, poi Sommo Pontefice di felice ricordanza Clemente XIII., come dal mandato 15. Giugno 1744., e la visita fatta di sua commissione li 13. Aprile 1747., come pure l' altra rinnovata li 8. Ottobre 1781. dal Vescovo di Padova Nicolò Antonio Giustiniani . . . . prova, che quel Oratorio venne ognor riconosciuto decente, pubblico in ogni sua parte, e confermato a tenore delle Ecclesiastiche disposizioni.

In base di queste precedenti ricognizioni, e per quanto appunto venne esaminato, e riconosciuto, ottenne il detto Oratorio anco nell' ultima Visita dall' odierno scrivente Vescovo fatta, la sua approvaziane; affinchè nel medesimo possa essere continuata la celebrazione della S. Messa, riconosciuta tanto più in adesso necessaria, perchè inserviente agli abitanti non solo della Parrocchia d' Albignasego, ma eziandio alle limitrofi di Roncon, e Lion, dalle quali la distanza non solo, ma la perversità delle strade s' uniscono ad impedire, specialmente nella rigida stagione, che molti di quegli Abitanti possino concorrere alle loro Parrocchie per la soddisfazione del precetto, ciò, che fanno mediante questo pubblico Oratorio.

Queste rispettose deduzioni confermano lo scrivente Vescovo nella speranza di ottenere dalla S. Congregazione del Concilio la decisione, che il detto Oratorio sia veramente pubblico, e che possa permettersi in esso la celebrazione della S. Messa, rimosse, e per sempre allontanate le eccezioni del Parroco d' Albignasego, che si ritengono fatte per qualche particolare di lui vista verso il Proprietario Voltan, detto Tacco.

Oratorium, ut dici possit publicum, requiritur quod Canonica, scilicet Ecclesiastica intercedente auctoritate fuerit erectum, et liberum ingressum, et egressum per viam publicam habeat. *Cap. Oratorium. 6., et Cap. de Oratorio. 7. disti. 42., Cap. Quidem. 10. caus. 18. quæst. 2., Cap. Nemo. 7. distin. 1. de. Consec., et Authentica. Ut nullus fabricet Oratorium.* Jam vero Parochus Bianchi non negat quidem, in erectione Ora-

Oratorii auctoritatem Episcopi intercessisse; monet tamen, nunc (quidquid erectionis tempore fuerit) non per publicam, sed per privatam viam ad Oratorium patere aditum, idque ex eo elicit, quod media viæ pars in longum trifolio sata reperiatur. Addit, prope portam ingressus ad Oratorium, viam septam esse lignis, ita ut neque liber accessus, neque Oratorium publicum dici queat. Deinde animadvertit, Missæ celebrationem diebus solemnibus in Oratorio ab Episcopo fuisse prohibitam, cum tamen de jure in Oratoriis publicis Missæ absque ulla reservatione celebrentur.

Quod si publicum haberi velit Oratorium S. Vincentii, contendit Parochus, permitti minime posse januam internam, ac prospectum per fenestram in idem Oratorium. Ecclesia enim non debet habere portam, per quam transitus pateat in Domum contiguam, neque e domo in eam prospectus aperiri, nec aliam habere servitutem passivam, quam nemo illi imponere potest sine Beneplacito Apostolico, ceu totidem verbis admonet *Monacell. part.* 1. *tit.* 6. *Form.* 10. *num.* 17. *et* 18., cui consentiunt *Barbosa in Summa Decis. Apostolic. Collect.* 301. *num.* 16., *Gavant. Manual. Episcoporum verbo Ecclesia num.* 27. Quin aliter sentiendum sit, quia Episcopus in actu fundationis possit conditiones, et leges etiam juri contrarias apponere; nam addit idem *Monacell. ibid* = *Nisi forte in limine fundationis alicui Principi loci domino, aut alii insigni Benefactori, utpote quia una cum Ecclesia erexerit pingue Beneficium Ecclesiasticum cum hac lege habendi prospectum, reservaretur; tunc ne laici a fundationibus retrahantur, cum possit Episcopus leges, ac conditiones etiam juri contrarias admittere, non diceretur aliquid contra jus attentare, sed posset Ecclesiam cum hac lege fundatam valide huic servituti subjicere* = Verum Familia Dotto Dauli, quæ Oratorium erigi curavit, nullum Beneficium in eodem fundavit; et Oratorium, quod ad Patriciam Familiam olim spectabat, nunc ad Villicum transiit.

Prætermittendum nec est, dubitari jure posse, in fundatione Oratorii neque januam, neque fenestram reservatas fuisse. De his enim ne verbum quidem occurrit in visitatione jussu Vicarii Generalis Episcopi Patavini peracta *anno* 1744. ante Oratorii benedictionem a Cano-

nonico Theologo Peregrino Antonio Ferri; constat imo ex eadem visitatione, Oratorium inventum fuisse = *ridotto a perfezione, e fabbricato a norma delle Costituzioni Sinodali* = Nemo sane dixerit, in Constitutionibus Synodalibus quidquam contra jus, et Ecclesiasticam disciplinam fuisse sancitum; quod si in fundatione non fuerit concessa servitus, pluries Sac. Cong. Episcoporum, et Regularium illam imponi Ecclesiæ prohibuit, ac præsertim in *Faventina* 16. *Februarii* 1619., in qua respondit = *Si devono murare le porte, per le quali dalle case contigue si può entrare in Chiesa, non ostante i Padroni siano soliti per lungo tempo tenerle aperte.* = ac deinde 5. *Martii* ejusdem anni quoad fenestras statuit = *Non si permette nè anche a Duchi, ed a Marchesi di aprire fenestre, che corrispondono in Chiesa, per ascoltare da quelle la Messa, ed i Divini Ufficii*: idemque docuit hæc Sac. Congregatio in *Reatina Odei* 21. *Septembris* 1822. *§. Præterea, et seq.*, ac nuper in *Forolivien. Transactionis* 24. *Julii prox. præt.*

Episcopus vero publicum esse Oratorium refert, quia portam habet in publica via, per quam omnibus patet accessus; addi quoque potest Campanulam ab ipsa fundatione appositam fuisse: hæc enim duo simul juncta, nempe Campana, et porta publica suppeditant invictam publicitatis Oratorii demontrationem, uti cum aliis tradit *Amostaz. de Caus. piis Lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 12. *et seq.* Quin obsit ligneum septum, vulgo *Sbarra*; quandoquidem Episcopo teste sationem trifolii tuetur, sed liberum ad Oratorium accessum non impedit, ipsa imo satio trifolii ad viæ medietatem in longum coercita, et septum recenter adjectum aperte pandunt, utrumque arbitrarie gestum fuisse, nihil tamen antiquæ publicitati viæ detrahere potuisse. Profecto cum via antiquitus publica esset, Prædium, et Oratorium ita ad Familiam de Rivo, et ad Petrum Voltan transierunt, prout erant penes Oratorii Fundatorem Comitem Dotto Dauli: hinc nil mirum, si tum in mox indicata Visitatione *anni* 1744., tum in sacris Visitationibus *annorum* 1747. *et* 1781. Oratorium perpetuo *publicum* nuncupatur. Missæ autem reservatio in diebus solemnibus, nec nova, nec insueta est, pluribusque in locis a Legibus Synodalibus promanat, neque argumentum præbet ad negandam Oratorii publicitatem, quamvis publica Oratoria ad Missas quibusvis etiam solemnibus diebus celebrandas extruantur.

Quoad

Quoad servitutes vero januæ, et fenestræ, de quibus late disserit in sua Informatione Episcopus, id tantummodo ad tendum videtur, januam necessariam esse, ut accessus habeatur ad cubiculum, in quo sacra supellex asservatur: Episcopum Justiniani in Sac. Visitatione *anni* 1781. omnia invenisse *ad formam*; tunc autem et januam, et fenestram procul dubio extitisse: denique minime constare, quo tempore post Oratorii ædificationem utraque aperta fuerit, omnia imo rerum adjuncta suadere, utramque esse Oratorii fundationi coævam. Inde vero inferendum videtur, aut hujusmodi servitutes *anno* 1744. in ipso fundationis actu fuisse impositas, et ab Ecclesiastica auctoritate approbatas, aut diuturno temporis fere octuagenarii lapsu fuisse præscriptas, cum ad eas præscribendas anni quadraginta sufficiant. *Cap. de quarta* 4, *Cap. ad aures* 6., *Cap. Illud autem* 8., *et Cap. Quia judicante* 9. *de Præscript.*, et concordat *Authentica Quas actiones Cod. de Sacrosanctis Ecclesiis.*, *Ferrar. verb. Præscriptio num* 15. *et Gonzalez ad Reg.* 7. *Cancell. Gloss.* 7. *num.* 8., *et* 25.

Itaque dignentur EE. PP. dirimere.

Dubia

I. *An Oratorium publicum sit in casu etc.*

Et quatenus affirmative

II. *An janua, et fenestra in Oratorio apertæ sint claudendæ in casu etc.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative, et Episcopus curet stabilem fenestræ infigi ferream cratem.

* * *

Sess. 25. *Cap* 4. *de Reformat*

FERETRANA. Universitas Petræ Rubræ, administratrix Bonorum Ecclesiæ S. Lazari, sitæ in solo Lateranensi, et in Feretrana Diœcesi, cum ob tenuitatem redituum, qui ad tributorum solutionem, et Ecclesiæ manutentionem vix satis esse possunt, impleri nequeat onus *Missarum* 52., quo indicata Bona gravantur, Sac. hanc Congregationem exoravit, ut perpetuam absolutionem, seu ab hujusmodi onere Missarum liberationem indulgere dignaretur. Verum *die* 22. *Martii* 1823. rescriptum prodiit = *Quoad abolitionem Le-*

ctum : in reliquis vero Emo Archipresbytero, qui inspectis singulis fundationibus dignetur S. Congregationem instruere, et votum suum aperire, auditis omnibus interesse habentibus, nec non transmisso statu activo, ac passivo Ecclesiæ, referre de annuo reditu, et oneribus cujuslibet Legati pii Missarum adimplemento quoad præteritum, eleemosyna vere necessaria, legitima causa reductionis, an adsint expensæ reformandæ, vel sint, qui teneantur ad supplementum, et de tempore necessario =

Eminentissimus Archipresbyter, auditis reapse interesse habentibus, ac transmissis tam statu activo, et passivo, quam Feretrani Vicarii Lateranensis relatione, ita respondit = *Breviter dicam : fundationes licet diligenter perquisitæ adhuc latent ; nec ab iis, quorum interest, quidquam discere potui. Collato statu activo cum passivo, annuus Ecclesiæ reditus ad summam ascendit scutorum* 6. 10. 5., *exitus vero summam saltem exigit scut.* 14. 61. 6., *nec ulla se offert spes, vel primum auctum, vel alterum reformatum iri ; quandoquidem miserrimum Ecclesiæ Patrimonium nullam exhibet rationem augendi meliori administratione annuum reditum, et expensæ, quæ in statu passivo notantur, sunt omnino necessariæ. Eo res perducta esse videtur, ut ni Fidelium pietas, vel publicum Ærarium opem ferat, potius cogitandum sit sine scandalo de claudenda Ecclesia, quam de piis legatis implendis.*

Tam gravis inopiæ causas indicat in sua relatione Feretranus Vicarius Lateranensis his verbis = *Desumo la prima dalla natura dei terreni montuosi, i quali generalmente soggiacciono agli slami, che portano via il fiore della superficie, e rimangono li campi scoglio nudo ; e da ciò ne viene, che i beni di questo luogo pio, i quali si trovano estimati nel pubblico Catastro in scudi* 403. 46, *sù di cui si pagano le tasse, il loro valore reale depurato dalle medesime non eccede gli scudi* 77. 32. 5. *La seconda deriva dall' abolizione del privilegio de' Beni di prima erezione, esenti una volta dalle Tasse Camerali, e Comunali. Mi piace di aggiungere la terza della cattiva amministrazione degli ultimi Cappellani eletti a vita, gli Eredi de' quali sono decotti.*

Missarum onera, utpote divinum cultum respicientia diligenter servanda, et religiose sunt implenda, neque re-

reductio, aut etiam commutatio conceditur, nisi vera, et necessaria adsit causa, ut ex *Can. Ultima voluntas Caus.* 13. *qu.* 2. statuit *Concil. Triden. Sess.* 22. *cap* 6. *de Reform.*, *et Sac. Congregat. in Romana*, *seu Bononien. Translationis* 8. *Maji* 1819., *et in Ravennaten. Reductionis Missarum* 29. *Maji curren. anni*. Præterea etiam legitima concurrente reductionis causa, si celebrationi Missarum alia conjungantur onera, hæc potius reducenda sunt, quam Missæ, ex quibus defunctorum animæ majus suffragium consequuntur, *Fagnan. in Cap. Ex parte. De constit num.* 34., *Monacell. formul. Legal. Lib* 19. *tit.* 10. *part* 1., *Sac. Congregat. in Lunen. Sarzanen.* 13. *Maji* 1728., *in Derthonen. Reductionis* 19. *Maji* 1787., *et in Romana Reductionis* 8. *Augusti* 1818 §. *Verum.*

Redituum tamen in præsenti casu ea est tenuitas, ut pendendis tributis, et conservandæ Ecclesiæ minime sufficiant: nam reditus vix ascendunt ad annua *scuta* 6. 10. 5.; sumptus vero, qui omnino necessarii sunt, uti affirmat Emus Archipresbyter, comprehensis *Missis* 52 cum eleemosyna obolorum quindecim in singulas celebrandis, ascendunt ad *scuta* 14. 61. 6. Si demantur pro dicta eleemosyna *scuta* 7. 80., facili calculo patebit expensas pertingere ad *scuta* 6. 81. 6., quæ reditus superant. Tanta igitur concurrit et capitalium, et fructuum imminutio, ut non deneganda videatur Missarum reductio, veluti eam similibus in casibus denegare non consuevit hæc Sac. Congregatio, ut *in Romana Commutationis voluntatis* 27. *Februarii* 1734., *in Senogallien. Reductionis* 10. *Maji* 1753., *in Novarien. Reductionis* 23. *Novembris* 1793.

Animadvertendum est autem, onera, quæ Bona Ecclesiæ S. Lazari gravant, ejusmodi esse, ut eorum cessatio, vel certe imminutio sit omnino speranda. Nam exorbitans Fundorum æstimatio certo certius erit in Censualis Codicis reformatione corrigenda; ideoque Fundis verus valor adscribetur, ex quo fiet, ut tributorum excessus tollatur. Nec alia forsan deerunt media, quæ meliorem prædictæ Ecclesiæ conditionem faciant. Itaque evenire facile poterit, ut aliquando reditus Missis, vel majori ex parte, vel in totum celebrandis sufficiant; quamobrem si EE. PP. nunc reductionem concedendam censeant, pro sua sapientia statuant,

tuant, an potius ad tempus, quam in perpetuum sit indulgenda. Proponitur idcirco

Dubium

An, et quomodo concedenda sit reductio Missarum in casu etc.

Affirmative, celebrata unica Missa ad quinquennium, si tamdiu, facto verbo cum SSmo.

Sess.22. cap. 3. de reform.

LUNEN. SARZANEN. INDULTI. Joannes Dominicus de Ragantibus ex Oppido Hortinovi Lunensis Sarzanensis Diœcesis *anno* 1756. perpetuum Collegium duodecim Capellanorum, in Parochiali ejusdem Oppidi Ecclesia Divis Martino, et Laurentio dicata, fundavit, *ut divinas laudes, divinumque officium, necnon Missarum solemnia, cæterasque Ecclesiasticas functiones diu, noctuque, decenti clericali habitu induti, recitare, canere, celebrare, et peragere religiosissime teneantur, prout in Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis fieri solet*. Alter nunc est e Capellanis Sacerdos Pius Franciscus Corsi, qui *anno* 1794. Capellaniam obtinuit, quam sibi in partem præcipuam Patrimonii Sacri constituit. Cum autem Paræcia *di Migliarina*, quæ subsidiaria est Paræciæ Insulæ in memorata Diœcesi, suo careret Pastore, Sacerdos Corsi, volente Episcopo, munus Parochi in eadem obeundum nuper suscepit; ob tenuitatem vero redituum tam Capellaniæ, quam Paræciæ hanc Sac. Congregationem supplex adiit, petiitque = *di essere dispensato dall' obbligo della residenza in Ortonovo, e dalle puntature, potendo essere considerato presente al Coro, anche a tenore del Tridentino Sess. 22. cap. 3. de Reform.*

Rogavi Episcopum pro Informatione, et Voto, ut auditis interesse habentibus, ac præsertim Parocho Ecclesiæ Insulæ, et transmissa fundatione referret = *de annuo reditu, et oneribus Legati pii, onerum, præsertim*

Mis-

Missarum adimplemento, summa ad id vere necessaria, legitima causa absentiæ, deficientia alterius idonei Sacerdotis, et utrum Chori servitium detrimentum sit passurum, et de tempore necessario.

Episcopus, petitioni Sacerdotis Corsi apprime favens, respondit „ Verum omnino esse, Oratori constitutam „ fuisse *anno* 1794. præcipuam portionem Patrimonii „ Ecclesiastici ex bonis a fundatore Dominico Raganti „ legatis pro fundatione cujusdam Collegii in Ecclesia „ Parochiali Hortinovi hujus Diœcesis erigendi, ea „ nempe bona Oratori fuisse constituta, quibus constabat, et constat dos Capellaniæ, qua provisus adhuc ipse extat, ac valoris libellarum Januensium „ 5000. circiter „.

„ Procul dubio positum esse, me coactum fuisse, uti „ Orator exposuit EE. VV. Rmis, ob Confessariorum „ inopiam, alteriusque idonei Curati deficientiam, „ Oratorem Ecclesiæ auxiliari *Migliarina* Curatum constituere, seu potius sic requirente Parocho Insulæ, „ cui supradicta Ecclesia *di Migliarina* subest, in Curatum adprobare, ne ducentum incolæ omni spirituali auxilio, attenta Ecclesiæ principalis Insulæ distantia, destituerentur.

„ Refero insuper, reditum ab Oratore percipiendum ex „ Capellania, qua Hortinovi provisus est, omnibus „ comprehensis, vix ascendere ad libellas 200. monetæ Januensis, ac onera Oratori imposita, uti videre „ est ex fundatione, esse Chori interventum singulis „ diebus ad divinas laudes persolvendas, Missæ, quam „ vocant Conventualem, adsistentiam, Missam cum „ cantu singulis diebus duodenis celebrare, et insuper „ per anni mensem singulis diebus in dicta Ecclesia „ Hortinovi una cum populo summo mane tertiam „ Rosarii B. M. V. partem recitare, ac Sacrum facere, „ ac tandem post Vesperas, Dominica quarta dicti „ mensis, viam Crucis ibi peragere.

„ Certo certius esse, reditum supradictum non sufficere „ hisce temporibus, ut Legati onera adimpleantur, „ sed saltem requiri libellas quadringentas; temporibus tamen anteactis, quum nempe plures extarent „ Hortinovi Sacerdotes, mihi a Viris fide dignis relatum fuit, dicta onera per substitutum adimpleta „ fuis-

„ fuisse mediante annuo stipendio libellarum Januensium 140.

„ Chori servitium ex absentia Oratoris aliquid detrimenti „ passurum esse, EE. VV. referre non prætermitto: „ quum enim a dicto Collegio in præsentiarum quatuor provisi desint, duo nempe legitime ob senectam ætatem exempti, ac duo alii, qui proprium „ munus obire recusant, quique parati videntur dicto „ legato potius quam inservire valedicturi ob reditus „ tenuitatem; procul dubio est, ex absentia Oratoris „ aliquantulum dictum Collegium passurum esse.

„ Hac de causa auditis a me pii Fundatoris successoribus, quibus commendata fuit ab ipso Fundatore „ suæ voluntatis executio, ac dictum Collegium Hortinovi componentibus, responsum dedere, se ipsos „ existimare favendum non esse Oratori, etiam attento ipsius Fundatoris mandato *dicto Collegio inserviendi per se ipsos, et non aliter*. Parochum autem „ (Insulæ) audire non potui, quum a mense Julio „ anni proximi præteriti vacet illa Parochialis Ecclesia, aliosque præter supradictos, interesse hac in re „ habituros non credo extare.

„ Prædictorum autem sententiam attendendam esse minime opinor: certum enim est, me ob Sacerdotum „ ad curam animarum regendam idoneorum inopiam, ob aeris insalubritatem loci supradicti *Migliarina*, ac stipendii perexiguitatem ad libellas Januenses 250. tantum ascendentis, quodque augere „ non valet Parochus Insulæ, eoquod ipsi reditus libellarum 400. vix remaneat, modum, ac rationem „ nescire, alium idoneum Presbyterum hisce temporibus inveniendi, quum insudandum mihi maxime „ sit, Paræcias hujusce Diœcesis, quum vacant, de „ idoneo Rectore providere; ac proinde spero, EE.VV., „ prout enixe easdem rogo, Oratori concessuras esse, „ ut ad decennium saltem abesse possit a personali „ residentia, ac Chori interventu, necnon ut per alium „ oneribus Missæ cum cantu, Missæ lectæ, Rosarii „ recitationis, et Viæ Crucis, satisfacere valeat, ipso „ super cæteris omnino dispensato „.

Manifesta est voluntas Dominici de Ragantibus, qui Capellanis Collegii a se fundati chorale servitium indixit;

xit, prout in Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis fieri solet. At Capellanus Corsi non Indultum tantum non inserviendi Choro certis diebus, et horis, sed aliud poscit Indultum non residendi in loco Beneficii, quod a primo longe differt, uti notant *Fagnan. in Cap. Licet. De Præbend. num.* 11., *et Reiffenst. in Jus Canon. Lib.* 3. *tit.* 4. *De Cleric. non resid. per tot*, quodque difficillime conceditur, ac tantummodo ad breve tempus, et arctissimis cohibitum clausulis. Neque gravissima deest ratio: nam in primo casu Beneficiatus aliquod servitium Ecclesiæ suæ præstare potest, et debet diebus, et horis, quibus non impeditur a munere, cujus intuitu Indultum obtinuit: in secundo vero casu numquam ad Ecclesiam accedere potest, cum longe a residentia maneat, uti egregie perpendit *Sac. Congregatio in Dubiis Indultorum* 6. *Maji* 1820. §. *Notandum*.

Præsidium vero suæ petitioni frustra quærit Capellanus Corsi ex Tridentina Synodo, quæ imo Præbendatis omnibus tum Cathedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum legem dixit, ut ipsis = *non liceat vigore cujuslibet Statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum Constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt* = *Sess* 24 *cap.* 12. *de Reformat*. Favore quidem curæ Animarum eadem Synodus *Sess.* 22. *cap.* 3. sancivit = *Quod si alicui ex dignitatibus in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis . . . extra Civitatem in Diœcesi cura animarum immineat, cui is, qui dignitatem obtinet, incumbere voluerit, tunc pro tempore, quo in curata Ecclesia resederit, ac ministraverit, tanquam præsens sit, ac divinis intersit, in Ecclesiis Cathedralibus, ac Collegiatis habeatur* = At cum Capellaniæ, quam obtinet Sacerdos Corsi, nulla immineat animarum Cura, ad ipsum nullo modo pertinere potest allata sanctio, quam ideo editam fuisse patet, quia cura Animarum Præbendæ inhærens tanquam pars onerum eidem Præbendæ annexorum necessario est habenda.

Audiendus itaque non videtur Capellanus Corsi, cujus absentia, ipsomet fatente Episcopo, detrimentum affert servitio Chori, et cujus petitioni constanter repu-

gnant tum Successores pii Fundatoris, ejusque voluntatis Executores, tum cæteri Capellani, ex quibus Collegium Hortinovi constat. Eoque certius quia præter dispensationem a residentia, exemptionem quoque *dalle puntature* implorat, ideoque fructus suæ Capellaniæ, ac distributiones omnes tam quotidianas, quam eventuales, licet absens, consequi vellet: cum tamen distributiones eventuales ex anniversariis, et exequiis lucrentur tantummodo præsentes, atque ab iis etiam, qui justa de causa absunt, prorsus amittantur. *Fagnan. in Cap. Licet. de Præbend. num. 20., Bened XIV. Instit.* 107. *num.* 58., *Sac. Congregatio in Anagnina Servitii Chori, et distributionum* 20. *Novembris* 1819., *et in Dubiis Indultorum* 6. *Maji* 1820. *§. Indulta*. Accedit, Capellanum Corsi ex munere Parochi, ad quod gerendum in Parochia *di Migliarina* fuit ab Episcopo designatus, emolumentum esse percepturum; atque idcirco ne quotidianas quidem distributiones consequi debere, cum ex constanti Sac. Congregationis praxi iis denegentur, qui a Choro absunt ob munus, ex quo lucrum percipiant, ceu patet ex *Dubiis Indultorum* 6. *Maji* 1820. *§. Nec prætere unda*, et definitum fuit in *Romana Dubia Indultorum* 25. *Maji* 1822.

Verum Episcopus neque Successorum pii Fundatoris, neque cæterorum Collegii Capellanorum contradictionem attendendam esse contendit, ac summam deplorat Sacerdotum ad animarum curam idoneorum inopiam, nec non insalubritatem aeris loci *di Migliarina*, et stipendii perexiguitatem, quibus omnibus se adactum fuisse ostendit ad designandum Capellanum Corsi illius Parœciæ Rectorem, ac orat enixe, ut idem Capellanus *saltem ad decennium abesse possit a personali residentia, et a Chori interventu*, nec non, ut per alium satisfacere possit oneribus *Missæ cum cantu, Missæ lectæ, Rosarii recitationis, et Viæ Crucis*. Justa igitur, ac rationabilis adesse causa videtur, ob quam abesse possit Capellanus Corsi, quoniam Concilium Tridentinum legitimas esse absentiæ causas decrevit *cum christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ utilitas, aliquos non nunquam abesse postulent, et exigant*. = *Ses.* 23. *Cap.* I.

Cap.1. de Reformat., uti perpendit Sac. Congregatio *in citat. Anagnina Servitii Chori*, *et distributionum 20. Novembris* 1819. §. *Antequam*.

Perpendendum est quoque, adeo tenues esse reditus Capellaniæ, ut ad vitam sustentandam Capellano Corsi non sufficiant: hinc cum non desint, qui hoc in casu Præbendatum ad residentiam non teneri tradant, inter quos *Cardinalis Petra ad Constit.Apost.7.,Innoc.III. num.28.*, et monet *Sacra Congreg. in Veliterna indulti* 21. *Septembris* 1818. facilius indultum abessendi concedendum videtur. Emolumentum quidem ex Parœciæ administratione idem Capellanus percipiet, sed quod ad annua *scuta Romana* 37. 50. vix ascendet; cujus proinde intuitu asperum nimis censeri potest, quod fructibus Capellaniæ, vel etiam distributionibus quotidianis privetur: præsertim cum eventuales distributiones sit amissurus, quæ a præsentibus tantum lucrantur, *Piton. Discep. Eccles.* 1. *num.*35., *Scarfanton. ad Ceccoper. lib.*2. *tit.*1. *num.*1., *et seq.*

Itaque dignentur EE. VV. dirimere

Dubium

An, et quomodo concedendum sit Indultum abessendi in casu etc.

Affirmative, attenta necessitate, juxta votum Episcopi ad triennium, facto verbo cum SSmo.

ANCONITANA EMPHYTEUSIS = Sacerdos Cristophorus Beni *anno* 1721. supremas tabulas condens, Beneficium fundavit sub invocatione Beatæ Mariæ Virginis in Cœlum assumptæ in Ecclesia eidem gloriosissimæ Virgini dicata, in loco *Varano* Anconitanæ Diœcesis, ac pro dote tres domos, unam intra moenia, aliasque in suburbio Anconæ sitas, nec non quosdam rusticos Fundos assignavit. Onera vero Be- *Sess.25.cap.11. de Reformat.*

neficiato imposita fuere annua pensitatio *juliorum quatuor* Parochiali Ecclesiæ S. Mariæ Gratiarum, et annuæ *Missæ 200.*, ex quibus quinque die festo Assumptionis Deiparæ Virginis sunt celebrandæ.

Beneficium *anno* 1797. possidebat Antonius Gavotti, qui ut militaribus contributionibus satisfaceret, quas Galli ea loca tunc occupantes indixerant, Angelo Scorpato vendidit = *Le Case, che trovansi situate nel Suburbio Anconitano nella Cura di S. Maria delle Grazie . . . . per la somma di scudi 200., colla condizione però che il riattamento di esse Case sia a peso del Compratore, non già li muri maestri, quali dovranno essere a carico del Venditore, coll'avviso peraltro preventivo da farsi al medesimo, non che la soddisfazione di Messe duecento, ed un canone . . . . al Curato delle dette Grazie, con patto, che sia lecito tanto ad esso (Venditore), che a suoi Eredi, e successori di qualunque sorte di ricomprare le medesime Case, come sopra vendute, nel tempo, e termine di anni dieci da oggi.*

Sacerdoti Gavotti, antequam venditas Domos redimeret defuncto, successit Franciscus Sacerdos Rinaldi, qui *anno* 1802. Beneficii possessionem est adeptus: et infortuniis deinde conflictatus, ac litibus vexatus, æs alienum ad *scuta* 1515. 16. contraxit favore Dominici Vagliani; nempe quoad *scuta* 849. 64. nomine propio, quo vero *ad scuta* 665. 52. Beneficii nomine; ad quod dissolvendum *anno* 1815. rusticos Beneficii Fundos eidem Dominico ad *annos quinquaginta*, intercedente Apostolica Auctoritate locavit. Annua locationis pensio ab omnibus tributis immunis, ac semper integre pendenda, dicta est in *scutis* 80., quorum dimidium in Beneficii oneribus adimplendis esset erogandum, dimidium vero in æris alieni dimissionem imputaretur, adjecta lege, = *che se il Sig. Rinaldi mancasse, senza essersi il Vagliani pienamente ricoperto degli scudi* 849. 64. *nulla più potrà egli pretendere per quello, che mancasse al pieno di detta partita, cosicchè egli azzardi questa somma sulla vita del mentovato Rinaldi* = Conventum quoque fuit, ut meliorationes jam a Conductore Fundis adjectæ, pro quibus *scuta* 181. impenderat, nec non cæteræ in posterum adjiciendæ solo cederent; itemque summa *scutorum* 15. 60., in pe-

pecuLum emptione pro instruendis Prædiis erogata, Beneficio, ejusque Rectori absque ulla compensatione relinqueretur.

Additum quoque in publicis Locationis tabulis fuit = *Potrebbe poi darsi, che il Sig. Domenico . . . . si risolvesse somministrare al Sig. D. Francesco la somma occorrente, per redimere alcune Casette alle Grazie, di pertinenza del medesimo Beneficio, le quali dal defonto Beneficiato Sig. Antonio Gavotti furono nel 1797. vendute col patto di redimere ad Angelo Scorpato per scudi 200. in moneta di rame corrente in quel tempo, lo che sarebbe di un grandissimo vantaggio pel Beneficio, e per i Beneficiati; giacchè in tal guisa potrebbe riacquistare li annui noli di scudi 45., che ora percepisce, e gode il detto Scorpato. E sebbene per essere cadente in una delle dette Casette un muro, vi occorrerebbe per riedificazione di questo, e per altri piccoli ristauri nell'altra, una spesa di circa 80. scudi secondo la perizia fattane da un capo Mastro muratore: una tale spesa però resterebbe compensata dall'aumento, il quale potrebbe farsi dei noli alli tre Inquilini.*

Inde vero nunc orta occasio novi inter Sacerdotem Rinaldi, ac Dominicum Vagliani ineundi contractus; cujus hæc sunt pacta.

1. *Il Sig. Domenico Vagliani si obbliga di ricuperare, e restaurare a tutte sue spese le due Case poste fuori di questa Città nella Parrocchia delle Grazie, appartenenti al suddetto Beneficio, e possedute attualmente da Angelo Scorpato; egualmente si obbliga di restaurare a tutte sue spese nei termini, e modi della quì annessa perizia, senza pretendere alcun indennizzo, l'altra Casa posta in questa Città* (Anconæ scilicet) *Contrada via Capo di Monte, abitata da esso Rinaldi, come spettante al detto Beneficio da lui posseduto, ed oltre le suddette restaurazioni, e ricupera, esso Sig. Vagliani si obbliga per la perpetua conservazione, e manutenzione di tutte tre le suddette Case.*
2. *Tutte tre le suddette Case saranno cedute a totale vantaggio di esso Vagliani, con comprendersi con gli altri beni a lui dati in affitto mercè il suindicato Istromento 2. Settembre 1815.*
3. *Tale affitto, così accresciuto delle suddette tre Case,* sa-

sarà commutato in altro contratto di un'enfiteusi perpetua, mediante nuovo Istromento, in cui s'includeranno gli stessi patti già stipulati per l'affitto, e ogni altro patto, e condizione conveniente a questo nuovo contratto d'enfiteusi.

4. *La corrisposta, che attualmente viene pagata per l'affitto in scudi 80., sarà per questa enfiteusi accresciuta sino a scudi cento.*

5. *L'enfiteuta Sig Vagliani continuerà dalla medesima corrisposta a ritenersi l'annua somma di scudi 40. in compenso del suo credito già contemplato nell' Istromento di affitto, con i patti in esso Istromento stabiliti.*

6. *Non potrà però esso Sig. Vagliani mai, e per alcun titolo pretendere altro diffalco, compenso, o indennizzo di quello come sopra sarà per improntare pei restauri, e ricuperazioni delle summenzionate Case, dovendo ogni spesa restare a suo carico.*

7. *In caso, che esso Sig. Vagliani venisse a discoprire altri beni, e crediti appartenenti al Beneficio, e volesse perciò agire per la ricuperazione, esso Rettore pro tempore, o suoi successori, saranno soltanto tenuti di prestare il loro nome, e somministrare i lumi occorrenti; ma tutte, e singole spese per qualsivoglia titolo, e cagione saranno per occorrere, dovranno essere a carico di detto Sig. Vagliani.*

8. *Bensì quante volte si effettuasse il ricupero di tutti o di parte di questi nuovi Capitali, o crediti; ancor questi s'intenderanno adesso per allora ceduti, e compresi a favore dell' Enfiteuta, e soltanto si dovrà fare la stima del prodotto, metà del quale resterà a vantaggio del detto Enfiteuta Vagliani, e l' altra metà a vantaggio del Beneficio, e Beneficiato pro tempore.*

Beneficii Domum non venditam pro parte locat Beneficiatus, ac annuam pensionem *scut.* 18. exigit; pro parte vero ipsemet inhabitat, et annua *scuta* 15. consequi posset, si eam locaret. Pro restauratione hujus domus *sc.* 320. 60, impendenda esse retulerunt Periti mox elapso *anno* 1823. interrogati, qui præterea in reparandis a Beneficiato domibus a Sacerdote Gavotti alienatis alia *scuta* 65. 30. eroganda esse affirmarunt. Conciliatis autem pactionibus mox indicatis, Sacerdos Rinaldi pro obtinendo Apostolico Beneplacito confugit ad Secretariam Brevium, quæ *die* 12. *Decem-*

bris

bris 1823. rescripsit = *Sanctissimus mandavit, ut res prius discutiatur in Sac. Congregatione Concilii* = Id siquidem pro rei gravitate opportunum fore monnerat Eminentissimus tunc Anconitanus Episcopus, etsi omnibus mature perpensis, præsertim ob Beneficiati inopiam, animi sui sensum ita pandi lerit = *Parmi, che il miglior partito sia quello dell' Enfiteusi perpetua, che propone esso Rettore Rinaldi di eseguire col Sig. Vagliani, mentre meno il tenue prodotto di sc. 18, che perde della Casa, che in parte esso abita, lo che può dargli appena altri sc. 18. valutando per affittabile anche questa porzione, ciò non ostante va egli ad assicurare per se, e suoi Successori un aumento del prodotto, che attualmente ha del Beneficio, oltre altro aumento, che probabilmente può sperare in caso di ricupera di altri Capitali, ed assicura la conservazione perpetua de' medesimi, e la loro migliorazione, il tutto senz' essere obbligato a compromettersi a qualunque benchè minimo dispendio.* =

Nihil notius, quam vetitam esse alienationem Bonorum Ecclesiæ absque legitima causa, et Apostolicæ Sedis Beneplacito, ad *Text. in Extravag. Ambitiosæ. De reb. Eccles. non alien.*; causam vero in necessitate, aut evidenti utilitate consistere, *Cap. ex hoc* 10. *qu.* 2., *Sac. Congregatio in Novarien. Transactionis* 20. *Januarii* 1821. §. *Porro*, *et in Novarien. Beneplaciti Apostolici* 17. *Februarii* 1821. §. *Sacris Canonibus*. De utilitate igitur contractus Emphyteusis est inquirendum; procul dubio vero meliorem evadere Beneficii conditionem ex annui canonis augmento Sacerdos Rinaldi arbitratur. Pensio enim, quæ nunc in locatione ad sc. 80. ascendit, in Emphyteusi ad *centum* porrigitur, ac etiam longe amplior est supputanda, cum ab omnibus oneribus impositis, ac imponendis futura sit prorsus immunis. Domus autem, quam Beneficiatus possidet, vetustate fatiscens, magnis indiget reparationibus, quibus explendis idem Beneficiatus est impar, nec alius præter Dominicum Vagliani invenietur, qui illas perficiendas curet, ob tenuitatem redituum Beneficii, ob diuturnitatem afflictus cum eodem Dominico initi, ob longissimum denique tempus, quo erogatæ pecuniæ restitutionem alius quisque expectare cogeretur.

Beneficium præterea Domos, a Beneficiato Gavotti divenditas recuperaret: quod quidem obtineri nequit sine magna pecuniarum vi, qua caret Beneficiatus

Rinaldi. Ampla demum sterneretur via etiam aliis bonis recuperandis absque ullo Beneficii gravamine, maxima imo cum utilitate ejusdem Beneficii ob canonem hoc in casu augendum. Quæ omnia suadere videntur, contractum Emphyteusis utillimum esse renunciandum, ideoque plenissime approbandum.

Nonnulla tamen contra præfatam Emphyteusis utilitatem sunt adnotanda. Sane pensio, quæ pro locatis ad *annos* 50. rusticis Fundis persolvitur, ad *annua scuta* 80. ascendit: longe tamen amplior est, si cæteræ conductoris obligationes ad calculum revocentur. Conductor enim pro summa *scutorum* 196. 60. meliorationes Fundis jam addidit, quæ in fine affictus cedent Beneficii commodo una cum aliis, quas interea est additurus; cumque Creditor esset Beneficiati pro conspicua quantitate *scut.* 1515. 16.; ejusdem affictus intuitu nil aliud quam annua *sc.* 40. in omnimodam sui crediti extinctionem est depactus. Profecto hæc quantitas, si ad caput *scut.*, 1515. 16. referatur, vix annuum fructum *scut.* 2. 60. in singula centum exhibet: quamobrem Creditor, et sortem liberaliter donasse, et ampliores remisisse fructus dicendus est, quos facile quolibet alio suarum pecuniarum investimento esset assecutus. His omnibus addendum, quod creditor *scuta* 849. 64. incerto sui Debitoris vitæ curriculo commisit: quæ quidem an Dominici Vagliani largitati sint tribuenda; an potius ad reditus referenda sint Bonorum locatorum, quorum valor in censualibus tabulis *ad scuta* 2183. 71. evehitur, EE. PP. pro sua sapientia perpendent.

Omnia tamen Dominici munificentiæ tribuantur: non inde fiet, ut Emphyteusis contractus Beneficio utilis renunciari valeat. Dominicus enim *scuta* 320. 60. impendet pro restauratione domus, quam Beneficiatus inhabitat; domum autem ipsam consequetur, quæ nunc annua *scuta* 33. reddit. Si vero Domos ab Angelo Scorpato detentas recuperabit, eas non tam Beneficio, quam sibi, suisque hæredibus, ac successoribus, vigore Emphyteusis perpetuæ, vindicabit. Locantur autem eæ Domus pro annuis *scutis* 45., pro illarum vero reparationibus impendenda dicebantur *scuta* 80.; quæ ope novæ Peritorum relationis ad *scuta* 63. 30. sunt redacta; atque hæc impensa = *resterebbe compensata dall'aumento, il quale potrebbe farsi dei noli dei tre Inquilini*, ut in Istrumento Affictus *anni* 1815. ipsemet Dominicus Vagliani est fassus.

Arduum fortasse nec erit, Domos ab Angelo Scorpato detentas recuperare, cum illas Beneplacito Apostolico nequaquam intercedente vendiderit Beneficiatus Gavotti, cui nulla erat illas alienandi potestas, et qui proinde in emptorem plus juris transferre nequivit, quam ipse haberet *ad Text. in cap.* 79. *De reg. Juris in 6., et in Leg.* 54. *ff. Eodem*. Rectores enim Beneficiorum non sunt illorum domini, sed administratores tantummodo cum facultate percipiendi fructus, eosque in proprios usus convertendi, uti monuit *Rota in Asculana Beneficiorum* 26. *Junii* 1820. §. 6. *et* 7. *cor.* Me, *et Sac. Congregatio in Sutrina Emphyteusis* 29. *Maji proxime præteriti* §. *Nihil*. Quin Angelus, qui Domos emit *anno* 1797. præscriptione se tueri valeat, cum neque tempus quadragenarium, quo ad præscribendum opus esset, effluxerit, neque ipse bonam fidem prætexere valeat, sine qua nulla esse potest præscriptio; quandoquidem ex emptionis venditionis tabulis constat, Beneficiatum Gavotti aperte declarasse, Domos provenire = *dal fu D. Cristofaro Beni di lui Zio, come beneficio Laicale* = nempe de jurepatronatus Laicorum.

Si utilem esse Emphyteusim EE. PP. censeant, perpendere dignentur, de Emphyteusi *perpetua* rem esse, et hanc Sac. Congregationem approbare consuevisse emphyteusim tantum, quæ tertiam, vel quartam generationem masculinam non prætergrediatur, ut aperte innuitur *in cit. Novarien. Beneplaciti Apostolici* 17. *Februarii* 1821.; perraro autem Emphyteusim perpetuam Bonorum Ecclesiæ laudasse, quæ in Concilio Romano *anni* 1725. *tit.* 19. *cap.* 1. fuit expresse improbata. Videant quoque, an publicis Edictis meliores oblatores sint invitandi, uti statuit S. M. Benedictus XIV. in suo Motu proprio *diei* 22. *Novembris* 1742. *incipien.* = *Essendo* =; qui etsi pro locationibus Bonorum Cameræ Apostolicæ fuerit editus, ad omnes tamen Bonorum Ecclesiasticorum locationes, et alienationes fuit ampliatus, *Sac. Congr. in cit. Sutrina Emphyteusis* 29. *Maji prox. præt.*, et an exclusis Fundis rusticis ad *annos* 50. locatis, Domus

tantummodo sint in emphyteusim concedendæ. Definiendum idcirco proponitur

Dubium

An, et quomodo probanda sit emphyteusis in casu etc.

Non proposita cum sequenti.

Sess. 22. Cap. 4. de Reformat.

SANCTI SEVERINI VOCIS IN CAPITULO. Canonico Dominico Mazza, in Cathedrali Ecclesia S. Severini Pœnitentiario, Coadjutor datus Sacerdos Vincentius Passalacqua per quinquennium comitiis Capitularibus absente Coadjuto interfuit, ac jure ferendi suffragii est usus. Obstare deinde cœperunt Canonici, negantes Coadjutorem suffragii interponendi consortem esse posse: quamobrem hanc Sacram Congregationem adiit Coadjutor Passalacqua, et in quasi possessione memorati juris sese manuteneri flagitavit.

Rogavi Episcopum, ut = *audito Capitulo, et transmissa copia Litterarum Apostolicarum Coadjutoriæ, et particulis Constitutionum Capitularium ad rem facien. referret de consuetudine quoad præteritum* = Retulit Episcopus, nullas adesse Capitulares Constitutiones; transmisit Apostolicas Litteras Coadjutoriæ, simulque exemplum resolutionis, qua Canonici statuerunt, concedendam non esse Canonico Passalacqua = *la voce ne' Capitoli*, = quia = *il Canonico Coadjutore, vivendo il Coàdjuto, non è vero Canonico, ma chiamasi* Canonicus fictus *secondo le decisioni della Rota, e della Sacra Congregazione de' Riti; onde non avrà se non quella facoltà concedutagli dalle Costituzioni particolari, se vi sono, dalle consuetudini de' rispettivi Capitoli, dalle Lettere Apostoliche . . . . Nel Capitolo*

della

della Cattedrale di S. Severino non è stata mai la consuetudine, che un Canonico Coadjutore abbia la voce in Capitolo, anche in assenza del Coadjuto. Il Canonico Pietro Sassolini è stato Coadjutore per lo spazio di circa dieci anni, e non ha fatta mai tale ricerca; il Canonico Giuseppe Corradi lo è stato quattro anni, e neppur vi ha pensato: il Canonico Anastasio Tucchi lo è attualmente da circa otto anni, e non ha mai avuta tal pretensione, lo che non sarebbe avvenuto, se una consuetudine nel nostro Capitolo li avesse garantiti . . . . . Anzi la consuetudine è stata costantemente contraria. Infatti il Canonico Severino Corradi bo. me., cui le Lettere Apostoliche accordavano stallo e voce, *ne fece ciò non ostante istanza alla S. Congregazione del Concilio, e questa, per non ledere la consuetudine, ne volle intendere il Capitolo, il quale stimò bene aderire in vista della suddetta istanza. Lo stesso accadde al Canonico Carlo Caccialupi Coadjutore.*

Le lettere Apostoliche ottenute dal Passalacquà per la Coadjutoria della Penitenziaria non gli accordano certamente nè stallo, nè voce, e male si appoggia alle espressioni generali, che leggonsi nelle prima parte delle stesse Lettere Apostoliche, nelle quali essendo chiamato verus Canonicus Coadjutor *si dice* = jurium quorumcumque in spiritualibus, et temporalibus . . . . de jure, usu, consuetudine, privilegio, cæterisque actibus capitularibus interesse . . . . omnibus, et singulis honoribus, et privilegiis de jure, usu, et consuetudine etc. *perchè con tali espressioni gli si accordano tutti i privilegj, diritti, onori etc., che competer possono ad un Canonico Coadjutore. Che dirassi poi, se leggasi la seconda parte delle Lettere Apostoliche a favore del medesimo Passalacqua ottenute? In esse leggesi* Teque officio Coadjutoris hujusmodi cessante . . . . in Canonicum recipi, et in Fratrem; Stallo tibi in Choro, et loco in Capitulo cum dicti juris plenitudine assignatis. *Tali diritti espressamente assegnati al Passalacqua soltanto dopo la cessazione dell' officio di Coadjutore, dimostrano, quando possano cominciare a competere. La qual cosa conoscendo l' Esecutore Apostolico, analogamente eseguì le*

Lettere a favore del Passalacqua nel dì **11.** *Febbraro* 1816. *coll'espressioni* Locum, et vocem dedit in Capitulo nunc pro tunc. *Che se il Coadjutore Passalacqua espone d'essere intervenuto ai Capitoli, e di avere decisivamente votato in assenza del suo Coadjuto; esso vi è per qualche tempo intervenuto come Procuratore speciale, la qual cosa provasi dalla Procura fattagli dal Coadjuto . . . Li 29. Giugno 1823. il Sig. Canonico Domenico Mazza Coadjuto ritirò la Procura già fatta al Canonico Coadjutore nel tempo istesso, in cui si tornò a protestare contro l'intervento del Coadjutore, o derivante dai pretesi diritti delle Lettere Apostoliche, o dalla Procura del Coadjuto.*

Episcopus autem Coadjutori apprime favet, ac ita sensum animi sui pandit „ primo quidem dicam, quod „ etsi Canonicus Coadjutor non sit verus Canonicus, „ quod non est in quæstione, jure repræsentativo ta„ men sui Canonici Coadjuti, ei competunt exercitia „ omnium jurium Canonico suo principali compe„ tentium, et præcipue quidem si in Litteris Aposto„ licis id concessum fuerit, et Leges constitutionales, „ vel stabiles consuetudines minime adversentur. Ita„ que cum Orator in suis Litteris Apostolicis habilita„ tionem, et facultates receperit sub illis verbis *inte„ resse valeas omnibus actibus capitularibus*, nec Le„ ges constitutionales, nec consuetudines adsint in „ contrarium disponentes, nihil propterea obstant, „ quæ a Canonicis opponuntur.

Exempla vero aliorum Coadjutorum, quibus consuetudinem evincere nituntur Canonici, ad rem haud esse subjungit Episcopus „ Quoniam si illi jure suo uti no„ luerunt, nihil obest iis, qui jura sua defendere, „ et sustinere prætendunt. Obstaret utique, si nullus „ Coadjutor unquam rationes suas defendisset, et cum „ contraria exempla afferant ipsimet Capitulares . . . „ contra ipsos valent allata exempla. Obstaret etiam con„ tra Coadjutorem Passalacqua, si aliqui ex aliis Coadju„ toribus, facta instantia Capitulo de interveniendo in „ Capitulis, semper oppositionem recepissent, atque „ semper a Comitiis exclusi fuissent. Sed totum in op-

„ po-

„ positum comprobatur. Imo adducta exempla de Ca-
„ nonicis Corradi, et Caccialupi Coadjutoribus . . .
„ ut in Comitiis admitterentur, et qui postea a Capi-
„ tulo realiter admissi fuerunt, monstrant, quod us-
„ que ab illis temporibus rationem nullam Canonici
„ habuerunt præsumptæ exclusionis sustinendæ, unde
„ usque ab illo tempore omnis consuetudo remota vi-
„ detur, si quæ prius forsan adfuisset.

„ Quoad generalia verba Litterarum Apostolicarum (per-
„ git Episcopus) ex quibus verbis deducunt (*Canonici*)
„ nescio vero qua ratione, quod Coadjutoribus nul-
„ lum jus competere possit interveniendi in Comitiis
„ Capitularibus, nam ut ipsi ajunt, generales expres-
„ siones nullum jus dare ad particularia privilegia. Sed
„ Canonicis non est privilegium particulare interve-
„ niendi in Capitulis, sed est jus universale proprium
„ omnibus, commune in Communitatibus Capitula-
„ ribus interessendi in Capitulis, ut sua vota, et suffra-
„ gia exhibeant, quoties opus fuerit; unde Coadju-
„ tor, qui exercere debet omnia, et singula jura
„ sui Coadjuti, a Comitiis minime excludi pote-
„ rit, nam quando in litteris dicitur *omnibus, et sin-*
„ *gulis actibus*, est idem quod dicere, omnibus, et
„ singulis juribus, et privilegiis Coadjutor succedat
„ Coadjuto.

„ Si vero in posteriori articulo Litterarum Apostolicarum
„ adest expressio, *quod officio Coadjutoris cessante ite-*
„ *rum Passalacqua in corporalem possessionem se im-*
„ *mittere faciat*, nihil officit, quin antequam hanc
„ novam possessionem adipiscatur in Capitulis admit-
„ tatur: nam prima possessio, quæ a Coadjutoribus
„ sumitur, licet non sit vere in Beneficio, sed ad Be-
„ neficium; repræsentative tamen suorum principa-
„ lium ad jura exercenda ipsis principalibus competen-
„ tia semper valet. Et sicut per primam possessionem
„ stallum habent Coadjutores in Choro, locum in
„ processionibus etc. ita æqualiter locum in Capitulo,
„ alias inutilis foret illa prima possessio, si nullum
„ jus daret Coadjutoribus. Secunda vero possessio va-
„ let non solum ad exercenda onera Beneficio annexa
„ jure proprio, sed dat etiam jus in Beneficio, et ad

„ per-

„ percipienda emolumenta Canonicalia. Si ergo Coad-
„ jutores per possessionem perceptam acquirunt jus
„ de stallo in Choro cum cæteris Canonicis, acqui-
„ runt etiam jus ad cætera onera Beneficii . . . In
„ Litteris Apostolicis dicitur, ut adesse possit *omnibus*
„ *actibus capitularibus*; cur autem excipiendus sit
„ actus interveniendi in Comitiis Capitularibus mini-
„ me intelligitur.

„ Quod interventus in Capitulis Canonico Passalacqua
„ concessus fuerit virtute Mandati præstiti a Canonico
„ Mazza Coadjuto, vana ratio videtur. Nam aut con-
„ suetudo aderat de non recipiendis Canonicis Coadju-
„ toribus in Capitulis, aut minime aderat. Si aderat,
„ quando Capitulo porrectum fuit mandatum Procu-
„ ræ Coadjuti, ut Canonicus Passalacqua reciperetur
„ in Comitiis Capitularibus, Canonici obstare tunc de-
„ bebant, et contrariam consuetudinem adducere,
„ ne reciperetur; at in contrarium egerunt illum re-
„ cipiendo, imo et per circa sex annos illum intiman-
„ do, et recipiendo: aut vero hæc prætensa consue-
„ tudo non aderat, et tunc mandatum Canonici Maz-
„ za sopervacaneum erat pro Coadjutore Passalacqua;
„ nam Coadjutor non recipit auctoritatem a Coadju-
„ to exercendi ejus jura Canonicalia, sed a Litteris
„ Apostolicis . . . Sic usum vidi in Capitulo Patriar-
„ chali Ecclesiæ S. Mariæ Majoris de Urbe, et in Ec-
„ clesia Cathedrali Eugubina, ubi per multos annos
„ binas Coadjutorias exercui, et sic scio in omnibus
„ Capitulis Urbis Romæ usum esse.

Profecto Canonicus Coadjutor omnibus privilegiis, et prærogativis Coadjuti perfrui debere videtur juxta *Gonzalez ad reg. Cancell. 8. gloss.* 5. §. 9. *num.* 99. et fictus Canonicus dici posse quoad præbendam, non quoad Officium, quod reapse exercet: æquum est enim, ut qui cum aliis commune servitium præstat, communibus gaudeat privilegiis. Prærogativas omnes insuper, facultates, præeminentias, honores Canonicales, queis et jus suffragationis accensetur, ab Apostolicis recepit Litteris Coadjutor Passalacqua, quæ verba tamquam universalia nullam præeminentiam, facultatemque nullam excludunt, *argum. leg. Julianus et Leg. Testamento ff. de leg. 3.*, *Roland. cons.* 87. *num.*

num. 8. *vol.* 2., *Roman. cons.* 44. *num.* 5. *ad dictionem eo modo.*

Verum, Coadjutores Canonicos, etiam absentibus Coadjutis, non posse Capitulis interesse, nec in ipsis suffragium ferre, nisi in Litteris Apostolicis jura hæc expresse iisdem concedantur, definivit, hæc Sac. Congregatio in *Narnien* 20. *Martii* 1649. *relat. in Sabinen* 31. *Maji* 1783. §. *Quod attinet*. Idque luculenter docet *Pignatell. Tom.* 4. *Cons.* 185. *num.* 1. qui ita respondisse narrat Romanam Rotam *in Salamantina Coadjutoriæ* 1. *Julii* 1594. *coram Penna*, idemque tradunt *Garzias de Benefic. parte* 4. *cap.* 5. *num.* 87. *Barbos. de Can. et Dignit. Cap.* 29. *num.* 2.

Nullibi autem in Litteris Apostolicis Coadjutori Passalacqua jus vocis in Capitulo expresse concessum legitur, ac licet omnes, et singulæ prærogativæ, præeminentiæ, et honores Coadjuti ei tribuantur, hæc tamen omnia ad servitium Ecclesiæ referenda esse ex tenore ipsius Coadjutoriæ asserit *cit. Garz. ibid. num.* 96., eoque magis cum allata a Capitulo exempla contrariam consuetudinem in themate adesse suadeant. Consuetudo autem scripto juri æquiparatur, ac legitime constitutæ legis vim habet, *Cap. fin. De consuet. Leg. De quibus* §. *Ex non scripto ff. de legibus Rigant. ad Reg.* 2. *Cancell.* §. 2. *num.* 107.

Præterea Coadjutor perfectum jus in Beneficio non habet, sed tantum in spe, et ad rem, adeout jus habere incipiat solummodo post obitum Coadjuti, quo tempore adipiscitur Beneficii possessionem, uti post alios monet *Rigant. ad Regul. Cancell.* 3. *num.* 13. *et Rota in Olmucen. Canonicatus* 29. *Martii* 1694. §. *In proposito cor. Muto.* Neque enim antea veram Beneficii possessionem acquirit Coadjutor, cum ea penes Coadjutum resideat *Garz. de Beneficiis part.* 4. *cap.* 5. *num.* 90. *Rigant. ad Regul.* 35. *Cancell. num.* 112., atque inde fit, ut Coadjutori non suffragetur possessio Coadjutoriæ vivente Coadjuto obtenta, sed nova post ejusdem Coadjuti obitum possessio requiratur, *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 44. *et seq. De Canon. Cap*: 29. *num.* 6. *Rigant. ad Reg.* 24. *Cancell.* §. 3. *num.* 116. *Ventrigl. in Prax. part.* 2. *adnot.* 13. §. *Unic. num.* 36. Quum vero generaliter præeminen-

tiæ

tiæ omnes Coadjutoribus in litteris Apostolicis conceduntur, adjici solent clausulæ = *Cessante officio Coadjutoris* = *ex nunc prout ex tunc* = quæ utpote appositæ in dispositione conditionali, nempe sub conditione vacationis Canonicatus per cessum, vel decessum Canonici Coadjuti, non operantur, nisi post purificatam conditionem, veluti perpendit *Rota cor. Merlino decis. 147. n. 1. et 2.*

Coadjutores tamen aliquando jure suffragii ferendi pollent, ut ex allatis ab Episcopo exemplis constat; verum id obtinet, si Capitularibus Constitutionibus ita fuerit sancitum, vel si Litteris Apostolicis Coadjutoriæ fuerint eo jure donati. Cæterum ipsemet Coadjutor Passalacqua fateri visus est, hujusmodi facultatem jure sibi non competere, quandoquidem, uti Procurator sui Coadjuti in Comitiis Capitularibus per quinquennium, et ultra, suffragium tulit, quam sane procuratoris personam haud gessisset, si proprio jure id præstare se posse censuisset.

Itaque proponitur definiendum

Dubium

An Coadjutori Passalacqua competat jus suffragii ferendi in casu etc.

Die Sabathi 18. Septembris 1824. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

ANCONITANA EMPHYTEUSIS.

Sess. 25. cap. 11. de reform.

Dubium

An, et quomodo probanda sit emphyteusis in casu etc.

Negative in omnibus, et ad mentem: mens est, ut Episcopus curet per Promothorem Fiscalem deleri ex defectu Beneplaciti Apostolici contractum anni 1797. initum cum Angelo Scorpato, et mandet per Administratorem deputandum ædibus recuperandis fieri ex earum reditibus sarcitiones necessarias; item transmittat particulas Catastri fundorum Beneficii tum rusticorum, tum urbanorum.

SANCTI SEVERINI VOCIS IN CAPITULO.

Sess. 22. cap. 4. de reform.

Dubium

An Coadjutori Passalacqua competat jus suffragii ferendi in casu etc.

Negative.

Sess.22. cap. 9. de reform.

ROMANA REDDITIONIS RATIONIS. Supremo suæ voluntatis elogio hæc jussit *anno* 1634. Marchio Silvanus Justiniani „ Voglio, che il mio corpo sia seppellito nella Chiesa di S. Maria della Vittoria di Roma, „ vicino a S. Susanna, dove voglio, che si fabbrichi, „ e si adorni una Cappella attaccata a quella del Signor Ippolito Merenda, al pari di quella, e perciò „ lascio, che si spenda tutto quello farà di bisogno, „ non avendola io potuto fare in vita mia, nel qual „ caso siano obbligati li miei Eredi a non poter toccare la mia eredità, che prima detta Cappella non „ sia compita di tutto punto a soddisfazione delli RR. „ Padri di detta Chiesa . . . ordino alli miei Eredi, che „ diano in perpetuo scudi cento di moneta alli sopraddetti Padri per mantenimento della detta Cappella, e „ che li miei Eredi siano obbligati a far dire ogni giorno in perpetuo tre Messe per l' anima mia in detta „ Cappella, e similmente per ragion di legato, ed in „ ogni altro miglior modo, che posso, lascio a Carlo „ Ripamonte mio Servitore scudi seicento l' anno di „ entrata durante la sua vita . . . e di più gli lascio „ tutti i miei vestiti, e biancheria con il letto, che è „ nella seconda stanza, con coperta, e tutta l' altra biancheria ad uso di Casa, ed oltre se gli bisogneranno „ dei mobili, che sono in casa, che ne possi pigliare „ a suo arbitrio e volontà, alla dichiarazione del quale si debba stare, presupponendo, che non dovrà „ pigliare se non quello, che è lecito, ed onesto secondo il suo grado . . . . volendo di più, che sia „ proibito tanto alli miei Eredi, quanto a qualsivoglia „ altra persona, che non possino riveder conti, nè domandar conto al detto Carlo tanto dei denari, o altra cosa, che fosse in casa, o che lui avesse amministrato, o riscosso, avendolo conosciuto fedele, e „ resomi sempre buon conto di quanto egli abbia maneggiato in casa mia; e dopo la morte di detto Carlo „ Ripamonte li miei Eredi siano liberi di tal peso, e „ s' intenda recorredato alli miei Eredi, per disporre, „ come si dirà quì a basso, cioè che venendo il caso, „ che quì in Roma si trovassero a studio due putti „ di età di dieci, o dodici anni della Casa Giustiniani,

che

„ che volendo studiare, e non avessero il modo da „ mantenersi, li miei Eredi siano obbligati darli a ciascuno delli detti due putti scudi dieci il mese, e „ questo sino all' età di venti anni e non più . . . . . „ Item lascio, che gl' infrascritti miei Eredi, dopo „ aver soddisfatto li sopraddetti legati compitamente, „ l'avanzo delle mie entrate le debbano dispensare ai „ poveri conforme all'Istituto della Compagnia de' Santi XII. Apostoli . . . la qual Compagnia debba far „ una memoria in una tavola di marmo nella stanza, „ nella quale soglion fare la loro Congregazione, della „ presente Eredità lasciatale; e perciò in tutti li miei „ beni mobili, e stabili, ragioni, crediti, presenti e „ futuri, e a me in qualsivoglia modo spettanti, ed „ appartenenti, istituisco mia Erede universale la Rev. „ Compagnia de' SS. XII. Apostoli di Roma „ .

Testamento accessit *die* 26. *Novembris* 1638. codicillaris ejusdem Silvani dispositio, qua „ Ordina, e vuole, „ che li Deputati della Ven. Compagnia de' SS. Apostoli di Roma, sua Erede universale, non possino „ toccare cosa alcuna della sua eredità, se prima non „ sarà finita, e terminata di tutto punto, etiam di paramenti, ed ogn' altra cosa necessaria, la sua Cappella di S. Maria Maddalena nella Chiesa della Madonna SSma della Vittoria di Roma, quali prega „ colla maggior istanza a farla finire quanto prima. „ Item ordina, e vuole, che li detti Signori Deputati „ nel termine di due mesi prossimi dopo la morte di „ detto Signor Codicillante faccino una lapide con la „ precisa iscrizione della quantità delli Luoghi di „ Monte, che si troveranno nella sua eredità, col peso „ degli obblighi, e Testamento rogato, qual lapide si „ deve apporre nella stanza, dove si fà la Congregazione di detta Compagnia in luogo eminente, che „ sia ben vista da tutti, con specificare, che detti „ monti si devono sempre conservare inalienabili, ed „ in caso di estrazione il prezzo di nuovo si debba rinvestire in compra di altri Luoghi di Monti non vacabili della R. C. A., acciò il frutto di quelli serva „ per l'esecuzione, ed adempimento di quanto ha disposto nel predetto suo Testamento. Item detto Sig. „ Silvano Codicillante oltre a quello, che ha lasciato

„ a Carlo Ripamonte nel detto suo Testamento, vuole
„ anco, che detto Carlo si debba pigliare per se me-
„ desimo delli mobili, e robe di Casa di detto Signor
„ Codicillante tutto quello, e quanto gli parerà, e
„ piacerà, assieme con tutti li denari contanti, che
„ si ritroveranno in Casa di detto Sig. Silvano nel tem-
„ po della sua morte; ed il restante di detti mobili
„ detto Carlo li deve vendere, ed il prezzo, che ne
„ caverà, rinvestirlo in compra di tanti Luoghi de'
„ Monti non vacabili, per incorporarli nella detta
„ sua universale Eredità; e questo detto Carlo lo deva
„ fare, avanti che spiri il termine delli due mesi dopo
„ la morte di detto Signor Codicillante, nel qual tem-
„ po delli detti due mesi detti Signori Deputati, nè
„ altra persona sotto qualsivoglia pretesto possa, nè
„ deva in modo alcuno entrare nella Casa di detto Si-
„ gnor Codicillante. Item detto Signor Codicillante
„ dice, e dichiara espressamente, che in evento, nel
„ quale li detti Signori Deputati, o altri Sigg. Officiali,
„ ed Amministratori, che pro tempore saranno nella
„ detta Compagnia de' SS. Apostoli di Roma sua erede
„ universale, non osservassero, e non adempissero
„ *ad unguem* tutto quello, e quanto detto Sig. Silvano
„ ha disposto, ed ordinato nel predetto Testamento, e
„ presenti suoi ultimi Codicilli, ovvero controvenisse-
„ ro a qualsivoglia delle cose contenute, ed ordinate
„ in detto Testamento, e presenti Codicilli, in tal ca-
„ so detta Compagnia decada da detta sua universale
„ eredità, quale si devolva *ipso jure*, *et ipso facto*
„ senza altra interpellazione alla predetta sua Cappella
„ di S. Maria Maddalena nella Madonna della Vittoria „
Nonnulla præterea tum in Testamento, tum in Codicillo scripsit legata Missarum, tabularum pictarum, atque pecuniæ, pro unica vice præstanda.

Vita functo *die* 7. *Decembris* 1638. Silvano Justiniani, hæreditatem *die* 31. *Januarii* 1639. cum beneficio Legis, et Inventarii adiit Sodalitium SS. XII. Apostolorum, ejusque Procurator publico confecto Inventario = *absque aliquo dolo, et fraude dixit, pro nunc invenisse in dicta hæreditate Loca ducenta sexdecim inviolabilis fidei, et loca triginta quatuor Montis Viani secundæ erectionis, cum expressa tamen pro-*

protestatione , quod si aliquæ res , et bona , ut supra descripta , quæ de jure describi non debeant , habeantur pro non descriptis, et si aliæ res , et bona apponenda , et describenda venient , de quibus pro nunc nullam notitiam dictam suam principalem habere dixit ; promisit , quamprimum de eis notitiam habuerit , illa dicto Inventario addere = . Voluntatem deinde Testatoris exequi , eamque summatim marmoreo lapidi insculpi , et in conclave ab eodem Testatore delecto collocari , sategit Confraternitas hæres , ac præsertim exprimi = *quod Sodalitatem SS. XII. Apostolorum hæredem scripsit ex asse in Locis* 250. *Montium Apostolicæ Cameræ* .

Sortitionem passa cum fuerint prædicta Loca Montium, Sodalitas integram eorum sortem , uti jussit Testator , in emptionem contulit aliorum Locorum Montium 207. 47. , quorum reditus ad *annum usque* 1797. summam attingebat *scutorum* 610. 65. Notissimæ postea contigerunt rerum publicarum vicissitudines , quibus factum est , ut nullus ex Locis Montium reditus perciperetur, ideoque nullum esse posset Legatorum adimplementum ; sed *anno* 1801. restitutis Locis Montium , valde tamen imminuto annuo fructu, Legata etiam , servata porportione , impleri cœperunt . Hinc Sodalitas monuit pueros Familiæ Justiniani, qui antea pensione *scutorum* 10. singulis mensibus gavisi fuerant , in posterum non recepturos nisi *scuta* 4. ; atque ita servatum fuit , donec Ecclesiastica Ditione a Gallis iterum occupata , Loca Montium denuo infructifera evaserunt . Restituto Pontificio regimine , Locorum Montium fructus iterum solvi cœperunt , aliqua tamen imminutione , ita ut ex Locis Montium 207. 47. annua dumtaxat *scuta* 291. 98. ½ in præsens Sodalitas percipiat . Quamobrem omnium Legatorum falcidiam pro ratione redituum constituere oportuit .

Verum PP. S. Mariæ de Victoria , quibus a pio Testatore pro Capellæ manutentione annua *scuta* 100. relicta fuerunt , in jus vocarunt Sodalitium pro integra Legati solutione: Sodalitii autem Administratores in ipsomet Litis exordio certiorem fecerunt Comitem Dominicum Justiniani = *che se li Padri della*

Vit-

Vittoria otterranno favorevole giudizio , li due Legati Giustiniani (pensionum nempe, quæ adolescentibus Justiniani quolibet mense persolvebantur) *si sarebbero estinti , e perciò l' animavano ad associarsi in detta causa contro li PP. della Vittoria* = Renuit Comes Dominicus , nisi a Sodalitio Testamentum Silvani , et bonorum Inventarium in forma authentica ederetur : succubuitque Sodalitium *anno* 1818., et Patribus S. Mariæ de Victoria integrum *scutorum* 100. Legatum pendere fuit coactum .

Postea animadvertentes Confraternitatis Deputati, Legatum eleemosynæ pauperibus distribuendæ , propter redituum imminutionem ad tramites testamentariæ dispositionis Marchionis Silvani jamdiu extinctum esse , supplicem S. M. Pio VII. dederunt libellum, in quo testatoris voluntatem narrarunt , reditus ab ejus hæreditate proficiscentes , eorumque imminutionem , et erogationem indicarunt , atque absolutionem ob eleemosynas , in pauperes erogatas,his verbis exorarunt = *Avendo gli Oratori in oggi riassunta , ed esaminata la disposizione testamentaria , si sono avveduti , che fin dal* 1801. *nella ripristinazione dei LL. di MM. ai soli due quinti , subitochè non vi era un avanzo , dopo soddisfatti compiutamente i Legati , come vuole il Testatore , doveva cessare ogni distribuzione a' poveri , e tutta la rendita applicarsi in favore dei Legatarii determinati , che però , conosciuta ora questa mancanza , ne implorano dalla sovrana clemenza della S. V. la benigna assoluzione .* Flagitarunt quoque , ut *scuta* 291. 87. $\frac{1}{2}$, quæ nunc ex Locis MM. exiguntur , distribuerentur juxta impertitam reductionem , quam mox referam . Rescripto *diei* 8. *Februarii* 1822. benigne annuit Pontifex , et *prævia absolutione quoad præteritum , preces remisit arbitrio R. P. moderni Vicesgerentis cum facultatibus necessariis , et opportunis.* Hinc R. P. D. Vicesgerens *die* 20. *insequentis Martii mandavit , ex reditu prædicto consignari RR. PP. S. Mariæ de Victoria annua scuta* 100. *pro manutentione Capellæ ad formam testamenti , quod quidem Legatum nulli reductioni , nec imminutioni subjicimus , attenta Sententia ab A. C. edita ; quod si judicatum prædictum fuerit deinde revocatum in prosequutione interpositæ*

appel-

appellationis, tunc nobis jus reservamus aliam capiendi provisionem. Scuta vero 120. *annis singulis statuimus eroganda pro manutentione in studiis unius tantum juvenis hic Romæ de Familia Justiniani, donec pervenerit ad ætatem viginti annorum: qua expleta, erit alter vicissim subrogandus. Reliqua tandem scuta* 71., *et obolos* 87. $\frac{1}{4}$ *eroganda erunt in partiali satisfactione, et pro intranti quantitate trium Missarum die quolibet celebrandarum ad formam pii relicti Testatoris in Sacello Ven. Ecclesiæ S. Mariæ de Victoria. Quod si contigerit, juvenem non adesse, qui hic Romæ ad studia incumbat, tunc summa illi suppeditanda addenda erit, et eroganda in satisfactione trium Missarum, ut supra, quolibet die celebrandarum.*

Interea Comes Dominicus Justiniani Pontificem adiit, petiitque, ut Sodalitium cogeretur 1. ostendere Testamentum, Inventarium, tabulas accepti, et expensi, aliaque Instrumenta, et documenta ad Silvani hæreditatem spectantia. 2. Solvere quidquid minus ex legato *scut.* 10. singulis mensibus hactenus assecuti sunt tum Oratoris Filius Constantinus, vita functus, tum juvenes Camillus, et Franciscus Justiniani. 3. In posterum binis adolescentibus ex Familia Justiniani integrum Legatum studiorum satisfacere: 4. tandem pauperibus eleemosynam juxta piam Testatoris voluntatem distribuere.

Preces ad hanc Sac. Congregationem remissæ, Emo Urbis Vicario die 13. *Martii* 1822. ablegatæ fuerunt, ut dignaretur S. Congregationem instruere, et votum suum aperire, auditis præsertim Deputatis Congregationis SS. XII. Apostolorum. Emus Vicarius, nunc Summus Pontifex Leo XII., quem Deus Ecclesiæ Catholicæ diu sospitem, incolumemque servet, transmittere dignatus est Testamentum, Codicillos, et Inventarium in forma publica Silvani Justiniani, nec non Statum activum, et passivum hæreditatis a die obitus ad præsens, aliaque documenta, ex quibus hactenus exposita deprompsi. Animi vero sui sapientissimi ita sensum aperuit,, Provocantibus Dominico, et
,, Camillo Justiniani Deputatos Archiconfraternitatis
,, XII. Apostolorum Urbis ad rationes edendas tam de
,, viribus hæreditatis quondam Silvani Justiniani, quam de

„ de ejus annua erogatione juxta mentem Testatoris ;
„ cujus præcipua voluntas in tabulis Testamentariis
„ pandita fuit, ut ex suæ hæreditatis redditibus duo-
„ bus juvenibus Familiæ Justinianæ Legati titulo men-
„ strua scuta decem ad decennium studiorum causa,
„ subministrari deberent, et quod reliquum supere-
„ rat, esset pauperibus distribuendum ; hinc est, ut
„ Archiconfraternitas prædicta postulatis hac desuper
„ re ab hac Sac. Congregatione, religiosissime adnexis
„ satisfacit documentis.

„ Etenim primo demonstrat, quod omne as hæredita-
„ rium de tempore obitus testatoris in alio non con-
„ stitit, nisi in Locis Montium biscentum quinqua-
„ ginta, quæ extractionis, ut ajunt, causa imminutio-
„ nem pati debuere ad Loca 207. 47. deinde quod
„ propter varias, quas pati debuerunt Loca Montium,
„ vicissitudines tam propter cessationem, quam pro-
„ pter imminutionem fructuum, habita proportione,
„ imminuta quoque fuerunt Legata, intercedente au-
„ ctoritate Apostolica, itaut ab examine redditionis
„ rationis, quam exhibet, Confraternitas administra-
„ trix ne in minimis quidem reprchendenda, sed po-
„ tius maxime laudanda videatur, quemadmodum
„ EE. VV. ab injunctis foliis, et ab authenticis exhi-
„ bitis documentis facile cognoscere poterunt.

Hæreditatis aditione, quasi contractum ab Hærede iniri, quo se Legatariis satisfacturum spondet, cautum est in *L. 5. §. 2. ff. de oblig., et action.*; *et in Instit. §. 5. de obligat. quæ ex quasi contr. nascunt.*; ac proinde nisi hæreditatem cum beneficio Legis, et Inventarii sibi acquirat, omnia Legata in solidum, etiam ultra vires hæreditatis, solvere tenetur, *L. ult. §. 14. C. de jur. delib., et Novell. 1. cap. 2*, utque praedicto beneficio uti valeat, Inventarium conficere debet ad tramites juris: si enim *Inventarium secundum formam præsentis Constitutionis non fecerit, et hæredem omnino effici, et debitis hæreditariis in solidum teneri, nec legis beneficio perfrui* sanxit Justinianus *in cit. L. ult. §. 14.* Formam autem Inventarii praescripturus Imperator *§. 2.* statuerat, quod haeres significare debet, et *quantitatem rerum, et quod nulla malignitate circa eas facta, vel facienda apud eum remaneant.*

Igi-

Igitur si haeres aliquas res Inventarium conficiens fraude non descripserit, dignus non erit, qui Legis beneficio perfruatur, cogique poterit ad Legata praestanda etiam ultra vires haereditatis, uti tradit *Fachinaeus controv. lib.* 4. *cap.* 37.

Sodalitium vero SS. XII. Apostolorum haereditatem quidem Silvani Justiniani cum beneficio adiit Legis, et Inventarii; sed tantummodo Loca montium 250. in Inventario descripsit. Et quamvis facultatem sibi reservaverit alia bona, quam primum de eis notitiam habuisset, Inventario addendi, nihil tamen hactenus addidit. A veritate autem devium existimat Comes Dominicus Justiniani, nihil in haereditate Silvani repertum fuisse praeter Loca Montium cum, ipso teste Silvano, haereditas non ex solis Montium locis, verum etiam ex bonis mobilibus, stabilibus, creditis, aliisque juribus constare deberet: nam Sodalitatem haeredem instituit *in tutti li miei beni mobili, e stabili, ragioni, crediti presenti, e futuri.*

Praeterea Testator sui patrimonii virium plene conscius praesumitur, et pro illarum dumtaxat ratione censendus est Legata scripsisse. Jam vero Silvanus Justiniani Capellam aedificari, ac splendide ornari jussit, et locupletem supellectilem addi voluit: dein pro Capellae manutentione annua scuta centum PP. S. Mariae de Victoria pendenda; trium Missarum quolibet die celebrationem; annuum pensionem *scutorum* 600. Famulo Ripamonte solvendam, aliaque a Sodalitate Legata praestanda reliquit, quorum plenae satisfactioni pinguis requirebatur haereditas. Verum si haereditatem Silvani constituissent dumtaxat Loca 250. Montium, Sodalitas non omnia Legata implere potuisset: ea vero fuisse adamussim impleta ambigi nequit, nec ipsa inficiatur Sodalitas. Quod si Carolo Ripamonte facultatem tribuit Silvanus ex mobilibus, quidquid ei magis arrideret, sibi habendi, attamen fieri nequit, ut Carolus omnia mobilia etiam pretiosa sibi sumpserit: quandoquidem Silvanus jussit, *il restante dei detti mobili detto Carlo li deva vendere, ed il prezzo che ne ricaverà, rinvestirlo in compra di tanti luoghi di Monti non vacabili, per incorporarli nella detta mia credità* [illegible]

Alia itaque bona praeter Loca Montium in haereditate Silvani inventa procul dubio fuerunt, (ita disserit Comes Dominicus Justiniani) in Inventario quidem praetermissa, sed a Sodalitate accepta. Idque evinci etiam putat ex censu ipsius Sodalitatis; affert enim descriptionem bonorum, ad Sodalitium pertinentium, ex Archivio Camerae Apostolicae desumptam, in qua nonnulla bona recensentur, quin tamen assignetur fons, unde in Sodalitatem fuere translata. Haec bona ex haereditate Silvani profecta autumat; quod ipse facile se docere posse censet, si Tabularium Sodalitatis perscrutandi potestas eidem fiat.

Verum reponunt Deputati Sodalitatis, ad praestanda Legata ultra vires haereditatis Sodalitium cogi non posse: nam ultra vires non obstringeretur, tametsi nullo confecto Inventario crevisset haereditatem, uti monet *Abbas in cap. Ecclesia S. Mariæ n.* 13. *de Constit.*, *Sperell: decis.* 121. *num.* 86., *et decis.* 135. *n.* 20. Ecclesia enim, Locaque pia privilegiis gaudent Fisci, qui haereditariis creditoribus non ultra quod repertum est, obstringitur, *arg. L.* 1. *§. An bona. De jur. fisci*, *Voet ad Pand. lib.* 28. *tit.*8. *num.* 28. Multoque minus ultra vires Sodalitas cogi posset, si aliqua bona ad haereditatem Silvani spectantia in Inventario descripta non reperirentur; siquidem haeres, qui solemnitatem servavit Inventarii, quamvis aliquid surripuerit, vel celaverit, non ideo Legis beneficio privatur, sed in duplum solummodo id restituere, vel haereditatis quantitati computare compellitur ad *tex. in L. ult. §. Licentia. Cod. de jur. delib.* Sodalitatem vero hujusmodi privilegio non indigere subdunt, quoniam haereditatem adiit cum beneficio Legis, et Inventarii; Inventariumque rite, fideliterque confecit, ac propterea ultra id, quod in haereditate repertum fuit, Legatariis non obstringitur ex ipsamet juris censura *in d. L. ult. Cod. de jur. delib.*

In Silvani haereditate sola Loca Montium 250. reperta fuisse constat ex publico Inventario, cui plena fides donec contrarium evincatur, omnino est habenda, *d. L. ult. §. Licentia*, *Voet loc. cit. num.* 15. Alia praeter Loca Montium in eadem haereditate bona extitisse, Comes Dominicus hactenus non probavit. Verba

ba enim illa, quibus utitur Silvanus Sodalitatem instituens haeredem universalem, generalia sunt, atque in omnibus testamentis adhibentur, innuuntque non quid in ejus esset patrimonio, sed tantummodo haeredem ad universam haereditatem fuisse vocatam. Insuper non quid Silvanus in Testamento, sed quid quadriennio post in Codicillis disposuerit morti proximus, est perpendendum: in iis autem Sodalitii Confratribus praecepit, *che nel termine di due mesi prossimi dopo la morte di detto Codicillante faccino una lapide con la precisa iscrizione della quantità delli LL. di MM., che si troveranno nella sua eredità . . . con specificare, che detti LL. di MM. si devono sempre conservare inalienabili . . . acciò il fruttato di quelli serva per l' esecuzione, e adempimento di quanto ha disposto nel Testamento.* Ex qua loquendi methodo arbitrantur Deputati, ipsum Testatorem aperte innuisse, patrimonium ex solis Locis Montium componi. Sodalitati enim administrationem tantum haereditatis reliquit Testator, ideoque si ipsam alias res praeter Loca Montium in haereditate reperturam prospexisset, non modo Locorum Montium, sed et caeterorum bonorum descriptionem in lapide fieri jussisset, ut ejus voluntas exactius futuris temporibus impleretur.

Ex oneribus quoque a Testatore hæredi impositis minime elicitur, alia bona in hæreditate inventa fuisse. Enim vero accidit non raro, ut Testatores Legata scribant, quæ totam absorbeant, imo longe superent hæreditatem, quemadmodum ex ipsa eruitur Lege Falcidia, quæ legandi licentiam coercuit, modumque constituit, §. 1. *Instit. de Leg. Falcid.* In themate autem accedit, quod ex fructibus LL. MM. 250. Legata omnia a Silvano relicta, si non statim, aliquorum tamen annorum spatio, impleri potuerint, tum quia Testator aliqua legata non prius, quam vita functo Carolo Ripamonte præstari jussit, tum quia Capella in Ecclesia S. Mariæ de Victoria ab ipso Silvano incoepta fuerat, ita ut Sodalitas vix summam scutorum mille ad eam perficiendam erogaverit.

Nihil vero mirum, inquiunt Deputati, si in Inventario descripta non legantur bona mobilia; siquidem Testa-

tor, quamquam in testamento Famulo Ripamonte limitatam concesserit facultatem quasdam res ex mobilibus sibi eligendi, attamen in Codicillis eam facultatem adeo ampliavit, ut ei permiserit *di pigliare dei mobili, e robe di Casa . . . . tutto quello, e quanto gli parerà, e piacerà, assieme con tutti li denari contanti . . . . ed il restante di detti mobili detto Carlo li deva vendere; ed il prezzo, che se ne ricaverà, rinvestirlo in compra di tanti LL. di MM. per incorporarli nella sua universale eredità*; pœna etiam caducitatis indicta Sodalitati, si domum Testatoris intra duos menses ab ejus morte ingrederetur, aut rationes a Ripamontio exigeret. Quare Sodalitas, ut voluntati pareret defuncti, res mobiles in Inventario describere non potuit. Carolus vero Ripamonte, quod ei placuit, ex mobilibus sibi delegit, cætera vendidit, pretiumque in emptionem contulit duorum LL. MM., quæ aliis a Testatore relictis addita numerum Locorum 250. compleruni.

Perspicuum proinde censent Deputati Sodalitatis, nihil revera in patrimonio Silvani inventum fuisse præter Loca Montium in Inventario descripta. Et quamvis in Archivio Cameræ Apostolicæ de quibusdam bonis ad Sodalitatem spectantibus non designetur, unde profecta sint; alium tamen, quam hæreditatem Silvani habuisse fontem Sodalitas asserit, idque vel Librorum oblatione, vel Archivii Sodalitatis perito viro committenda inquisitione, si EE. VV. placuerit, plene ostendere se paratam exhibet. Interea vero dispulsis exceptionibus a Comite Dominico prolatis de legitima redditione rationum, quam Emus Urbis Vicarius, nunc Pontifex Optimus Maximus laudavit, dubitandum non esse concludunt Deputati Sodalitatis, qui proinde illam omnino ab hac Sac. Congregatione probari sperant ad regulam, de qua Rota *in Sutrina Redditionis rationis 25. Januarii 1763. §. 2. cor. Very*, et *in Romana Redditionis Rationum 5. Julii 1822. §. 3. cor. Me.*

Dignentur itaque EE. PP. quæ proponuntur dirimere

Dubia

I. *An constet de legitima redditione rationum in casu etc.*
Et quatenus negative

II. *An sit rependendum quod minus solutum fuit pro Legatis studiorum in casu etc.*

III. *An*,

III. *An, et in qua summa sint in futurum solvenda Legata studiorum in casu etc.*

IV. *An, et in qua summa sit pauperibus eroganda eleemosyna in casu etc.*

Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative ad formam Decreti R.P. Vicesgerentis.

Ad IV. Provisum per Decretum R. P. Vicesgerentis.

LUNEN. SARZANEN. STIPENDII CONCIONATORIS = Concionatorem, qui sacro Adventus, et Quadragesimæ tempore verbum Dei in Cathedrali Ecclesia annunciaret, Episcopus Lunen. Sarzanen. Diœcesis priscis temporibus eligere, eique ducentas Libellas Januenses pendere consuevit. Gallis tamen eas Regiones occupantibus, Decreto *anni* 1811. statutum est = *I Predicatori saranno nominati dai Massari con la pluralità de' Voti su la presentazione, che ne sarà fatta dal Parroco, o dall'Inserviente la Chiesa, e con la condizione a detti Predicatori di ottenere il permesso dall' Ordinario. I pesi delle Fabbricerie sono di pagare l'onorario de' Predicatori dell' Avvento, e della Quaresima; e di altre solennità.* *Sess. 5. Cap. 2., et Sess. 24. Cap. 4. de Reform.*

Itaque Massales Ecclesiæ Cathedralis Lunen. Sarzanen., qui antea *Operarii* dicebantur, Concionatorem nominare, et pensionem solvere tunc cœperunt; eam vero deinde ad Libellas quadringentas auxerunt, tercentis pro Quadragesima, et centum pro Adventu assignatis. Verum *anno* 1816. postquam ab Italia Gallorum copiæ recesserant, Episcopus sancivit = *In avvenire tutte le Massarie si ripristineranno, siccome lo erano avanti del* 1797., *e fra un Mese dopo la pubblicazione di questa nostra Lettera Pastorale debbano rimanere nulle le elezioni, leggi, e formalità introdotte ec.* Quamvis ab hujus Decreti observantia Episcopus unam exceperit Ecclesiam Cathedralem, attamen *anno* 1818. Massales, obtentu tenuitatis redituum ab eo petierunt, ut li-

libellas ducentas, quas antea ipse, ejusque Antecessores tribuere solebant, Concionatori solvere dignaretur. Solvit Episcopus, sed expresso eleemosynæ titulo, non autem animo se obligandi; quam declarationem, vita functo eodem Episcopo, renovavit insequentibus annis Mensæ Episcopalis Administrator. Episcopatus possessionem nactus *anno* 1821. hodiernus Antistes, titulo similiter eleemosynæ, pensionem Concionatori Quadragesimæ præstitit; cumque Concionatori Adventus eodem titulo se soluturum declaraverit, pecunias recusarunt Massales, et quæstionem de stipendio Concionatori præstando, quam Allegatione, et Summario circumferendis exornant, EE. VV. dirimendam proponunt.

Episcopus, quem de more requisivi, in suis Litteris omnia hucusque narrata exponit, ac addit, se *anno* 1821. paratum exhibuisse ad dimidiam pensionem, sive *Libellas* 50. Concionatori Adventus persolvendas = *uti iam factum fuerat, nempe eleemosynæ titulo, si Massales dicta retributione indigerent; ipsi autem dictam retributionem recusare censuerunt* = Animadvertit deinde, I. *Decretum pro Ecclesiarum Operis, quod Gallicani Imperii appellatur, quodque in omnibus fere Cathedralibus hujus Ducatus, nec non in Pedemontio, et alibi etiam nunc viget, actum illegitimum, et violentum non ita facile dijudicandum esse; ut ut enim verum sit ad Gubernium minime pertinere de Ecclesiarum Operis decernere, legesque ferre de rerum Ecclesiasticarum administratione, certo tamen certius, hujus Cathedralis Operam semper habitam fuisse inter illas, quas laicales vocant, ac Gubernium ab antiquo semper intervenisse, cum agebatur de legibus ferendis pro ejusdem administratione; ast quomodocumque res se habeat, supradictum decretum validum, legitimumque tum effectum fuisse, non est ambigendum, cum ab Episcopo, tunc temporis auctoritate Apostolica induto, uti lex quædam a semetipso lata, dictum decretum Administratoribus hujus Cathedralis fuerit propositum, ab ipsis acceptatum, ac post Gallici Imperii fatum, nemine reclamante, vigere perduravit, ac in præsentiarum viget quoad omnes, et singulos novos articulos, eodem contentos, si preces, isti S. Congregationi anno p. p. exhibitæ pro Concionatorum stipendio, de quo agitur, excipiantur.*

II. *Quod*

II. *Quod autem Episcopus, qui dubio procul poterat tum Cathedralis, tum caeterarum Paraeciarum decreta ad Ecclesiarum Administratores pertinentia sarta tecta servare, potuerit dicta decreta quoad Paraecias aliquas dumtaxat abrogare, ac quoad Cathedralem ea integra relinquere, EE. VV. vident, penitusque perspiciunt.*

III. *Quod vero a Massalibus adjicitur, nempe istud minime licuisse, cum dicta exceptio in proprium comm…dum vergeret, non solum carere omni ratione, sed injuriosum laudabili, ac claræ memoriæ Prædecessoris mei Julii Cæsaris Pallavicini jure, meritoque existimo; enim vero præterquamquod ipse Episcopus Massalibus supradictis rationem reddere memoratæ exceptionis minime obstringebatur, putandum non est, ipsum sic egisse pecuniæ cupiditate ductum, cum plura extiterint, et extent, quæ ad sic agendum animum suum movere potuerint, eaque Pastorali sollicitudine, qua continuo flagrabat, valde digna; hinc, ne plura referam, sufficiat pro nunc asserere, sic agendi causas forsan fuisse ea, quæ effecere, ne dictum Decretum anni 1816., quod extensum vellent huic Cathedrali, nequaquam ad Paræcias, Ducatibus Parmensi, Lucensi, Mutinensi, et Massensi contentas, promulgaretur, ne videlicet Gubernium sese immisceret, prout temporibus elapsis factum fuerat, quoties actum fuit de legibus ferendis Massalibus Operarum, quæ uti laicales existimantur, inter quas recensetur hujus Cathedralis Ecclesiæ Opera.*

Præterea etsi huc usque exposita sufficere videantur, adeo ut constet, Massales Oratores lege obstringi ad integrum stipendium Concionatoribus solvendum, cum consequens sit, per decretum Gallicani imperii huic Cathedrali anno 1811. ab Episcopo meo Prædecessore, tunc temporis suprema auctoritate induto, propositum, et ab ipso in hac Cathedrali anno 1816. speciatim in plena, ac integra observantia omnimode servatum, et sine contestatione quoad omnia, ad hos usque dies vigens, quamcumque consuetudinem in contrarium, si extiterit, fuisse sublatam, abrogatam, ac deletam; attamen nonnulla adhuc adjiciam, quæ magis, magisque rem, quam pertracto, confirmant.

In primis ratio ipsa postulat, ut Massales hujus Cathedra-

dralis integrum stipendium Concionatoribus solvant; ipsi enim vi Decreti, honore, et privilegio Concionatores nominandi gaudent, quod quidem privilegium singulis annis exercere voluerunt, ac usque modo volunt, prout et aliis juribus, et prærogativis, dicto decreto ipsis concessis, frui continuo nituntur.

Dein addam, ipsos Massales ex contractu, vel quasi Concionatores tum Quadragesimæ, tum Adventus teneri integre retribuere: die enim 27. Martii 1816. (uti videre est ex schedula hic adnexa) Massales hujus Cathedralis rogarunt Administratores Hospitiorum hujus Civitatis pro consequendo reditus augmento, adeo ut inter cætera solvere valerent Concionatoribus stipendium libellarum quadringentarum, quæ quidem requiruntur, ac sufficiunt, ut annuatim Concionatoribus hujus Cathedralis integrum statutum stipendium elargiatur, tercentum videlicet Concionatori Quadragesimæ, et centum circiter Concionatori Adventus, ac die 17. Decembris anni 1821. intuitu onerum, quibus ipsi Massales satisfacere tenentur, sufficienter fuere provisi, cum reditus, ac proventus hujus Operæ ex libellis 3360. aucti fuerint ad libellas 5000. ejusdem monetæ Januensis, quas anno p. p. pacifice jam perceperunt, ac percipere absque ulla quæstione pergunt.

Quomodo ergo, si redituum, ac proventuum augmentum pro integro stipendio Concionatoribus ab ipsis nominandis solvendo Massales postularunt, ac ista de causa sunt consecuti, Episcopalem hanc Mensam, oneribus tantum divitem, gravare contendunt, quadam innixi consuetudine, quæ si extitit, per novam legem legitime propositam, et a dictis Massalibus acceptatam, et per novam reditus sufficientis huic muneri applicati constitutionem omnino sublatam esse, non est ambigendum?

Ex schedula ab Episcopo transmissa elicitur, quod reditus a Gubernio Gallico Operæ assignati annuas constituebant *Libellas* 3718. Cumque Operarii putarent in eisdem reditibus statuendis nullam habitam fuisse rationem *Libellarum* 400. Concionatori præstandarum, aliarumque impensarum, ideo *anno* 1816. petierunt ab Administratoribus Hospitiorum augmentum *Libellarum* 1800., quod si obtinuissent, reditus ad annuas

Li-

Libellas 5518, ascendissent. Quare si proventus ad *Libellas* 5000., ut refert Episcopus aucti fuerunt, liquido constat, Operæ Cathedralis *Libellas* 518. quotannis adhuc deesse.

Verbi Dei prædicatio præcipuum est Episcoporum munus, eorumque ita proprium, ut non solum nemini sine ipsorum venia liceat Sanctum Evangelium populo annunciare, sed insuper per se in sua Ecclesia munus illud obire teneantur, *Cap. Inter cætera. de Offic. Ord.*, *Conc. Trid. Sess.*5. *cap.*2., *et Sess.*24. *Cap.*4. *de Reform. Ferrar. Bibliot. verb Prædicare num.*1. *et seq.* Si autem legitime impediti fuerint, viros idoneos, qui eorum vices gerant in Cathedrali, propriis sumptibus deputare adstringuntur, *cit. Cap. Inter cætera, ibique Fagnan. num.*19., *Barbos. de Off. et potest Episc. part.* 3. *alleg.* 76. *num.* 15.: quod onus adeo Episcopis inhæret, ut quamvis Universitas, vel quivis alius quadraginta annorum spatio necessariam exhibitionem Concionatori præstare solitus fuerit; Episcopus tamen = *non potest compellere populum ad consuetam eleemosynam, quia Concilium* (Tridentinum) *sustulit consuetudinem non immemorabilem, secundum quam præstatio eleemosynæ alteri,quam Episcopo in sua Cathedrali incumbit* = uti ex sententia hujus Sac. Congregationis docet *Fagnan. in cit. cap. Inter cætera num.* 23.; et firmant *Pignatel. tom.* 4. *consult.* 206. *num.* 3., *Diana part.* 7. *tract.*5. *miscell. resol.*7.

Minime ambigitur, Episcopos Sarzanenses usque ad *annum* 1811. integrum tribuisse stipendium Concionatori Cathedralis, quem libere elegerunt: Massales autem aliquibus tantum annis illud præstitisse, ut temporum ratio ferebat, et *anno* 1818., nec non sequentibus annis ab Episcopo antiquam præstationem petiisse. Itaque nedum æquitati, sed et justitiæ consentaneum videtur, ut Episcopus stipendium saltem juxta antiquam mensuram Concionatori persolvat. Nequid autem desit, Massalium Defensores (qua facultate id agant prorsus ignoratur) aperte declarant, Concionatoris electionem privative spectare ad Episcopum; qui tamen retulit, quod iidem Massales privilegium eligendi Concionatorem *singulis annis exercere voluerunt, ac usque modo volunt*.

Nullo vero pacto sibi obesse arbitrantur Massales Decretum Gallicum, quod usque ab initio irritum, ac inane fuisse dicunt: et licet ex confirmatione Episcopi, auctoritate Apostolica præditi, vim obligandi adeptum deinde fuerit, illud tamen una cum Gallico regimine interiisse, ac robur omne amisisse affirmant. Summus enim Pontifex (ita Massales disserunt) Episcopo facultatem indulsit decretum confirmandi, ut inter potestatem Ecclesiasticam, civilemque tunc temporis Rempublicam declinarentur contentiones, ex quibus graviora mala, calamitosis illis temporibus, Ecclesiæ timenda erant. Turbulentissimi autem dies simul ac præteriere, Decretum quoque, etsi auctoritate Apostolica confirmatum, suapte natura consenuit; cessante siquidem ratione, et causa legis, omnis ejus vis, atque potestas corruit, ac penitus evanescit, *arg. L. adigere §. quamvis ff. de jurepatr.*, *Suarez lib. 6. de legib. cap. 9. num. 5.*, *Layman lib. 1. tract. 4. cap. 21. num. 3.*, *Voet. ad Pandect. lib. 1. tit. 3. de leg. num. 43.*

Negant denique Massales, jus exigendi ab Episcopo stipendium Concionatori pendendum amitti potuisse ob augmentum redituum *anno* 1821. obtentum. Quum enim longe ampliores olim forent *Operæ* reditus; quum hodie hujusmodi augmentum impar sit cunctis ferendis oneribus, pro quibus efflagitatum fuit, et quæ in eo poscendo distincte, et singillatim enumerata non fuere: illud impertitum dicunt pro cæteris impensis tantummodo, quæ Operæ inhærent; non autem ad solvendam pensionem Concionatori, quæ juxta sacrorum Canonum sanctiones est ab Episcopo præstanda.

Verum Episcopus Decretum Gallicum validum fuisse contendit, non modo quia potestas laica in legibus constituendis pro administratione *Operæ* Cathedralis ab antiquo semper intercessit; verum præcipue quia ratum, ac legitimum evasit confirmatione Apostolica, et acceptatione ipsius Operæ, quæ pluribus annis Concionatorem nominavit, eique integrum stipendium sine ulla querela pependit. Negat autem illud esse antiquatum, cum nulla contraria lex lata fuerit, cumque adhuc vigeat finis, et causa Decreti. Esto enim ratio confirmationis Apostolicæ fuerit avertendi mala,

quæ

quæ obvenire poterant Ecclesiæ, si Episcopi Decreto Gallico obstitissent; finis tamen, et causa Decreti fuit transferendi in Massales onus stipendii Concionatoribus debiti: qui finis etiam post cessationem Gubernii Gallici firmus, et integer adhuc perseverat: hinc in Ecclesiis Cathedralibus finitimarum Diœcesum suo robore adhuc pollet, et in Diœcesi Sarzanensi, ut viribus destitueretur quoad inferiores Ecclesias, decretum pro illius abrogatione ab Episcopo edi oportuit.

Præterea Massales suo lubitu eleemosynam auxerunt ad *Libellas* 400.; hoc itaque augmentum ipsi quocumque in casu præstare adstringuntur, uti censuit Sac. Congregatio Episcop apud *Pignat. tom.* 4. *consult.* 206. *n.* 58. Quod vero attinet ad alias *Libellas* 200., eas similiter solvere tenentur Massales, quoniam usque ab initio a Gubernio Gallico tributi fuerunt reditus pro impensis Operæ, ac proinde nominatim etiam pro stipendio Concionatoris: aucti dein fuerunt iidem reditus *anno* 1821., præcipue ob memoratum stipendium Concionatoris, cum hanc quoque ob causam augmentum postulandum expresse fuerit constitutum; quidquid deinde in eo flagitando contigerit, et sive indistincte, sive singillatim enunciata fuerint onera, pro quibus petebatur. Igitur si Episcopus ad solvendam pensionem cogeretur, bis idem consequerentur Massales contra regulam, quod *bona fides non patitur, ut bis idem exigatur, Reg. J.* 83. *in* 6., *et L.* 57. *ff. de Reg. Jur.*, *L.* 51. §. 1. *in fin. ff. de Re-judic.*

Denique pro Episcopo est animadvertendum, Concionatoris nominationem, quam sibi arrogarunt, et hodie quoque, Episcopo teste, arrogant Massales, ipsum immunem reddere a quavis præstatione stipendii. Electioni siquidem inhæret onus exhibendi eleemosynam. Cum enim ad Episcopum ex Sacrorum Canonum præscripto pertineat libera Concionatoris electio in sua Cathedrali, potest quidem, si velit, eam sibi vindicare etiam adversus Universitatem, quæ ab immemorabili tempore Prædicatorem nominare, eique stipendium solvere consuevit: sed tunc ipse debet eleemosynam tribuere ex decreto hujus Sac. Congregationis apud *Fagnan. in cit. cap. Inter cætera. n.* 24.

Si tamen Episcopus sinat, ut Communitas nominet, eam compellere potest ad præstandam solitam eleemosynam, quemadmodum Sac. Congregatio respondit *in Ariminen*. 29. *Octob.* 1583 *apud Pignat. tom.* 4. *consult.* 206. *n.* 49. Imo si adesset consuetudo, ut alternis vicibus Episcopus, atque Communitas nominarent, stipendii quoque solutio alternatim esset facienda, *Sac. Congr. in Viterbien.* 14. *Martii* 1663. *apud Pignat. loc. cit. n.* 45. Quamobrem cum Episcopus Sarzanensis sinat, Concionatorem quotannis a Massalibus nominari, ab ipsis qui reditus ea de caussa assignatos percipiunt, integrum stipendium persolvendum videtur.

Cætera, quæ pro Massalibus afferuntur, ex eorum Allegatione, et Summario haurient EE. PP., quorum sapientiæ erit dirimere

Dubium

An, et ad quem spectet onus solvendi eleemosynam Concionatori Cathedralis in casu etc.

Affirmative, et, facta per Messalem declaratione nullum sibi jus competere nominandi, spectare ad Episcopum.

Sess. 21. *Cap.* 12. *et sess.* 25. *cap.* 5. *de Reform.*

COMACLEN. Gravis exarsit controversia *anno* 1816. inter Antonium Gentili Archipresbyterum Ecclesiæ Catedralis Comaclensis, et Cajetanum Samaritani possessorem Præbendæ Canonicalis a S. Pio V. in eadem Ecclesia erectæ, fuitque *die* 11. *Julii* 1818. in hac Sac. Congregatione proposita sub Dubio; *An, et quomodo Possessores Canonicatus S. Pii V. nuncupat. teneantur coadjuvare Archipresbyterum Comaclen. in cura animarum in casu etc.*, et rescriptum prodiit: *Affirmative juxta providam ordinationem ab Episcopo omnino faciendam*; renovatoque certamine *die* 6. *Martii* 1819.

1819. edita resolutio confirmari meruit responso: *In decisis.*

Rescripta S. Congregationis, instante Archipresbytero, executioni mandavit Episcopus, qui die 25. *Januarii* 1821. in actu Sac. Visitationis ita decrevit = *Modernus Possessor* (Canonicatus S. Pii V.) *onus suscipiat Doctrinam Christianam interdum visitandi, indeque pueros interrogandi*: ejus vero successoribus *nunc pro semper onus imponimus Doctrinam Christianam in Cathedrali Templo diebus Dominicis, et toto tempore Quadragesimæ docendi. Dum vero Parochus, seu Archipresbyter aliquo reali, sed non habituali morbo laboret, detineaturque, prævio monitu tempore congruo eidem Canonico Præbendato faciendo, etiam Parochiales, et Cathechisticas Conciones habendi (si hoc opportunum videtur Parocho) confessiones audiendi, salvis semper juribus hinc inde spectantibus, et in eadem Bulla S. Pii V. hac de re contentis.*

Alia deinde exorta est contentio: Episcopus enim annua obtinuit *scuta quinquaginta* a publico Comaclensi ærario, alicui tribuenda ex Canonicalibus Præbendis, ut altera post Archipresbyteralem institueretur dignitas. Cum vero idem Episcopus, majori Capituli parte assentiente, memoratam Præbendam S. Pii V. Archidiaconatus dignitate honestandam designasset, obstitere Archipresbyter, et nonnulli ex Canonicis existimantes alium potius deligendum esse Canonicatum, qui onere coadjuvandi Archipresbyterum minime gravaretur. Re ad hanc Sac. Congregationem delata, et in Comitiis *diei* 9. *Februarii* 1822. propositis Dubiis. I. *An præbenda S. Pii V. erigenda sit in Dignitatem Archidiaconatus in casu etc.* et quatenus negative II. *An, et quæ alia sit erigenda in Dignitatem in casu etc.*, rescripta *die* 27. *Aprilis ejusdem anni* prodiere: *Ad* I. *Affirmative juxta votum Episcopi. Ad II. Provisum in primo.*

Redintegrandi certaminis veniam impetravit Archipresbyter; supplicem vero Episcopus obtulit libellum, ut quam citius edita resolutio confirmaretur. Preces eidem Episcopo ablegatæ fuerunt *pro nova informatione, et voto, audito Capitulo, ut referret, quæ Præbenda erigenda foret in Dignitatem Archidiaconalem*

habi-

habito respectu redituum, antianitatis, et Constitutionum Capitularium- Episcopus in suo responso hæc habet. *Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Comaclensis, ut par erat, sub die 5. Decembris 1822. collegialiter convocavi ... Ea, quæ ego sentio, et illi omnes sentiunt, quod scilicet Canonicus Cajetanus Samaritani in secunda Archidiaconali Dignitate propter sui ipsius merita pro nunc collocetur. Postea vero in Dignitatem Archidiaconalem erigendam fore censuerunt Præbendam Poenitentiarii, habito respectu redituum, et antianitatis illius præbendæ, et insuper moderni Possessoris. Quoad me non dissentio; facta tamen ipsi Poenitentiario obligatione inserviendi Episcopo in Trhono, diebus Pontificalium, et assistentiæ, prima Dignitate legitime impedita. Hic vero dicendum juvat, quod hæc ipsa Præbenda est altera jam a S. Pio V. cum iisdem oneribus instituta, scilicet coadjuvandi Archipresbyterum juxta ordinationem ab Episcopo omnino faciendam, ast tractu temporis erecta in Poenitentiariam, et consequenter exempta ob omni alio onere.* Si tamen neutram ex his duabus Præbendis in dignitatem erigere EE. VV. arrideat, Capitulum in sua collegiali resolutione monet, quod = *Si considera per Prebenda, avente i requisiti voluti dalla S. Congregazione del Concilio, quella di S. Clemente, attualmente posseduta dal Canonico Mariano Fogli, e quella di S. Girolamo che é la Teologale, erette tutte, e due da Clemente VIII. di S. M., alle quali Prebende non si trova pure alcun ostacolo nelle nostre Costituzioni.*

Archipresbyter Gentili non minus de rescripto conqueritur, quo hic Sacer Ordo *die 27. Aprilis* 1822. statuit, Præbendam S. Pii V. erigendam esse in dignitatem Archidiaconatus, quam de Episcopi decreto quoad opem a Possessoribus ejusdem Præbendæ ipsi Archipresbytero ferendam in animarum cura; idcirco utraque controversia hodie, etiam attenta connexione, simul definienda proponitur.

Decretum Episcopi a justitia, a fundatione Canonicatus, atque a mente hujus Sac. Congregationis devium existimat Archipresbyter Gentili: nam in dubium revocari minime posse ait, a possessoribus Canonicatus S. Pii V. trientem percipi fructuum, qui ad Archipre-

presbyterum pertinebant. Si fructus Archipresbyteratus lucrantur justitiæ consonum est, ut Archipresbyterum adjuvent in cura animarum gerenda, neque enim ferendus est, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem annexum contemnit, *L. unic. §. pro secundo Cod. de Caduc. tollen.*, et *R. 55. J. in 6.* Exploratum vero est in facto, possessores ejusdem Canonicatus in Bulla erectionis adstringi *una cum eodem Archipresbytero Ecclesiæ præfatæ deservire, oneraque illi incumbentia supportare juxta providam ordinationem per Episcopum desuper faciendam.* Tandem hæc Sac. Congregatio, semel atque iterum requisita, hujusmodi ordinationem ab Episcopo omnino faciendam decrevit.

Igitur si manum, et operam in animarum cura exercenda Archipresbytero præstare tenentur possessores Canonicatus S. Pii V.; hanc operam tum hodiernus Canonicus Cajetanus Samaritani, tum ejus Successores præbere debent in iis omnibus, quæ Archipresbyter, aut morbo laborans, aut legitime impeditus per seipsum obire nequit; imo Sacramenta ministrare tenentur, aliaque ad animarum curam pertinentia peragere, quoties a Populo, vel Archipresbytero vocati fuerint, uti in simili casu respondit S. Congregatio in *Mediolanen. Jurium Parochialium 3. Decembris* 1735. Ex fundatione enim, cui apprime concinit hujus Sac. Ordinis definitio, Possessores Præbendæ S. Pii V. non vices tantum Archipresbyteri in necessitatis casu supplere; sed *una cum eodem Archipresbytero Ecclesiæ præfatæ deservire, oneraque illi incumbentia supportare coguntur.*

Decretum Episcopi ab hujusmodi onerum impositione quam longissime abesse putat Archipresbyter Gentili, quia Canonico Samaritani officium tantummodo tributum fuit *Doctrinam Christianam interdum visitandi, indeque pueros interrogandi*: ejus vero Successores jussi quidem sunt Doctrinam Christianam in Cathedrali Templo docere, etiamsi Archipresbyter optima valetudine fruatur, et dum aliquo reali laboret morbo, ejus vices supplere, sed unice in Parochiali Concione habenda, et in audiendis Confessionibus. Quapropter nec Viaticum infirmis deferre, nec extre-

mam

mam Unctionem eis ministrare, nec animam agentibus præsto esse, nec aliis boni Pastoris muneribus fungi iidem Successores adstringuntur. Item si Archipresbyter aliquo habituali (uti nunc Sacerdos Gentili) morbo vexetur, nullo, præter Doctrinam Christianam docendi, onere premuntur; ac proinde melior eorum evadet conditio, si diu, quam si brevi tempore Archipresbyter morbo laboret, ideoque illorum opera deerit, quum major animarum urget necessitas. Reformandum itaque dicit Episcopi Decretum, et Canonico Samaritani, ejusque Successoribus onus præstituendum, ut suppetias ferant Archipresbytero in animarum cura gerenda, quoties aut legitimo impedimento detineatur, aut ipsi libuerit aliqua iisdem officia demandare. Neque hujusmodi onus imminuendum censet favore ejusdem Canonici Samaritani, quin in Litteris Apostolicis collationis Canonicatus nulla occurrat mentio coadjuvandi Archipresbyterum: proavisiones enim Apostolicæ nunquam præcedentem immutant Beneficiorum statum *ad tradita per Piton. de Controv. Patron alleg.* 72. *num.* 11., *et Rotam in Compostellana Parochialium* 9. *Junii* 1752. §. 17 *coram Figueroa, et in Leodien. Unionis* 10. *Junii* 1774 §. 16. *cor. Litta*. Possessores vero Canonicatus S. Pii V. gravatos antea fuisse onere coadjuvandi Archipresbyterum tum ex Bulla erectionis, tum liquido constat ex facto; siquidem in Actis Sacræ Visitationis ab Episcopo Sacrati *anno* 1574. peractæ refertur, duos Canonicatus Apostolica auctoritate erectos fuisse; *ut Archipresbyter in Sacrorum administratione, et Ecclesiæ obsequio prædictis Canonicis pro Coadjutoribus uteretur*, curamque animarum ipsum Archipresbyterum exercere *coadjuvante sibi D. Francisco de Zannis, ejusdem Ecclesiæ Canonico, per Ordinarium ad animarum curam exercendam approbato*. Episcopus quoque Borea *anno* 1654. de prædictis Canonicatibus mentionem habuit his verbis = *Fuerunt antiquitus, ab annis scilicet septuaginta quatuor circa, erecti duo Canonicatus, ut Archipresbyterum ipsum in administratione Sacramentorum coadjuvarent, illiusque Coadjutores essent.* Tandem ex Codicibus Parochialibus eruitur possessores Præbendæ S. Pii V. præsto fuisse Archi-

chipresbytero, Sacramenta administrando, conciones habendo, opem in extremo vitæ agone positis ferendo. Perspicuum idcirco existimat Archipresbyter Gentili, quod Canonicus Samaritani ad tramites Decreti Episcopi injuste ab eo eximeretur onere, quod S. Pius V. illi imposuit, quodque nec ejus antecessores ferre renuerunt.

Erectioni alterius Dignitatis titulo Archidiaconatus non obsistit Archipresbyter Gentili; minime tamen assentitur, ut præbenda S. Pii V. in dignitatem erigatur: a qualibet enim dignitate, præcipue vero ab Archidiaconali, nomine, et potestate olim in Ecclesia amplissima, uti patet *ex cap.* 1. *De off. Archidiacon.*, *et ex Conc. Trid. cap.* 1. *Sess.* 24., absonum arbitratur alteri inservire, ac fere ab ejus nutu pendere; cum ex citat. Tridentina Synodo *Sess.* 21. *cap.* 12. *de reform.* constet, in Ecclesiis præsertim Cathedralibus Dignitates institui ad augendam, conservandamque Ecclesiasticam disciplinam. Possessores Præbendæ S. Pii V. onere premuntur coadjuvandi Archipresbyterum; ac propterea alteri inservire, eaque peragere debent, quæ Archipresbytero libuerint. Timet etiam Archipresbyter, ne sibi, suisque Successoribus damnum aliquod inferatur ex erectione ejusmodi Præbendæ in Dignitatem Archidiaconatus: facile siquidem Archidiaconi sibi suadere possunt, eos reapse non decere Archipresbytero opitulari, ac parere in animarum cura gerenda: ex quo fiet, ut aliqua primum dedignentur obire munia, ac deinde paulatim jugum penitus depellere nitantur.

Canonicus vero Samaritani Decretum ab Episcopo latum S. Congregationis rescriptis, atque æquitati apprime consonum affirmat. Quum enim S. Congregatio definiverit, Possessores Canonicatus *S.* Pii V. opem Archipresbytero ferre debere *juxta providam ordinationem ab Episcopo omnino faciendam*, ejusdem Episcopi prudenti arbitrio reliquit ea Canonicis præscribere, quæ tum justitiæ, tum æquitati consona censeret. Plura sane Episcopum præ oculis habere oportuit. Quamvis enim in Bulla erectionis Canonicatui, quem nunc possidet Canonicus Samaritani, munus impositum fuerit serviendi Ecclesiæ Cathedrali, onera-

raque illi incumbentia supportandi: quæ tamen onera eidem Canonicatui ab Episcopis injuncta fuerint, inter antiquitatis tenebras latet. Nullum imo onus præter Chori servitium impositum fuisse testatus est Episcopus Lugaresi in actis Sac. Visitationis *anni* 1745. his verbis = *Iste Canonicatus ex vi Apostolicæ institutionis debuisset habere onus coadjuvandi Archipresbytero; sed quia ab Episcopo decernendum supererat, in quo deberet adjumentum præstare, nec ulla invenitur memoria de oneribus in prima collatione specificatis, ideo reservandum erit ad occasionem novæ collationis expendere, quid juris fuerit, cum modernus Possessor nullo gravamine, nec unius Missæ taxatum illum habuerit, pacificeque possederit.*

Neque postea cogitatum unquam fuit de aliquo onere Canonicatui imponendo, ita ut Sacerdos Cajetanus Samaritani nullo similiter, præter Chori servitium, onere gravatum *anno* 1797. illum obtinuerit, ac *ad annum usque* 1816 pacifice possederit. Quidquid itaque narrant Episcopi Sacrati, et Borea de onere, quod Canonicis S. Pii V. imponendum erat; quidquid præterea testantur Libri Parochiales; intelligendum necessario est de iis muneribus, quæ Canonici aut sponte, aut tamquam Capellani Curati obibant. Archipresbyter enim ab antiquissimis temporibus, et hodie quoque tribus Capellanis in animarum cura exercenda uti consuevit, atque hinc nil mirum, si in Parochialibus Codicibus occurrat mentio de Canonicis Archipresbyterum opitulantibus; cum in eisdem aliquando etiam declaretur, quod Canonici munere Capellani Curati fungebantur.

Præterea onus Possessoribus Canonicatus S. Pii V. injungendum favore Archibresbyteri par esse debebat redditibus ex Archipresbyteratu proficiscentibus. Jam vero Præbenda, quam obtinet Canonicus Samaritani annuos dat fructus *scutorum* 99. 95., neque ambigitur, dumtaxat *scuta* 29. 95. ex Archipresbyteratu provenire; reliqua vero haberi ex decimis a Clemente VIII. *anno* 1598. assignatis tum Archipresbytero, tum cæteris Canonicis, non quidem ad ferenda onera animarum curæ, sed *quia Cathedralis Ecclesiæ, nec non Capituli, et Canonicorum Comaclen. reditus valde te-*

nu-

nues existunt. Accedit etiam, Canonicum Samaritani nihil consequi ex incertis emolumentis, quæ satis amplam constituunt summam, et quæ superius memoratis tribus Capellanis assignari solent.

Denique in Bulla S. Pii V. munus inserviendi Ecclesiæ Cathedrali, oneraque illi incumbentia supportandi non uni Canonicatui, quem possidet Canonicus Samaritani, impositum fuit, sed æque alteri Canonicatui Apostolica auctoritate *anno* 1657. in Præbendam Pœnitentiariam erecto: ideoque non integrum pondus Archipresbyterum coadjuvandi in Canonicum Samaritani, ejusque Successores refundendum erat. Inde vero concludit Canonicus Samaritani, justitiæ non minus, quam æquitati consentaneum esse, ut ipse, qui Præbendam sine onere coadjuvandi Archipresbyterum obtinuit, aliquo dumtaxat ab Episcopo gravetur onere: futuris vero Possessoribus majora quidem onera imponantur, sed non ita, ut Archipresbyter, qui unus animarum est pastor; ac proinde Curæ pondus ferre cogitur, in Possessores Præbendæ S. Pii V. totam animarum curam deponat.

Quoad controversiam de erigendo Canonicatu S. Pii V. in dignitatem Archidiaconatus, animadvertit Canonicus Samaritani, nihil indecori, nihil sacris Canonibus adversi intercedere: quin imo id esse Tridentinæ Synodo omnino consonum. Etenim in *cit. cap.* 12. *Sess.* 24. quædam præscribuntur dotes in iis, qui ad dignitates quascumque promovendi sunt, quæ animarum curam habent adnexam. Possessores vero Canonicatus S. Pii V., utpote Coadjutores Archipresbyteri, saltem in partem sollicitudinis animarum curæ vocati sunt, ac propterea ipsos potius, quam cæteros Canonicos, Archidiaconatus dignitas decet. Neque Archipresbyteris timendum est, ne Canonici S. Pii V. hac nova dignitate suffulti munus suum negligant; facilis enim ad Episcopum patebit aditus, qui Archidiaconos, inflictis, si opus fuerit, pœnis, in officio contineat.

Verum si EE. VV. alium potius Canonicatum Archidiaconatus honore honestandum censuerint, videant quæso, quisnam ex Canonicatibus ab Episcopo, et Capitulo propositis deligendus sit. Perpendant quo-

que, utrum assistentia, quam Episcopo Pontificalia exercenti, absente Archipresbytero, præstare deberet Archidiaconus, componi queat cum officio Canonici Pœnitentiarii: Tridentina enim Synodus *Sess.24.cap.8. de reform.* Canonicos Pœnitentiarios in omnibus Cathedralibus Ecclesiis instituendos præcepit, ut fidelium confessiones exciperent.

Cætera habent Emi Patres in Foliis dierum 11. *Julii* 1818., 6. *Martii* 1819., *et* 9. *Februarii*, *ac* 27. *Aprilis* 1822., quæ resumere precor, ut decernere possint

Dubia

I. *An constet de legitima executione Rescriptorum Sacræ Congregationis in casu etc.*

Et quatenus negative

II. *An, et quomodo Rescripta Sacræ Congregationis sint exequenda in casu etc.*

III. *An sit standum, vel recedendum a decisis die 27. Aprilis 1822. quoad I. Dubium in casu etc.*

IV. *An sit standum, vel recedendum a decisis quoad II. Dubium in casu etc.*

Ad I. Negative.

Ad II. Affirmative quoad rescripta 11. Julii 1818., et 6. Martii 1819. juxta modum, nempe ita ut Canonicus Samaritani onera tantum ab Episcopo in decreto executoriali sibi imposita adimplere teneatur; ejus vero Successores præter onera in dicto decreto ipsis imposita teneantur Archipresbytero infirmo, vel ex legitima causa ab Episcopo approbata impedito omnia munia Parochialia exercere, et tunc præesse Cappellanis Curatis.

Ad III. Recedendum a decisis, et erigendam esse in Dignitatem Præbendam S. Clementis.

Ad IV. Provisum in tertio.

Sess. 21. *cap.* [?]*. de Reformat.*

ALBANEN. MEDIÆ ANNATÆ. Canonicatum in Collegiata Ecclesia Ariciæ, olim Civitatis Latii, nunc Oppidi

pidi Albanensis Diœceseos, quicumque adipiscitur, Fabricæ ejusdem Ecclesiæ medietatem fructuum primi anni, seu, ut vocant, *mediam annatam* solvere debet. Cum autem nonnulli a Dataria Litteras Apostolicis collationis obtinuerint, de media annata præstanda ab ejusdem Fabricæ Œconomo requisiti, eam solvere recusarunt; atque ad jurgia eliminanda hanc S. Congregationem adierunt, ut quod juri sit consonum, decernere dignetur. *et Sess.* 24. *cap.* 14. *de Reform.*

Rogatus Emus Episcopus hæc distincte retulit ,, Res est ,, profecto compertissima, ad mediam hanc annatam ,, non teneri Possessores Beneficiorum, quæ S. Sedi ,, Apostolicæ *reservata*, vel *affecta* sunt, cum hac ,, in parte clara sit Constitutio S. M. Benedicti XIII. ,, Hæc autem verba, quod attinet ad Collegiatam Ari- ,, cianam, referri non possunt ad eas præbendas, quæ ,, per accidens a Dataria collatæ sunt, sed eidem ex ,, sui natura neque reservatæ, neque affectæ sunt. ,, Apud eam enim invaluit consuetudo et factis, et ,, scriptis confirmata, quod = *Canonici omnes* (sunt ,, verba ex Ecclesiæ Tabulario expressa) *qui Cano-* ,, *nicatus possessionem acquirunt*, *exceptis illis per* ,, *resignationem*, *et Coadjutoriam*, *tenentur ad solu-* ,, *tionem mediæ primæ annatæ* = Porro cum certum ,, sit, hanc consuetudinem in ea Ecclesia obtinere, ,, et ab omnibus servari, cumque insuper certum sit ,, ea nonnisi possessores Canonicatuum, qui per re- ,, signationem, et coadjutoriam quæsiti sunt, a dimi- ,, dio redituum primi Anni pro Fabrica Ecclesiæ eri- ,, genda immunes esse; ob regulam contrariorum cla- ,, re descendit, hoc beneficio juvari eos non posse, ,, qui alio quovis modo præbendas nanciscuntur; ex- ,, ceptio enim firmat regulam in contrarium. In Syno- ,, do Diœcesana, vel in Decretis Sacrarum Visitatio- ,, num nihil extat, quod ad rem præsentem pertineat.

Notissima est Constitutio S. M. Benedicti XIII. *anno* 1725. edita, et incipiens *Pius*, *et Misericors*, qua statuitur = *ut per totam Italiam*, *et Insulas adjacentes in posterum provisi de Canonicatibus*, *vel Beneficiis in Ecclesiis Collegiatis sitis*, *teneantur solvere*, *et respective deponere mediam Annatam pro Fabrica Ecclesiæ Collegiatæ* . . . *dummodo collationis institutionis*, *et provisionis S. Sedis minime existant*, de qua Consti-

stitutione latissime disserit Rota in *Faventina Mediæ Annatæ* 20. *Aprilis* 1795., *et* 11. *Aprilis* 1796. *cor. Acciajuoli per tot.* Itaque Aricini Canonici a S. Sede provisi, qui a Dataria Litteras Apostolicas obtinuerunt, jure negasse videntur solutionem mediæ annatæ pro Beneficiis quidem, et præbendis præstandæ, sed dummodo *collationis*, *institutionis*, *et provisionis S. Sedis minime existant.*

Accedit, mediam annatam bis non esse solvendam in unica vacatione, uti tradunt *Petra Comm. ad Const. Apost. ad Constit. VI. Pauli II. num.* 24., *Mandos. de Annat. num.* 168. *Cas.* 371., *Galles Tract. de Annat. circa finem vers. ex hujus regulis*, *Amayd. de stylo Datariæ lib.* 1. *Cap.* 18. §. 3., *Lotter. De Re Beneficiar. Lib.* 3. *Cap.* 20. *num.* 17., et in terminis Annatarum, quæ solvuntur Capitulis, Sacristiæ, vel Fabricæ, id præcise notant *Petra loc. cit. num.* 28., *et Rota cor. Manzanedo dec.* 842. Cum itaque in actu expeditionis Litterarum Apostolicarum provisus mediam annatam solvere teneatur; consequens erit, ut aliam Fabricæ Ecclesiæ solvere non debeat, ne deterioris conditionis sint provisi a S. Sede, quam ab Episcopo: atque hac ratione non teneri Provisum Apostolicum ad aliam solutionem docent *Passerinus in Cap. Si propter. num.* 22. *de rescriptis in* 6., *et Petra ad Constit. V. Joann. XXII. vol.* 4. *fol.* 47. *num.* 22., *S. Congregatio in Tudertina Mediæ annatæ* 13. *Junii* 1744. §. *Omnem.*

Nec novum est, quod eadem S. Congregatio minime provisos Apostolicos ad solutionem teneri decernat, ut in *Ariminen. Mediæ Annatæ* 15. *Januarii* 1735., in qua erat quæstio de Proviso a S. Sede, et proposito Dubio = *An sit locus solutioni Mediæ Annatæ in casu etc.* responsum prodiit = *Negative* =

Mediæ tamen annatæ solutio in themate nequaquam repugnare videtur Benedictinæ Constitutioni, quæ mentionem habens de Beneficiis *affectis*, et *reservatis*, non ad ea, quæ per accidens, verum ad illa, quæ ex Regulis Cancellariæ Summus Pontifex perpetuo sibi reservata, et jure ordinario a se voluit conferenda, respexisse censetur. *S. Congregatio in cit. Tudertina* 1744. §. *Quod si.* Præsertim cum media Annata,

gia, quæ penditur Capitulis, differat ab illa, quæ solvitur Datariæ, *Rot. in Recent. part.* 2 *decis.* 659. *num.* 4, *et cor. Seraph. decis.* 1410. *n.* 11., quapropter non duplex mediæ annatæ, sed unica respective dicenda est solutio.

Plurimi vero facienda videtur adnotatio, quam ex Aricinæ Ecclesiæ Tabulario erutam testatur Emus Episcopus, et ex qua habetur, quod = *Canonici omnes, qui Canonicatus possessionem acquirunt, exceptis illis per resignationem, et coadjutoriam, teneantur ad solutionem mediæ primæ annatæ* = Ambiguum proinde non est juxta hujusmodi adnotationem, eos tantum Canonicos, qui per resignationem, et coadjutoriam Canonicatum sint adepti, a mediæ annatæ solutione immunes esse. Adnotationi adstipulatur consuetudo ab omnibus Canonicis constanter servata, cujus maximam vim esse nemo ignorat, et præcise quoad mediæ annatæ solutionem admonet Sac. Congregatio *in cit. Tudertina* 13. *Junii* 1744. *in Leodien. Fructuum Canonicatus* 9. *Augusti* 1777., *et in Voto Secretarii in Tricarien.* 12. *Septembris* 1801. §§. 10. *et* 11.

Quibus præmissis, proponitur EE. VV. dirimendum

Dubium

An sit locus solutioni mediæ annatæ in casu etc.

Dilata, et coadjuventur probationes circa legitimam assertam consuetudinem.

SORANA REDUCTIONIS, ET ABSOLUTIONIS = Maria Jesualda Baccari, Uxor Antonii Rezza de Casalverio, Soranæ Diœcesis Oppido, cum rei familiaris administrationem, annuente Viro, susceperit, ac noverit, compluribus Missarum oneribus gravari Familiam suam, iis ferendis omnino imparem, etsi *anno* 1811 a Pontifice Summo eadem onera ad quinquennium reduci impetraverit; novam illorum, et ampliorem reductionem, nec non absolutionem quoad præteritas omissiones supplex implorat. *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Reform.*

Singula Legata indicat, remque omnem diserte pandit Soranus Episcopus in sua Informatione, quam oculis

EE.

EE. PP. subjicio. *Statui tempore Sac. Visitationis omnia personaliter colligere, quæ ad objectum pertinerent. Itaque comperii, primo familiam Oratricis gravi vexari inopia, ita ut vix* 80. *scuta supersint pro honesta sustentatione Antonii Rezza, ejus Conjugis, Felicis ejusdem Antonii Matris, ac trium Sororum, nempe Aloysiæ, Franciscæ, et Xaveriæ, nec non Caroli Filii, ac Mariæ Annæ, et Philippæ filiarum, quibus omnibus constat: deinde comperii, bona Legatis obnoxia vel alienata esse, vel gravibus necessariis oneribus sæcularibus innodata existere. Hisce itaque positis, si Sacræ Congregationi videtur, censerem Missas* 150., *ad quarum adimplementum annuatim tenetur Oratrix cum stipendio obolorum* 16. *pro Legato quondam Caroli Rezza, et Horatiæ, ac Isabellæ De-Vecchis* (primæ ac secundæ ejus conjugum) *jam reductas ad Missas* 35. *de anno* 1811. *ad quinquennium, reducere iterum vix posse ad annuas Missas* 20. *cum stipendio, ut supra, remisso inadimplemento de anno* 1816. *usque ad præsens: Missas vero* 35. *annuatim pro eodem Legato cum stipendio obolorum* 12. *reductas ad quinquennium ad annuas Missas* 13. *anno* 1811., *reducere posse pro unoquoque anno ad Missas* 7. *cum eodem stipendio, remisso pariter inadimplemento de anno* 1816. *usque ad præsens: Missas* 42. *pro Legato Felicis De-Vecchis* (matris Antonii Rezza) *cum stipendio obolorum* 12. *aliter reductas ad quinquennium anno* 1811. *ad Missas* 17., *reducere posse ad Missas* 8. *cum eodem stipendio, remisso inadimplemento de anno* 1816. *usque ad præsens: Missas* 12. *cum stipendio obolorum* 8. *pro Legato adnexo bonis dotalibus ipsius Oratricis, jam antea reductas ad Missas quinque de anno* 1811., *iterum reducere posse ad Missas duas cum stipendio obolorum* 12. *pro unaquaque, remisso inadimplemento ab anno* 1815., *ac deinceps. Missam unam pro quolibet die festivo celebrandam in Altari S. Antonii Patavini intus Parochialem Ecclesiam, inadimpletam existere de anno* 1805. *ad annum* 1817., *ac proinde omissionem in integrum remittere; similiter remittere omissionem de anno* 1796. *ad annum* 1816. *anniversarii adimplendi in quolibet anno cum stipendio obolorum* 24., *nec non*

alia-

aliarum Missarum planarum, cum stipendio obolorum 8., pro quarum satisfactione erogari debent scuta duo, et oboli 48., desumptis primo obolis 24. pro præfato Anniversario, fructus duorum Capitalium, quæ in unum conficiunt summam scutorum 52., ac in posterum reducere stipendium pro præfatis Missis planis ad obolos 12. Respectivas fundationes minime vero remittere possum, quoniam inter varias temporum vicissitudines deperisse comperii. =

Extremam inopiam esse causam legitimam, ob quam reductio Missarum, et pro præteritis omissionibus absolutio concedenda sit, pluries respondit hæc Sac. Congregatio, veluti in *Taurinen. 30. Martii 1776., in Messanen. Reductionis Missarum 24. Januarii 1778., in Nucerina 5. Septembris 1778., in Mazzarien. 19. Julii 1777. ad I. Dubium, in Anconitana Missarum 16. Martii 1782.*, præsertim quando, prout in themate, de Fundatorum consanguineis agatur, quorum explorata sit gravissima egestas, ut in *Ferrarien. Reductionis Missarum 23. Februarii 1793., in Januen. Capellaniarum 31. Julii 1819., in Ravennaten. Capellaniæ 15. Aprilis 1820.* Juris enim præsumptio est, Testatores haud voluisse consanguineos, tot, tantisque oneribus obstringere, quibus sustinendis impares evaserint ob summas rei familiaris angustias; opem imo ipsis fuisse laturos, si easdem angustias prævidere potuissent. *Card. de Luca de Testam. disc. 72. num. 15., et seqq., Rota cor. Duran. decis 98. num. 4., Sac. Congr. in Januen. Capellaniarum 31. Julii 1819. §. Nonnulla, et seq., et in Ripana Commutationis voluntatis, et reductionis Missarum 27. Julii 1822.*

Precibus igitur Mariæ Jesualdæ, quibus plenissime favet Soranus Episcopus, annuendum videtur: at perpendendum est, non absolutionem tantum pro præteritis omissionibus, et imminutionem onerum, prout *anno 1811.* a Pontifice Summo indulta fuit, sed longe ampliorem reductionem posci. Compertum est autem, reductionis reductionem difficillime concedi, *Sac. Congregatio in Neapolitana Reductionis Missarum 19. Novembris 1729., et in Interamnen. Reductionis Missarum 30. Augusti 1788., et in Asculana Reductionis 22. Januarii 1820. §. Petitæ*; quia scilicet hoc in

 casu

casu gravius urget notissimus Juris canon, quo supremas hominum, ac præsertim piorum Fundatorum voluntates implendas esse præcipitur, *Can. Ultima voluntas. C. 13. Quæst. 2., Leg. fin. §. Sin vero. Cod. de Jure deliber., Auth. de hæred., et falcid. §. Hinc nobis*. Cæterum legitima concurrente causa, etiam reductionem reductionis concedendam esse statuit hæc Sac. Congreg., ut *in Ampurien. seu Emporien. Reductionis Missarum 5. Aprilis 1794.*

Igitur qua præstant sapientia, EE. PP. dignentur dirimere

Dubia

I. *An, et quomodo sit locus reductioni in casu etc.*

II. *An consulendum sit SSmo pro absolutione quoad præteritum in casu etc.*

Ad I. Affirmative ad decennium juxta votum Episcopi, qui curet fieri inscriptionem super idoneis fundis pro securitate legatorum.

Ad II. Affirmative, celebrata unica Missa pro omnibus omissionibus.

Sess.25. Cap.4. de Reform.

NOVARIEN. REDUCTIONIS, ET ABSOLUTIONIS. Sacerdos Iacobus Guerrini ex Oppido Cimamuleræ Novariensis Diœcesis, ultimis tabulis *anno* 1695. tria beneficia fundavit, onere singulis Beneficiatis imposito Missæ quotidianæ *per se, vel per alios in quacumque Ecclesia, et ubique celebrandæ*. Primum Beneficium in Oratorio vulgo *del Peceto* Maçugnagæ ad Altare Annunciationis B. M. V.; secundum in Ecclesia Parochiali Calascæ ad Altare S. Andreæ; tertium denique Cimamuleræ in Oratorio S. Joseph erigi voluit.

Carolus Franciscus, et Joseph Antonius fratres Guerrini, qui se Beneficiorum patronos esse asserunt, reditus in Missarum celebrationem erogandos, fere omnes in usus proprios vertisse fatentur. Addunt, eorum Patrem, nunc vita functum, quamplurimas Mis-

Missas celebrari neglexisse: cæteros vero Majores caput *scutorum* 1500. ad memorata beneficia pertinens absumpsisse. Impares autem, et indicato capiti supplendo, et tot Missarum adimplemento curando, suppliciter implorant condonationem capitis *scutorum* 1500. ab eorum Majoribus consumpti, absolutionem quoad omnes præteritas Missarum omissiones; reductionem denique trium Beneficiorum ad unicam Capellaniam, vel Beneficium, pro cujus dote offerunt annuum reditum Rom. *scutorum* 72. 50. ex fundis Cimamuleræ sitis percipiendum, ac traditione capitis *scutorum* 1450. redimendum.

Rogatus Emus Novariensis Episcopus pro Informatione, et Voto, auditis præsertim Rectoribus Ecclesiarum designatarum, ut transmissa copia Fundationis referret de annuo reditu, et oneribus uniuscujusque Beneficii, de Missis hactenus inadimpletis, de eleemosyna vere necessaria, et in specie de patratis alienationibus, vera Oratorum impotentia, eorumque bona fide, de utilitate cessionis, de qua in precibus, et utrum Ecclesiarum cultui, vel populi commodo præjudicium inferatur: ita respondit, ac suam aperuit sententiam. = *Uti omne Beneficiorum Gentis Guerrinæ negotium plene cognoscant EE. VV., nihil satius faciendum arbitror, quam ut exemplar Litterarum, quas ad me dedit Vicarius Foraneus regionis, ubi constituta sunt Beneficia, Vobis reddam. Meum autem esset consilium, ut supplici Patronorum genti, qui in humili modo vitam agunt, quidquid antea munerum impositorum ab ea omissum benigne primum remitteretur, digni profecto quibus id officii ab EE. VV. impertiatur, proinde censerem uti alterum tantum ex beneficiis restitueretur ex summa scutorum circiter* 1500. *in Ecclesia Parochiali Cimamuleræ, ubi nulla alia est Incolis quam parochialis Missa, onere Beneficiatis etiam imposito Sacri die quoque festo faciendi, confessionesque Fidelium audiendi. Reditus Beneficii sunt circiter scutorum* 75., *verum ii recte definiri non possunt; pendent nimirum ex majori, vel minori fructu ex capitali summa percipiendo.*

Vicarius Foraneus, quæ Oratores narrarunt, ac superius exposui, confirmat, et addit. „ Per parte dei

„ Rettori delle Chiese non vi è opposizione alcuna „ a ciò, che domandasi dai Fratelli Guerrini, per„ chè tali benefizj nulla affatto riguardano il decoro „ di queste Chiese, nè il comodo del suo Popolo, „ e sono per noi come se non vi fossero. Quanto „ alla dote *prò manutentione Capellani* il Fondatore „ aveva divisamente assegnato per il primo benefi„ zio tutti i beni immobili, mobili, semoventi, e „ crediti, che possedeva di suo acquisto in Macu„ gnaga, *exclusis bonis, et rebus paternis*; per il se„ condo tutti i beni immobili, mobili, e semoven„ ti, e crediti, che possedeva in Calasca, dove era „ stato Parroco per anni 32.; per il terzo la Mas„ seria, ed i mobili, che possedeva in Cimamule„ ra. Ma non si trova Inventario, nè la con„ versione dei mobili, e semoventi; soltanto da un „ registro domestico del 1720. si rileva, che vi era„ no dei crediti per lire diecimille circa, spettanti „ ai Benefizj, dei quali non vi è più alcun vesti„ gio, nè gli Oratori sanno dare alcuna notizia da „ chi, e come si siano dissipati.

„ Rimangono ora i soli immobili, ma questi ancora „ sono deteriorati nel valore quasi per egual som„ ma per le larghe corrosioni dei fiumi, e guasti „ delle ruine, massime dall'epoca terribile del 1755. „ Queste, colla conservazione delle case, causarono „ spese considerabili. Le doti di Macugnaga, e di „ Calasca divennero affatto fuori di proporzione col „ peso di una Messa quotidiana, mentre questa as„ sorbirebbe lire 365. annue per ciascun benefizio, „ e la rendita dei fondi non arriva alle lire 200. al „ corso di Milano. Resta la Masseria di Cimamule„ ra, la di cui rendita netta si calcola in un no„ vennio a lire 650. milanesi; ma è un secolo in„ tero, che questi beni sono il principale appoggio, „ ed in altri tempi anche l'unico sostegno di questa „ rispettabile Famiglia Guerrini, per mantenersi nel „ decoro strettamente dovuto al suo stato, e vennero „ sempre posseduti, ed amministrati senza contrad„ dizione, come Beni della Famiglia, a modo di un „ Fidecommesso perpetuo, aggravato del peso di tre „ Messe quotidiane.

„ Ta-

„ Tale obbligazione fu sempre conosciuta nella Casa an-
„ che dagli Oratori, ma per lunghi intervalli si cre-
„ dettero bonariamente dispensati dalla loro impo-
„ tenza. Per quanti anni sia rimasta inadempita in
„ vita del loro Genitore, non hanno potuto conget-
„ turarlo: la loro Vedova Madre, e tutrice fece de-
„ gli sforzi, anche col suo peculio proprio, per adem-
„ pirli, finchè mancarono i mezzi. Gli Oratori per
„ la stessa causa si trovano in arretrato di circa
„ Messe 1500. per ciascun Benefizio: ed al presen-
„ te, ancorchè vivano notoriamente con ogni lode-
„ vole economia, assiduamente applicati alla civile
„ loro professione di Regio Notaro, e Segretario delle
„ Comuni, non sarebbero assolutamente in caso di
„ adempire, non dico le obbligazioni arretrate, ma
„ neppure l'annuale dei tre Benefizj.

„ Si osservi, che il testatore senza nominare gli Agna-
„ ti, che allora erano assai doviziosi, chiama sua
„ Erede universale la Ven. Fabbrica dell' Oratorio del-
„ la B.V. *del Peceto* coll' obbligo di fabbricare un' Ora-
„ torio in Cimamulera, e di fare erigere i tre bene-
„ fizj dentro un mese dal suo decesso. Gli Agnati
„ vedendosi preteriti, armarono grandi pretese contro
„ la eredità per conti di tutela, pei beni della fami-
„ glia da lui venduti, del che ne ho trovato memo-
„ ria anche in questo archivio parrocchiale. Per tali
„ cause dicesi, che l'erede istituito non siasi immi-
„ schiato. Certamente l'Oratorio di S. Giuseppe in Ci-
„ mamulera non fu fabbricato a nome dell'Erede uni-
„ versale, ma dai Signori Guerrini, perchè il Gius-
„ patronato è goduto da questi. Vien dunque pro-
„ babile, che questi mediante una specie di transa-
„ zione coll' Autorità Ecclesiastica abbiano ottenuto
„ l'erezione dei benefizj tutta in favore dell' Agnazio-
„ ne, a modo di un fideicomisso: massime rifletten-
„ do, che la Famiglia osservava per tradizione una con-
„ dizione, che nella fondazione non vi è, cioè che sei Mes-
„ se all'anno fossero celebrate a ciascuno degli Altari, do-
„ ve sono eretti i Benefizj. Finalmente questa fami-
„ glia rispettabile dopo il 1709., epoca della morte
„ dell' Arciprete Guerrini, successore del Fondatore,

„ col-

„ colpita da molti infortunii, e consunta da liti di-
„ spendiose, può avere ottenuto dalla Chiesa di so-
„ spendere le nomine, e godere in famiglia i suoi Be-
„ nefizj facendo adempire la Messa, ancorchè in og-
„ gi non si trovi nè tale documento, nè le stesse
„ erezioni dei Benefizj.

„ Quali cose tutte ben considerate, sembra in oggi spe-
„ diente all' onor di Dio, ed al bene delle anime,
„ che l' Autorità Ecclesiastica rimarginando il passa-
„ to difetto provveda, che non abbia a rinnovarsi in
„ altri tempi: e pare che si assicurerebbe tale og-
„ getto colla riduzione dei tre Benefizj in un solo,
„ da fondarsi sopra un' annuo censo di scudi Romani
„ 72. $\frac{1}{2}$ circa, e questo sulli stessi fondi beneficiali di
„ Cimamulera, redimibile in due rate col capitale di
„ scudi 1450. da erigersi nell' Oratorio di S. Giusep-
„ pe, o dove piacerà coi pesi, che si crederanno con-
„ venienti.

Servanda est, ac religiose implenda voluntas defunctorum, præsertim si divinum cultum respiciat, *Canon. Ultima voluntas caus.* 13. *qu.* 2., sed concurrente justa, et necessaria causa, etiam voluntatis divinum cultum respicientis commutatio conceditur, *Con. Trid. Sess. 22. cap. 6. de reformat. Sac. Congreg. in Forolivien. Reductionis* 12. *Julii* 1799. *ad II. dub.* Justam, et necessariam causam adesse, ob quam precibus Fratrum Guerrini sit annuendum, angustiæ suadent rei familiaris, quibus iidem premuntur. Paupertatem vero obligatorum pro concedenda onerum suspensione, et reductione, ac absolutione quoad præteritas omissiones, justam semper causam habuit hæc Sac. Congr. *ut in Alben.* 24. *Martii* 1792., *in Ravennaten. Reductionis Missarum* 12. *Julii* 1823., *et in alia Ravennaten. Reductionis Missarum* 29. *Maji proxime præt.*

Bona, quæ assignata fuerant pro Dote Beneficiorum, quorum tamen erectio desideratur, partim periere, partim vendita fuere: superextantium vero Bonorum fructus longe impares sunt ferendo oneri trium Missarum quotidianarum, ideoque reductio minime deneganda videtur, cum fructus oneribus respondere debeant Sac. Congr. *in Papien. Reductionis Missarum*

2.

2. *Martii* 1776., *et in Nullius Montis Virginis Reductionis Servitii Chori*, *et Missarum* 4. *Junii* 823.
§. *Hisce*. Gravissima infortunia passa est Familia Guerrini *per le larghe corrosioni dei Fiumi*, *e guasti delle ruine*, *massime dall' epoca terribile del* 1755.; pluries quoque judicio certare fuit coacta: nil proinde mirum si quantitas *Libellarum* 10,000. ad Beneficia pertinentium absumpta fuit *senza che gli Oratori sappiano dare notizia*, *da chi*, *e come sono state dissipate*.

Nihil distraxerunt Oratores, nihil vendidit eorum Pater; qui tantummodo ob redituum defectum complures Missas inadimpletas reliquerunt. Caput *Scutor*. 1500. alienarunt eorum Majores: id tamen evenisse dicendum est, vel quia ex juribus ab ipsis adversus hæreditatem Fundatoris Beneficiorum prolatis, et forsan ex secuta Transactione, de qua Vicarius Foraneus meminit, eam alienationem legitime patrare valuerunt, vel certe, quia necessitas eosdem pro familiæ sustentatione ad alienandum coegit. Igitur sine possessorum culpa, imo bona ipsorum fide, tam Fundorum distractio, quam redituum imminutio contigit, quo in themate condonatio, reductio onerum, et absolutio pro præteritis omissionibus denegari minime consuevit *Sac. Congr. in Ecclesien.* 26. *Augusti* 1794., *et in Urbanien Reductionis Onerum* 15. *Aprilis* 1820. Manifesta demum est imminutio fundorum, et impotentia Oratorum: hinc utcumque id evenerit, Fratres Guerrini supplere nunc de proprio nequeunt, et summam præbere, quæ tribus Missis quotidianis celebrandis sufficiat. Concedenda proinde videtur etiam reductio Beneficiorum, de quorum erectione non constat; ut nempe loco trium Beneficiorum unicum erigatur iis legibus, quas provide proposuit Emus Archiepiscopus, utque ita reditibus onera respondeant ad regulam, de qua *Fagnan. in Cap. Ex parte* 2. *de Constit.*, *Monacell. Formul. legal* 19. *tit.* 10. *part.* 1. *num.* 25., *Sac. Congr. in Florentina Reductionis Onerum* 2. *Augusti* 1823.

Nonnulla tamen obstare videntur, ne condonatio *Scutorum* 1500., reductio Beneficiorum, et absolutio quoad præteritas Missarum omissiones concedatur. Neque enim

enim Fratres Guerrini gravis inopiæ, et veræ paupertatis probationes attulerunt; et quidquid de his haber Vicarius Foraneus, ad paupertatem attinet, quam respectivam dicimus; hæc autem neque gravis esse potest attento exercitio munerum *di Regio Notaro, e Segretario delle Comuni*, neque semper ab hoc Sac. Senatu in pretio est habita, sed tum demum, quando in peculiaribus casibus Patronorum indigentiæ opitulandum erat, ut in *Aquen. Capellaniæ* 20. *Januarii et* 5. *Februarii* 1785., *in Ariminen. Capellaniæ* 22. *Junii* 1815., *et in Senen.* 15. *Junii* 1820. *§. Quin.*

Ambiguum vero est, an Gens Guerrini Beneficiorum patrona haberi possit, cum Fundator *senza nominare gli Agnati, che allora erano doviziosi, chiama sua Erede universale la Ven. Fabrica dell' Oratorio della B. V. del Peceto coll' obbligo di fare erigere i tre Benefizi*. Contigit quidem, ut ob exortas controversias Bonorum possessionem Hæres scripta nunquam inierit, eaque Gens Guerrinia occupaverit, ac jugiter possederit: an tamen id jure factum, latet. Vicarius Foraneus *probabile* dicit, initam fuisse *una specie di Transazione*, quæ nullibi reperiri potuit: indicat quoque, bona apud Familiam Guerrini remanere potuisse, quia Fundator suo in Testamento disposuit *Quod si Capellani dictarum trium Capellaniarum electi fuerint ex Familia, et Agnatione de Guerrinis præfati Testatoris, sint, et esse debeant titulares, vel mercenarii ad arbitrium ipsorum Capellanorum; si vero fuerint extranei, sint, et esse debeant semper mercenarii*: primi proinde Capellani, forsan ex Familia Guerrini electi, Bona sibi habere voluerunt, quæ deinde in eadem Familia perpetuo manserunt. Innuit demum fieri potuisse, ut Apostolicæ Auctoritatis venia intercesserit *di sospendere le nomine, e godere in Famiglia i suoi Benefizi, facendo adempire le Messe*.

Verum de Transactione celebrata, et de impetrata Apostolica venia conjecturæ tantum, et hariolationes afferuntur; omnem vero jurispatronatus umbram eliminat mox relata dispositio, ex qua patet, non modo patronatum activum, cum alius institutus fuerit hæres *senza nominare gli Agnati, che allora erano assai doviziosi*, sed ne passivum quidem patronatum Genti Guer-

Guerrini fuisse tributum, cum Capellani, seu Beneficiati æque ex Agnatione, ac inter extraneos eligi possent, idque solummodo fuerit Capellanis agnatis concessum, ut titulares, si vellent, esse possent, ideoque Bona dotalia Beneficiorum possiderent. Hæc autem quo maturius perpendantur, eo vehementiorem excitant suspicionem, omnia non jure, et fide non bona gesta fuisse; neque facile admittendas esse assertas fortunarum angustias, quæ si absint, simulque bona fides desit, neque condonatio, neque absolutio, multoque minus Beneficiorum reductio est concedenda, *Sac. Cong. in Bononien. Reductionis* 24. *Novembris* 1787., *in Spoletana Absolutionis*, *et Reductionis* 24. *Novembris* 1793., *et in Bononien. Reductionis Missarum* 26. *Junii prox. præt.*

Quod si EE. VV. annuendum censeant Oratorum precibus, perpendere dignentur, quomodo Beneficiorum reductio sit indulgenda. Parem enim quoad tria Beneficia Testator affectionem pandidit, ideoque reductio *pro rata* esset facienda, uti post alios monet *Amostaz. de Causis piis lib.* 1. *Cap.* 12. *num.* 4., quam doctrinam sequuta est Sac. Congregatio in *Bracaren. Reduct.* 11. *Septembris* 1717. Unicum tamen Beneficium in Parochiali Ecclesia Cimamuleræ erigendum, vel restituendum sentit Emus Episcopus, ubi nulla alia est Incolis, quam Parochialis Missa, et onus Beneficiato imponi optat *Sacri die quoque festo faciendi*, *confessionesque fidelium audiendi*; quæ omnia quantæ utilitatis essent, per se patet. Sapientiæ igitur vestræ EE. PP. sequentia dirimenda proponuntur

Dubia

I. An sit concedenda condonatio capitis scutorum 1500. *in casu etc.*

II. An, et quomodo sit locus reductioni Beneficiorum in casu etc.

III. An sit consulendum SSmo pro absolutione quoad præteritas omissiones in casu etc.

Non proposita cum sequenti.

ess. 23. Cap. . de Reform., t Sess. 24. Cap. . de Refor. Matr., Sess. 25. e Ref. in Decr. e delect. cib.

NULLIUS SUBLACEN. JURIUM PAROCHIALIUM Animarum cura habitualis in Ecclesia Collegiata S. Andreæ Sublacensis Abbatiæ olim penes Capitulum erat; actualis vero ad Præpositum unicam ipsius Capituli Dignitatem spectabat, atque ab eo exercebatur. Verum *anno* 1791. Apostolicis Litteris incipien. *Inter multiplices* S. M. Pius VI. tres in Sublacensi Collegiata Dignitates constituit, inter quas primum tenet locum Archidiaconus = *qui tamquam totius Capituli Caput, tam in Choro, quam in Capitulo, ac quibusvis actibus publicis, ac privatis præsit, et præeminentiam, primumque, ac digniorem locum habeat, nec non votum in Capitulo, prout alii illius Canonici, proferre valeat, iisdemque insignibus choralibus uti debeat: circa vero animarum curam nonnisi ea, ut præmittitur, habitualis integro Capitulo incumbens ad eum pertineat* = ; secundum locum habet Archipresbyter; tertium Primicerius, qui = *vere, et proprie Parochi, et Animarum Pastores sint, et censeantur* = .

Cum autem consueverint tam Canonicus hebdomadarius in funeribus stolam deferre, Missam celebrare, et absolutionem super Cadaveribus impertire, quam Canonicus Sacrista Matrimoniorum contrahendorum, Ordinandorum, excomunicationum, et Indulgentiarum denunciationes populo facere, quam denique Canonici primæ erectionis domos benedicere in Sabbatho Sancto, missamque pro populo vicissim celebrare: Archipresbyter, et Primicerius præfatæ Collegiatæ hanc Sacram Congregationem adierunt, ut decerneret, utrum ab ipsis, an potius a Capitulo, et mox indicatis Canonicis hujusmodi functiones sint peragendæ.

Preces remissæ fuerunt *Emo Abbati in Curia, ut dignaretur Sacram Congregationem instruere, et votum suum aperire, audito Capitulo, et referre de Oratorum bono jure, nec non de consuetudine quoad præteritum, ejusque legitimitate, transmissis documentis ad rem facientibus.* Ipse autem ita suam aperuit sententiam „ Nihil ad factum quod pertinet, in precibus a veritate alienum reperii. Id enim aperte „ constat ex authenticis monumentis ab ultima Collegiatæ Ecclesiæ fundatione ad hæc usque tempora „ collectis, atque in eo vel ipsi etiam reliqui Ca„ nonici plenissime consentiunt. Etenim a me peculiari-

„ liariter moniti, ut rationum momenta, quæ con-
„ tra Parochorum instantiam proferre possent, in
„ scriptis exhiberent, elucubratum Advocati Sacri
„ Consistorii votum mihi dederunt, in quo non fa-
„ cta, nec ipsa Juris principia a Parochis statuta
„ impugnantur, sed sibi favere dicunt observantiam,
„ eaque sola victoriam sibi tuto pollicentur.

„ In hoc uno igitur ex Canonicorum sententia, tota quæ-
„ stio versatur, num scilicet observantia isthæc Pa-
„ rochorum jura eo usque infringere valeat, ut nus-
„ quam eadem vindicare, resumere, et exercere ipsis
„ datum sit, seu potius eadem observantia tamquam
„ corruptela, et abusus traduci debeat, ac propte-
„ rea eliminanda sit, dum Parochi veluti a somno
„ excitati repetunt, quæ sua sunt, quæque ne ipsis
„ quidem consentientibus poterant Canonici ab eis
„ avellere, sibique in perpetuum addicere. Iam vero
„ cum de observantiæ viribus quæritur, indubium
„ est, eam despici debere, quoties certo constet contra
„ jus inductam fuisse, idemque jus clarum ipsi resiste-
„ re. In themate autem negari non potest, stolæ de-
„ lationem cum defunctorum corpora efferuntur,
„ itemque dum Ecclesiæ preces absolvuntur, ac funus
„ pro iis conficitur, ad Parochos privative ex jure
„ pertinere.

„ Negari itidem nequit, eisdem Parochis prædictorum
„ munium occasione jus esse indubitatum celebra-
„ tionis Missæ de Requiem, absolutionisque super
„ cadaveribus impertiendæ. Nemo item eosdem Pa-
„ rochos prohibebit ab applicatione Missæ pro Popu-
„ lo, atque ab explanatione Evangelii singulis diebus
„ festis: uno verbo ab officiis cæteris, præsertim Ma-
„ trimonia respicientibus, quæ de jure adeo ipsis in-
„ cumbunt, inhærentque, ut per eadem Parochi con-
„ stituantur, et sint. Porro cum ambigi nequeat, Ar-
„ chipresbyterum, et Primicerium pro tempore dictæ
„ Collegiatæ veros esse Parochos cum potestate libera
„ gregem sibi respective commissum pascendi, ex
„ Litteris Apostolicis sa. me. Pii VI. legitime creatos,
„ et constitutos, in propatulo esse videtur, hujusmo-
„ di observantiam juri manifesto repugnare, atque
„ idcirco non esse attendendam, prout semper cen-
„ suit Sacra isthæc Congregatio in his rerum adjun-
„ ctis, præsertim in *Causa Baren. anni* 1756.

„ Eo vel maxime quia de observantia agitur in contra-
„ dictorio judicio cum acquiescentia succumbentium

 mini-

„ minime probata, atque firmata. Hoc enim in casu
„ quisque Parochus, sive ex propria, sive ex decessoris negligentia, sibi suoque muneri damnum
„ inferre irrevocabiliter nequit, uti per se patet: nam
„ secus officia quæque a jure constituta imminui contra jus ipsum, ac etiam destrui possent, quod est
„ absurdum. Quapropter omnis ejusdem observantiæ vis corruat necesse est, statimac Parochus ipse,
„ vel successor contra illam insurgere potest, ut Parochialium jurium liberum exercitium reposcat.

„ Obstat præterea in casu recensita Piana Constitutio,
„ quæ cum clausula *sublata*, et decreto *irritanti* consuetudinem omnem ipsi quomodolibet adversantem
„ litteraliter abrogavit. Licet enim Summus Pontifex
„ haud expresse recensuerit peculiaria munia Archipresbytero, et Primicerio ex eorum officio incumbentia, nihilominus dum eosdem veros Parochos
„ esse dixit cum declaratione, quod simplex tantum
„ habitualis Cura Capitulo remaneret, et quidem absque jure Parochos actuales prædictos eligendi, eo
„ ipso manifeste videtur muneribus singulis, ac juribus, oneribusque Parochorum propriis ipsos decorasse, perinde ac si eadem munera, jura, atque
„ onera Parochis competentia singillatim enumerasset, illisque peculiariter addixisset.

„ Neque prætereundum esse duco, Statuta etiam Capitularia in his omnibus apprime favere: nam in
„ iisdem ubi de Præpositi obligationibus sermo habetur, ipsi implenda reservantur primo = *ea, quæ*
„ *ex officio tenetur ad curam animarum* = Ex laudata autem Constitutione Pii VI. Præpositura suppressa, omnia Parochialitatis jura, et onera in
„ utrumque ex actualibus Canonicis Parochis translata sunt, hinc objecta observantia eo magis pro
„ vero abusu, et corruptela habenda esse videtur,
„ cum ex Capitularibus Statutis, quæ singuli Canonici se servaturos jurant, prorsus destruatur. „

Cum vere, et proprie Parochi, et Pastores hi sint, quibus actualis animarum cura commissa est, ad exclusionem cujuscumque eamdem non habentis, eisdem privative aliqua competant jura, et officia necesse est. Inter cætera procul dubio ea recensentur, de quibus Archipresbyter, et Primicerius actualem Curam habentes apud hanc Sacram Congregationem disputant. Exploratum enim est in jure, Parochos debere Fidelium cadavera benedicere, antequam e domo efferantur,

tur, eaque absolvere, ac tumulanda curare in Parochiali Ecclesia, nisi alibi sepulturam elegerint, Matrimonia contrahenda publicare, eisdemque celebrandis assistere, ac benedictionem nuptialem impertiri, publicare nomina, et desideria Ordinandorum; Fidelium domos in Sabbatho Sancto benedicere, diebus Dominicis, aliisque festis Sacrum conventum agere, atque pro suis ovibus Sacrificium offerre.

Quum itaque Archipresbyter, aut Primicerius Dignitates, et Parochi ad associationem se conferunt Cadaverum propriæ Parœciæ, ad ipsos, non vero ad quoscumque e Collegio Canonicorum delatio Stolæ spectare videtur, et præcedentia, *Sac. Congreg. in Baren* 28. *Augusti* 1756., et Sac. Rit. Congregatio pluries decrevit, præcedentiam in funeralibus deberi Archipresbytero Parocho ratione Stolæ, non vero Archidiacono primæ Dignitati. Archipresbyter, et Primicerius secunda, et tertia post Archidiaconum Dignitas curam exercent animarum; ipsis proinde competunt parochialia jura, absolutionem super cadavera explendi, officium peragendi, Missam super corpus Defuncti celebrandi, etiamsi Collegiatæ Canonici adsint, et Archidiaconus: *alii enim Canonici* (ut ait Cardinalis de Luca de Parochis *Disc.* 46. *num.* 5.) *ejusdem Ecclesiæ, penes quam sit cura habitualis, non dicuntur Parochi, neque eorum Beneficia dicuntur curata . . . ergo non possunt prætendere jus parochiale*; ideoque nec jus funerandi, quod ad parochialia jura pertinere non ambigitur.

Profecto dum Canonicus Sacrista denunciationes, et publicationes peragere contendit, quæ inter Missarum solemnia fiunt pro Matrimoniis contrahendis, promovendis ad sacros Ordines, excommunicationibus, et indulgentiis, contradicit Tridentinæ Synodo *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform. Matrim.*, et Sac. huic Congregationi, quæ in superius citata *Baren.* 28. *Augusti* 1756. omnes denunciationes ad Parochos privative pertinere decrevit, idemque confirmavit in *Bovinen. Jurium Parochialium* 17. *Junii* 1820., et Sac. Congr. Episcoporum et Regularium in *Firmana* 3. *Junii* 1615. jam monuerat, quod *inter munera mere parochialia recensentur matrimoniales denunciationes*. Itaque de jure ab Archipresbytero, vel a Primicerio denunciationes explendas esse constat, præsertim cum Trid. Synodus de Matrimoniorum denunciationibus in memora-

morata *Sess.* 24. loquatur, et in *Sess.* 25. *de Reform.* in Decreto *de delectu ciborum* etc. de cæteris denunciationibus idem declaraverit. Nec aliter sentiendum de benedictione domorum in Sabbatho Sancto, quæ inter functiones, ac jura parochialia recensetur, Sac. Congreg. *in Bononien.* 4. *Julii* 1620., et nuper *in Brictinorien. Juris decimandi, et benedicendi* 8. *Maji labentis anni*; eoque certius quia peragitur cum delatione Stolæ, quæ jurisdictionem importat *citat. Brictinorien* 8. *Maji* §. *Nec aliter.*

Rursus, *cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre. Trid. Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* Archipresbyter, et Primicerius, non vero cæteri Canonici Sublacensis Collegiatæ oves pascere, et Missam pro populo celebrare debebunt, eo vel magis quia in Piana Constitutione Vicario Generali Sublacen. Abbatiæ præcipitur, ut *dies, et horas præscribat, quibus unus, aut alter* (Archipresbyter, et Primicerius) *rudes ac simplicioris ingenii homines, adolescentes, et puellas omnem Catholicæ Religionis rationem edoceat, verbumque Dei populo ad eorum intelligentiam nunciare, et exponere debeat.* Quod si in eadem Constitutione eis oves assignantur, atque jus eas pascendi præclare conceditur; dubitandum non erit, eos ad applicationem quoque Missæ pro suis ovibus teneri. Ad quam Benedictus XIV. in *Constitut. Cum semper oblatas* 19. *Augusti* 1744. obligatos esse declaravit non solum Parochos perpetuos, (ut in casu), verum etiam Vicarios amovibiles penes quos actualis animarum cura resideat. Idemque Sacra hæc Congregatio statuit *in Feretrana* 15. *Martii* 1735., *Aegilianen. Visitationis Sacror. Liminum* 18. *Julii* 1789., *Vico Aequen. Missæ pro populo* 7. *Maji* 1808., *et Messanen.* 14. *Decembris* 1822. Atque ita hoc onus personam Parochi, curam actualem habentis, respicit; ut si Episcopus curam actualem retineat Paræciæ Cathedralis, et ab ipso Sacrum pro populo sit peragendum. *Neque si Episcopus tamquam totius Diœcesis Parochus pro universo grege Missam applicat, idcirco eximi poterit ab applicanda Missa pro Parochianis*: uti admonet *Bonacin. quæst. ultima punc.* 7. *in fin.*, *Gavant. Comment. in Rubr. Missalis par.* 3. *tit.* 12. *num.* 17., *Murga de Beneficiis quæst.* 2. *sect.* 2. *n.* 597., *Sac. hæc Cong. in Visen. Applicationis Missæ pro populo* 17. *Decembris* 1803. §. *Ex Tridentino.*

Tan-

Tandem ab hujusmodi applicatione Missæ non eximuntur Parochi, etiamsi alicujus Collegii Canonicorum partem constituant, *Sac. Congreg. in Hortana* 18. *Augusti* 1744., et nequeunt pro ea eleemosynam percipere, Benedictus XIV. *in constit. Cum semper oblatas* §. 2., *et* 4., atque ita *Gavan cum Merati in Thesauro Sacrorum Rituum part.* 3. *tit.* 12. *de aliis obligationibus Sacerdotum circa Missam.* Neque obstare videtur Decretum hujus Sacræ Congregat. *in citat Hortana* 29. *ejusdem mensis Augusti*: illic enim agebatur de Canonicorum Collegio, non habitualem solum, sed et actualem curam habente, quam promiscue cum Canonico Parocho exercebat; qui proinde non jure proprio, et independenter a Capitulo actualem curam retinebat, sed illam quoad certa tantum munera parochialia exercebat, cum penes Collegium esset aliorum munerum, et officiorum usus, et emolumentorum, atque obventionum perceptio, ac propterea in hujusmodi speciali themate, firma manente obligatione Canonici Parochi Missam applicandi pro populo, merito responsum fuit, Capitulum teneri eleemosynam præstare.

Quæcumque ad juris regulas pertinent, non inficiantur Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Sublacensis: verum ad observantiam, seu consuetudinem confugiunt, atque omnem in ea spem collocant. Consuetudo enim, quæ jus est moribus, scilicet actibus frequentatis, constitutum, *præsertim in Cardinalitiis Congregationibus nimium attendi solet, quasi quod nedum legales, sed etiam prudentiales regulæ ita exigant, ut solitum non alteretur*, ceu totidem verbis tradit *Card. de Luca de Parochis disc.* 41. *num.* 1. Tanti vero est consuetudo, ut antiquitus probata, tenaciterque servata, leges ipsas imitetur, earumque vim retineat, ac præcipue in definiendis quæstionibus de præeminentiis, omne ferat punctum, etiamsi juris dispositioni adversetur, Rota *cor. Cerro Decis.* 26. *num.* 17.: Nil mirum igitur, quod ex consuetudine jus inducatur, et privilegia acquirantur, uti docet eadem *Rot. in Nuperrim. decis.* 57. *numer.* 6. *Tom.* 1.

Hæc sunt rationum momenta, quæ in medium affert eximius Sacræ Consistorialis Aulæ Advocatus in suo Voto favore Collegii Canonicorum exarato; in quo et illud adstruit, controversiam omnem tantummodo de præeminentiis esse, et quoniam de consuetudinis existentia non ambigitur, eamque non negant, sed uti abusum, et corruptelam habendam esse dicunt Canonici

Pa-

Parochi, ad refellendam eorumdem Parochorum instantiam, verba refert S. Augustini in sua ad Januarium Epistola *lib IV. cap.* 5. dicentis = *Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non est, perturbatione infructuosa, consequenter noxia est*; ac propterea Tridentina Synodus in materiis ad præeminentias spectantibus *Sess. 25 cap. 6. de Reform.* aperte statuit, quod *ab iis, ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat, perficiatur.*

Haud ignorant Canonici, id esse intelligendum de consuetudine, quæ cæteras habeat conditiones a jure requisitas *in Can. Veritate distinct.* 8., *Cap. Ad nostram, et Cap. fin. de consuetudine*, ut animadvertit Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana lib. 8. cap. 5. num.* 5; sed eas omnes adeo reperiri arbitrantur in allegata ab ipsis observantia, ut obmutescant oporteat Archipresbyter, et Primicerius, quibus sat superque erit, *oves suas bonorum omnium operum exemplo pascere*, *Trid. Sess. 23. cap. 1. de Reform.*

Cæterum cum eadem Tridentina Synodus in ipsa *Sess 23. cap. 1. de Refor.*, *et Sess. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.*, nec non *Sess. 25. de Reform. in Decreto de delectu ciborum etc.* alia etiam jura, munera, et officia Parochis decreverit, atque consuetudo, quæ adversatur, ut abusus, et corruptela haberi debeat, sitque tollenda, uti statuit Pius IV. in sua Bulla *In Principis Apostolorum Sede* 13. Kal. Martii 1565., hinc sapientiæ EE. VV. dirimenda proponuntur

Dubia

I. An, et ad quem spectet delatio Stolæ in associatione Cadaverum in casu etc.

II. An, et ad quem spectet cantare Missam, peragere Officium, et absolutionem super Cadavera in casu etc.

III. An, et ad quem spectet facere publicationes, seu denunciationes Matrimoniorum, promovendorum ad Sacros Ordines, Excomunicationum, et Indulgentiarum in casu etc.

IV. An, et ad quem spectet benedictio domorum in Sabbatho Sancto in casu etc.

V. An, et ad quem spectet celebratio Missæ pro populo in casu etc.

VI. An Canonici primæ erectionis solvere teneantur Eleemosynam Missæ pro populo Parochis in casu etc.

Die

Die Sabbathi 20. Novembris 1824. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

NOVARIEN. REDUCTIONIS, ET ABSOLUTIONIS *Sess. 25, cap. 4. de reform.*

Dubia

I. *An sit concedenda condonatio capitis scutorum 1500. in casu etc.*
II. *An, et quomodo sit locus reductioni Beneficiorum in casu etc.*
III. *An sit consulendum Sanctissimo pro absolutione quoad præteritas omissiones ia casu etc.*

Ad I. Affirmative, et ad D. Secretarium cum Sanctissimo.
Ad II. Affirmative juxta votum Emi Episcopi, et cum onere investiendi caput scut. 1450., quatenus persolvatur; facta interim inscriptione super fundis Cimamularæ, et descriptione in tabella.
Ad III. Affirmative, celebratis decem Missis pro omnibus omissionibus.

NULLIUS SUBLACEN. JURIUM PAROCHIALIUM. *Sess. 23. cap. 1. de reform., Sess. 24. cap. 1. de reformat. matrim, et Ses. 25. de reform. in decret. de delect. cib.*

Dubia

I. *An, et ad quem spectet delatio Stolæ in associatione cadaverum in casu etc.*

 II. *An,*

II. *An, et ad quem spectet cantare Missam, peragere Officium, et absolutionem super cadavera in casu etc.*

III. *An, et ad quem spectet facere publicationes, seu denunciationes Matrimoniorum, promovendorum ad sacros Ordines, Excommunicationum, et Indulgentiarum in casu etc.*

IV. *An, et ad quem spectet benedictio domorum in Sabbatho Sancto in casu etc.*

V. *An, et ad quem spectet celebratio Missæ pro populo in casu etc.*

VI. *An Canonici primæ erectionis solvere teneantur eleemosynam Missæ pro populo Parochis in casu etc.*

Dilata ad primam post proximam.

Sess. 24. Cap. . de Reform. matrim.

THEATINA DISPENSATIONIS. Nicolao ex Baronibus Henrici *die* 18. *Aprilis anni* 1822. nupsit nobilis puella Maria Bassi ex Ducibus Alanno, et per quinque fere menses communem cum viro domum, ac thalamum habuit. Quum vero Nicolaus nunquam cum uxore, pluribus licet de Medicorum sententia quæsitis remediis, matrimonium consummare potuerit, thori, habitationisque, mutuo consensu, facta separatione, Conjuges supplices adierunt Summum Pontificem, dispensationem matrimonii rati, et non consummati efflagitantes.

Precibus ad hanc Sac. Congregationem de more ablegatis, Archiepiscopus Theatinus fuit requisitus, ut, prævia confectione Processus super non sequuta consummatione matrimonii, servata in omnibus forma Constitutionis S. M. Benedicti XIV., quæ incipit *Dei mi-*

miseratione, referret de causis canonicis dispensationis, animique sui sensum aperiret.

Constituto matrimonii Defensore, cæterisque in Curia Theatina rite peractis, Processus incœptus fuit. Conjuges jurejurando affirmarunt, matrimonium ob Nicolai impotentiam numquam consummatum fuisse, quamvis vir de Medicorum consilio Neapolim contenderit, ibique balnea, aliaque adhibuerit remedia; addiditque Nicolaus, propter Mariæ querimonias de sua impotentia, eam animi abalienationem ipso communis thalami initio erga illam concepisse, ut vitam ageret *in uno stato assai infelice, se fossi obbligato a riunirmi con lei.*

Conjugum depositioni septima accessit manus ex utroque latere propinquorum, qui sibi dubitandum non esse de veritate rerum ab eisdem Conjugibus professarum, interposita Sacramenti religione, testati sunt. Alii quatuor supra decem examini subjecti sunt jurati testes, quorum alii impotentiam viri, saltem relativam, exindeque non consummationem matrimonii, perstante adhuc Conjugum communi thalamo, ab eorum ore audivisse fassi sunt: alii Medicorum narrarunt consultationes, et medicamina inutiliter adhibita; alii devotas preces pro consummatione matrimonii fusas; alii medicinam, et chirurgiam profitentes compertum fecerunt, Nicolaum ab adolescentia morbo laborasse epileptico, ejusque corpore post initum matrimonium inspecto, causam non consummationis non externo, sed interno corporis vitio adscripsisse.

Tandem corporis Mariæ facta inspectione a tribus delectis Obstetricibus, adstante Matrona, prævio balneo peritorumque consilio, renuntiatum fuit, Mariam Bassi adhuc esse virginem.

Ita absolutum Processum ad hanc Sac. Congregationem transmisit Archiepiscopus, inquiens = *Ex processu . . . satis superque constat, matrimonium ratum, de quo agitur, nullimode fuisse consummatum, dictæque mulieris Mariæ Bassi virginitatis claustrum haudquaquam fuisse violatum, imo integrum, et intactum hactenus permanere . . . Quoniam vero, ut animi mei sensum aperirem, in mandatis mihi pariter fuit præceptum;*

 ideo

ideo hujusmodi jussa ea, qua decet, animi demissione capessere ex obedientia festinans . . . . humiliter submitto, et expono, posse mereri supradictos Nicolaum Henrici, et Mariam Bassi petitam, optatamque gratiam dispensationis super eorum matrimonio contracto, et non consummato =.

Causa nunc sub assueto dispensationis Dubio proponitur, distributis Allegationibus ex parte Mulieris, silente Viro, et contradicente Matrimonii Assertore.

Duo probanda esse extrema in quolibet dispensationis judicio contendit Mulieris Defensor, scilicet non esse sequutam matrimonii consummationem, causamque intercedere dispensandi, *De Justis de dispensat. matrim. lib.2. cap.10. num. 21.*, *Pignat. tom.1.consult. 148. num. 15.*, *Sac. Congr. in Januen. Matrimonii 14. Januarii* 1741. Ad probandam non sequutam matrimonii consummationem vel unum Conjugum juramentum, etiamsi nihil aliud præsto esset, satis habendum autumat ex *Cap. Laudabilem de frig.*, *et malefic.*, *Corrad. in praxi dispensat. Apostol. lib. 8. cap. 7. num. 36.*, *Ursaya discept. eccl. tom. 3. part. 4. disc. 71. num.* 137., et Sac. Congr. *in Januen. Dispensationis 20. Maji* 1719. Imo subdit aliquando unius puellæ juramento fidem adhiberi, licet vir contrarium asserat; quando nimirum juramentum Uxoris, se non cognitam affirmantis, testimonio confirmatur mulierum, quæ illam inspexerunt *ad text. in Cap. Proposuisti de Probat.*, et firmant *Sanchez. lib. 7. respons.* 109. *num.* 16., *Guttierez de matrim. part. 3. cap.* 130. *num.* 21.

In themate vero non mulieris tantum, sed utriusque conjugis jurejurando comprobatur, matrimonium haud fuisse consummatum. Accedunt præterea septima propinquorum manus, plures alii testes, qui idipsum tempore non suspecto noverunt; jurata, et a peritis approbata Obstetricum relatio, indubia virginitatis signa in Maria Bassi se reperisse testantium; tandem Archiepiscopus Theatinus, qui ex Processu perspicue constare refert, matrimonium nullimode fuisse consummatum.

Quod vero attinet ad dispensationem, ubi constet de non sequuta matrimonii consummatione, inquit Ma-

riæ

riæ Defensor, opus non esse causa gravi, vel publica; sed quamlibet privatam causam, imo mutuum tantummodo conjugum consensum movere posse Summum Pontificem ad dispensandum, *Cap. Laudabilem*, et *Cap. Accepisti de frig.*, *Gobat. Theol. Experim.tract.*10. *cons.*18.*num.*691., *Pignat. tom.*1. *consult.* 148. *num.* 7., *Felin. cons.* 26. *num.* 1.; præsertim si probabilis intercedat relativa impotentia, *Pignat. tom.*1. *consult.* 148. *num* 10., *Ursaya Discept. eccles.* 21. *num.* 130.; impotentia enim relativa nedum ad dispensationem impertiendam, sed ad nullitatem matrimonii pronunciandam satis est, *Sanchez loc. cit. disc.* 93. *num.* 3., *Perez. de matrim. disp.* 37. *sect.* 5. *num.* 1.

In præsenti autem casu mutuus consensus, atque adeo preces habentur conjugum pro dispensatione Matrimonii, et relativa saltem non deest Nicolai impotentia. Cum enim Conjuges pluribus mensibus simul dormierint, reique maritali, quæsitis etiam remediis, operam dederint, quin Nicolaus cum Uxore unquam coire valuerit; exploratum censet Mulieris Defensor, matrimonium non fuisse consummatum, quia Nicolaus impotentia saltem relativa afficitur erga Mariam Bassi, quin imo semierectio, quam illico frigescentem commemorat Nicolaus, impotentiam redarguit perpetuam ad tradita per *Ursayam Discept.* 12. *part.* 1. *num.* 43., *Zacch. Quæst. Medic. legal. lib.* 9. *tit.* 3. *quæst.* 2. *num.* 12., *Rota ad ornat. Card. de Luca lib.* 14. *decis.* 11. *num.* 14.

Nec denegandam putat dispensationem ob defectum judicialis inspectionis corporis Nicolai. Præterquam enim de viri impotentia dubitari non potest, cum matrimonium consummare nequiverit; illud etiam accedit, quod fallax sit corporis viri recognitio; siquidem ejus impotentia humana ope dignosci non potest, nisi de externo agatur, ac patenti corporis vitio. At ex peritorum judicio, ac testimonio ob internum defectum Nicolaus impar est matrimonio cum uxore consummando. Insuper viri inspectio nec a Sacris Canonibus, nec ab ipsa præscribitur Benedictina Constitutione. Et si quando ob peculiares circumstantias demandata fuerit ab hac Sac. Congregatione, non desunt tamen exempla dispensationum sine ulla

cor-

corporis viri inspectione indultarum, et potissimum in *Mediolanen. Matrimonii 24. Maji 1732.*, *in Januen. Matrimonii 16. Augusti 1783.*, *et in Neapolitana Dispensationis 27. Julii 1822.*

Multoque minus confugiendum esse contendit ad experimentum triennale, quod solummodo præscribitur in *Cap. Litteræ de frigid.*, et in hac causa est alienissimum. Ibi enim agebatur de muliere, quæ per octo annos nullam instituerat querelam de viri frigiditate, et ideo vir potens censebatur. Sed Maria Bassi post iterata viri tentamina virgo permansit, et quam citissime conquesta est de ejusdem viri impotentia; Nicolaus autem suam fatetur frigiditatem, et una cum uxore matrimonii efflagitat dispensationem: quibus concurrentibus circumstantiis haud requiri triennale experimentum elici existimat *ex Cap. Laudabilem*, *Cap. Accepisti de frigid.*, *ex Cap. Proposuisti de Probat.*, atque *ex Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 107. num. 4.*, *Reiffenst. lib. 4. Decret. tit. 15. num. 43.*

Addit, controversiam esse de dispensatione, quæ ex voluntate pendet Romani Pontificis, ad eamque obtinendam satis esse, ut non sequuta probetur matrimonii consummatio, et probabilis sit viri impotentia, quin requiratur triennale experimentum, ut docent *Ursaya discep. 21. num. 163.*, *Card. De Luca de matrim. disc. 7. num. 7.*, et suadent exempla Sac. Congregationis in *Romana 2. Decembris 1786.*, *in Januen. 27. Januarii 1720.*, et novissime *in Neapolitana Dispensationis 27. Julii 1822.* Verendum enim est, ne Conjuges in triennali experimento periculo subsint animæ, et corporis; præsertim quia vir ita se ab uxore abalienatum confitetur, ut vitam traduceret infelicem, si cum illa iterum conjungi compelleretur.

Verum matrimonii Defensor ad dissolutionem vinculi matrimonialis necessarium esse contendit, ut perspicuis, omnique exceptione majoribus probationibus non sequuta evincatur consummatio, præsertim quando conjuges per plures menses communem thalamum habuerint; unde exurgit præsumptio juris, et de jure, matrimonium fuisse consummatum, *Gloss. in Can. Si quis. 3. caus. 3. quæst. 1. verbo tempore*,

Pi-

Pignat. consult. 148. *num.* 1. *tom.* 1., *et Sac. Congr. in Comen. Matrimonii* 17. *Decembris* 1763 §. *Defensor.* Atque hujusmodi probationes intercedant oportet in judicio sive nullitatis, sive dispensationis matrimonii; siquidem in utroque judicio vim suam habere debet divinum præceptum: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*: ac propterea in quocumque dubio, tamquam de re supra humanam potestatem posita, Pontifex dispensare nequit, *Cap. Ex publico de convers. conjug.*, *Sanchez de Matrim. lib.* 2. *disp.* 13. *num.* 1., *et Sac. Cong. in Valentina Nullitatis matrimonii* 24. *Martii* 1764. §. *Horum.*

Allatas probationes super non consummatione matrimonii eas esse denegat Matrimonii Defensor, in quibus Emi Patres conquiescere possint, etiamsi conjunctim accipiantur. Ad probandam enim non sequutam matrimonii consummationem, et viri frigiditatem satis non esse ait conjugum juramentum, præcipiente Cœlestino III. *in cap. Super eo* 4. *de eo qui cognov.* = *propter eorum confessionem tantum, vel rumorem viciniæ separari non debent* =, quoniam experientia compertum est, nonnullos conjuges inter se concordes contra matrimonium velle colludere, *cit. Cap. Super eo, et Bened. XIV. in Constit. Dei miseratione*; sed præterea necessario requiri dicit aut triennale experimentum, aut corporis viri inspectionem. Etenim *in Cap. Accepisti de frigid.* statuitur, quod si conjuges affirment, virum esse frigidæ naturæ, et coire non potuisse cum uxore, tum demum separari permittantur, *si probari potest per rectum judicium ita esse, ut dicunt*. Inspiciatur autem oportet Viri corpus. ut rectum sit hujusmodi judicium; qua expleta inspectione, si ex evidentibus, aut saltem moraliter certis signis constet, virum esse impotentem, matrimonium, non expectato triennali experimento, statim dissolvitur *ad text. in dict. Cap. Accepisti*. Quod si id evidenter, aut saltem moraliter certe non appareat; quoniam in hac hypothesi, virum esse frigidæ naturæ per rectum judicium haud probatur, ad triennale experimentum confugiendum est ex præscripto *per Cap. Laudabilem. De frigid.* = *Si frigiditas prius probari non possit, cohabitent per* *trien-*

triennium =, et docent Sanchez *de matrimon. Lib. 7. disp.* 108., *et Card. Argenvilleres in dissert. de matrim. apud Constant. tom. 5. vot. ult. num.* 33.

Nec omittendam esse autumat viri inspectionem, quia nec a Sacris Canonibus, nec a Benedictina Constitutione expresse decernatur. Quum enim ad tramites sacrorum Canonum, antequam matrimonium dissolvatur, per rectum judicium probanda sit viri frigiditas, ejus corpus inspiciatur oportet: quemadmodum corporis fœminæ fit recognitio, si ipsa impedimento detineatur, *Gibert in Jus canon. Lib. 3. tit. 13. cap. 4. num. 5., Card. Argenvil. loc. cit. num. 19., Ursaya discept. 12. tom. 1. num. 45.* Hinc Sac. Congr. in Causis etiam dispensationum demandare solet viri, nisi antea facta fuerit, inspectionem, ceu passim videre est in *Thesaur. Resol.*, ac præsertim *in Mediolanen. Matrimonii 4. Decembris* 1728., *in Neapolitana Matrimonii 31. Martii* 1770., *in Lucana Nullitatis Matrimonii 21. Junii* 1766., *in Barchinonen. Matrimonii 4. Junii* 1816.

Neque etiam, si in viro dubia invenirentur potentiæ signa, repellendum foret triennale experimentum, quia in præsenti themate agitur de gratioso dispensationis judicio; nam in hisce quoque Causis Sac. Congregatio triennale exegit experimentum, ut in *Vallisoletana* 15. *Februarii* 1607. *apud Pignat. consult.* 148. *num.* 16. *tom.* 1., *et in Senen. Matrimonii 27. Maji* 1809. Exempla vero dispensationum ex adverso congesta, quin demandatum fuerit triennale experimentum, aut præsenti causæ non accommodata arbitratur, aut quæ viri potentiam omnino excludebant. Perperam autem objici periculum animæ inquit; quoniam triennale experimentum inter conjuges a sacris Canonibus præscribitur, animæ proinde salutem in discrimen adducere nequit, *Sanchez de matrimon. lib. 7. disp.* 112. *num.* 12., *et Card. Argenvil. loc. cit. num.* 36.

Ex his colligit Matrimonii Defensor, ad probandam non sequutam matrimonii consummationem, et viri frigiditatem haud Mariæ Bassi pro impetranda dispensatione prodesse consonum utriusque conjugis, ac septimæ manus juramentum, testes, et exploratam Mulie-

sietis virginitatem, etsi conjunctim accipiantur; quae tum demum probant, cum inspectio corporis viri, aut triennale experimentum praecesserit; multoque minus ejusmodi probationes non consummationem ostendere, ait, si disjunctim expendantur. Conjugum enim juramentum sacris Canonibus est suspectissimum, et reipsa invicem colludere videntur: septimae manus testimonium immaturum; testes de auditis ab ipsis conjugibus, aut ab eorum propinquis loquuntur; Obstetricum relatio non probationem, sed adminiculum suppeditat non sequutae consummationis, et viri frigiditatis; hujusmodi enim experimentum tamquam fallax habent *Can. Nec aliqua 24. caus. 27. quaest. 1., Cap. Causam 14. de Probat.*, et *Sac. Congr. in Asten. Matrimonii 2. Martii 1776. §. Et quamvis*. In themate autem signa virginitatis, ab Obstetricibus renuntiata, incerta sunt, ac fallaciae plena; proindeque deest primum, ac necessarium extremum pro concedenda dispensatione, scilicet non sequuta matrimonii consummatio.

De causis vero dispensationis animadvertit, matrimonium, etiam tantummodo ratum, esse divina institutione quoad Conjuges indissolubile, *Reiffenst. in Decret. lib. 4. tit. De divortio num. 5.*, *Sanchez loc. cit. lib. 2. disp. 13. num. 5.*, ac proinde praeter exploratam matrimonii non consummationem, pro obtinenda dispensatione non satis habendam quamlibet, sed eam requiri causam, quae gravis sit, et urgentissima, *Ursaya tom. 3. discept. 21. part. 2. num. 59.*, *Schmalzgrueber in Jus eccles. part. 4. tit. 19. num. 5.*, *S. Congr. in Pragen. Matrimonii 7. Julii 1731. §. Porro.*

Nulla vero in hac specie concurrit justa dispensandi causa; impotentia enim viri non probatur ex tentata, et non sequuta consummatione, cum hujusmodi conjectura captiosissima sit, et vitio laboret petitionis principii: non ex Medicorum extrajudicialium relatione, quoniam isti non sequutam matrimonii consummationem, non externo defectui corporis viri, quod omnes bene conformatum affirmant, sed interno tribuunt ex paralysi proficiscenti vitio: atque

ideo

ideo impotentia Nicolai ex dubiis elicitur indiciis a I tradita per *Pontium de matrim. lib. 7, cap. 66. num. 2.*, *Rot. in Romana Nullitatis Matrimonii 25. Junii 1781. §. 4. cor. Bayane*; imo Nicolai impotentia propter paralysim neque perpetua est, neque insanabilis, justamque non præbet dispensandi causam, *Zacch. quæst. medic. legal. lib. 9 tit 10 quæst 3.*, *Plenk. element. med. forens. tit. de sign. impot. vir.*, neque vera Medici, et Chirurgi Nicolao præscripserunt curationem, ex qua ipse aliquantulum se profecisse est fassus.

Mutuum autem conjugum consensum valere quidem ait, ut dispensationi non obsit jus illud, quod ex matrimonio etiam rato alter in alterum conjuges sibi quærunt; non vero justam suppeditare causam pro dispensatione impertienda. Cum enim matrimonium etiam ratum jure divino quoad contrahentes sit indissolubile, ita ut ne per mutuum quidem Conjugum consensum dissolvi queat; si mutuus hujusmodi consensus justam præberet causam dispensationis obtinendæ, jam indirecte Conjuges ex mutuo consensu rescissionem vinculi consequerentur, quod instituto adversaretur S. Congregationis, quæ petitam dispensationem super matrimonio rato, licet mutuus conjugum consensus, et aliæ graves non deessent causæ, denegandam censuit *in Frisingen. 7. Maji 1718, in Barchinonen. Matrimonii 22. Maii 1734.*

Levissimam tandem, ac suspiciosam dicit abalienationis causam, et a viro invectam, ut ad alia vota sibi viam sternat; quandoquidem constat, matrimonium plena partium consensione fuisse initum, et magna animorum conjunctione contrahentes insimul cohabitasse: separationem vero non ex odio, et antipathia factam, sed mutuo Conjugum, ac parentum consensu, ut dispensationem poscerent a Summo Pontifice. Igitur nulla intercessit animi abalienatio, aut ea, quam omnino despicere oportet; nam S. Congr. rixas, et odia vel inter nobilissimas familias contemnenda censuit, dispensationem denegando in *Pragen. Matrimonii 27. Februarii 1734.*, *et in Corduben. Dispensationis 20. Septembris 1760.*

Ca-

Cætera haurient EE. PP. ex Allegationibus distribuendis, ut dirimere possint

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato, et non consummato in casu etc.

Dilata ad sequentem cum iisdem.

FULGINATEN. FONTIS BAPTISMALIS. Tres in Oppido Hispelli ab antiquissimis usque temporibus extant Parœciæ, nimirum Collegiata S. Mariæ Majoris, quæ ad *annum* 1130. Cathedræ Episcopalis honore fulsit, Collegiata S. Laurentio sacra, et Ecclesia S. Andreæ Patribus Minoribus Conventualibus concredita. Una olim S. Mariæ Ecclesia Fonte gaudebat Baptismali: sed exorta inter utramque Collegiatam præeminentiarum controversia transactionis fœdere ita composita fuit, ut statuta præeminentiarum paritate, altera alternis annis alteri honore præcederet, et *quod Prior, Vice-prior, et Canonici S. Laurentii possint, et valeant pro eorum Ecclesia obtinere . . . . Fontes Baptismales, et ad id debeant assensum præstare Prior, seu Vice-prior, et Canonici Ecclesiæ S. Mariæ, et in nullo contradicere*: atque ita factum est, ut Parœcia tantummodo S. Andreæ Fonte careret. *Sess. 24. Cap. 13. de Reform.*

Verum hodiernus ejusdem Ecclesiæ Parochus supplex adiit S. Congregationem, exposuitque, quod ejus Parochiani, quorum plerique agrum Hispellensem incolunt, cum nulla tenerentur lege transferendi pueros ad Parœcias Hispelli, ut salutari regenerarentur lavacro, eos ad finitimas, extra Diœcesim etiam existentes, deferebant Parœcias. Quamobrem et sæpe Parochum S. Andreæ latebat, ubinam fideles ipsi subjecti Baptismum suscepissent, et Parochiani docu-

mentum suscepti Baptismi habere, et invenire nequibant. Igitur ad hæc declinanda incommoda facultatem in sua Ecclesia Fontem Baptismalem erigendi instanter postulavit.

Preces remissæ fuerunt Episcopo pro informatione, et voto, atque ut auditis præsertim aliis Parochis, ac Definitorio Ordinis, referret de erectione Parœciæ, cujus favore fuerit reservatus Fons Baptismatis; et de vera necessitate, ac de honoris signo substituendo favore Parœciæ Matricis. Ipse autem has dedit litteras „ Accersivi P. Bonaventuram Mattei Parochum „ S. Andreæ Hispelli, ab eoque comperi, Rm̃um P. „ Josephum Mariam de Bonis Ministrum Generalem „ ejusdem Ordinis, ejusque Definitorium ratum, ac „ gratum habere, Baptismalem fontem in dicta Ec- „ clesia erigi, ac perpetuo conservari. Contra vero „ aliis Hispelli Parochis non placet hujusmodi Fon- „ tis erectio, non quia jus privativum habeant S. An- „ dreæ Parochianos baptizandi, sed potius ne amit- „ tant illud qualecumque lucrum, quod percipiunt „ vel ex nummis, vel ex candelis, quæ ex antiqua „ consuetudine offeruntur a Baptizandorum parenti- „ bus, vel patrinis. Verum quod Parochi duarum „ Collegiatarum Hispelli jus nullum privativum ha- „ beant in eos, qui nascuntur in districtu S. An- „ dreæ, constat ex eo, quod hujusmodi nati pro li- „ bito deferuntur ad alios Fontes, non solum Diœ- „ cesis, sed etiam extra Diœcesim; baptizantur enim „ nunc Fulginiæ, nunc Cannariæ Assisien. Diœcesis, „ nunc Mevaniæ Diœcesis Spoletanæ. Accedit, quod „ neutra ex dictis Collegiatis Ecclesiæ Matricis nomen „ mereatur, cum sint ejusdem dignitatis, et idem „ unaquæque earum spatio unius anni alteri præce- „ dit. Plures autem rationes militant pro erectione „ Fontis in laudata Ecclesia S. Andreæ; ipsa enim „ excedit numerum animarum unius ex Collegiatis „ Curam habentibus. Parœcia est antiquissima, nam „ possidetur a Patribus Conventualibus ab ipso sæculo „ eorum Patriarchæ S. Francisci: in eadem Ecclesia „ depositum est Corpus B. Andreæ Caccioli ejusdem „ Ordinis, et Patroni minus principalis Hispelli: tan- „ dem in eadem propter sufficientem Religiosorum nu-

„ numerum Dei cultus cum ædificatione, ac populi „ frequentia peragitur. „

Supplici Parochi libello cum Episcopi informatione, huic Sacro Ordini per summaria precum *die 22. Februarii* 1823. proposito, rescriptum fuit: *Pro gratia juxta petita*; eoque rescripto fretus Parochus Fontem Baptismalem in sua Ecclesia S. Andreæ confestim extruendum curavit. Aegre id tulerunt Collegiatarum Canonici, ac preces obtulerunt, quibus facultatem a Parocho S. Andreæ obtentam tamquam obreptionis, et subreptionis vitio laborantem traducunt. Quare iterum datæ sunt Episcopo litteræ pro informatione, et voto, atque ut, firmo interim remanente Sacræ Congregationis rescripto, terminum partibus præfigeret ad deducendum jura sua in eadem Sac. Congregatione.

Respondit autem Episcopus. *Miror sane, Priores, et Canonicos utriusque Collegiatæ Hispelli tam acriter insurrexisse adversus P. Bonaventuram Mattei, qui ab ista S. Congr. erectionem fontis in sua Parochiali Ecclesia S. Andreæ petiit, et impetravit. Poterat ille vigore rescripti ejusdem S. C. Fontem erigere; poteram ego pro meo arbitrio, et conscientia erectionem concedere, aut saltem permittere; sed amore pacis, et animi moderatione abundans, ad demulcendos Canonicos contradictores ultra quatuor menses expectavi, antequam decretum meum executoriale prodiret. Canonici autem statim ac nuncium acceperunt de hujusmodi decreto, nullum non moverunt lapidem, ut rescriptum S. Congr. infirmarent, et decreti executionem impedirent. Citationes, monitoria, minæ, inhibitiones Parocho S. Andreæ factæ fuerunt, et ipse absque culpa in lite non parvi dispendii invitus implicatur. Ad sedandas discordias non me piguit nunc unum, nunc alterum ex Canonicis adire, atque illis proponere signum maximum subjectionis, et dependentiæ Ecclesiæ Parochialis S. Andreæ erga utramque Collegiatam, dummodo litigia cessarent. Signum autem subjectionis hoc erat, quod scilicet in Sabbatho Sancto omnium, et singulorum annorum, Ecclesia S. Andreæ non posset benedictionis Fontis sacram functionem peragere, sed aquam benedictam recipere deberet ab ea Collegiata, quæ præcedit. At mea hæc pro-*

propositio non placuit, quia placet illis litigare . . . Verum utique est, Parochos S. Mariæ Majoris, et S. Laurentii a me non fuisse auditos, neque eorum assensum circa erectionem novi Fontis Parochum S. Andreæ exquisivisse: at quæ necessitas aderat eos audiendi, et eorum consensum requirendi? Nemini placet diminutio jurisdictionis, et lucri præjudicium; sed jurisdictionis diminutionem, et lucri præjudicium paterentur Parochi, si novus Fons Baptismalis erigeretur. Ergo etiamsi non audiantur expresse, certi sumus de eorum dissensu, et possumus cum veritate affirmare, illos dissentire a novi Fontis erectione. Dein quæ in præcedenti superius allata informatione retulerat, iterum illustrat, et concludit, EE. VV. rogans, *ut rescriptum pro erectione Fontis a Vobis emissum confirmetis, et dignissimum Parochum S. Andreæ a molestiis, et persecutione liberetis.*

Indicta certaminis die utraque pars jura sua produxit. Collegiatarum defensor contendit, rescriptum a Parocho S. Andreæ obtentum viribus omnino carere. Gratiæ enim omnes, obreptionis, aut subreptionis vitio laborantes, ita sunt irritæ ob defectum voluntatis concedentis, ac si numquam concessæ fuissent, *Cap. Super litteris, et Cap. Postulasti de Rescript., Lotter de Re benef. lib. 2. quæst. 54. n. 9., Rota cor. Emerix decis. 1046. n. 6.*

Novi autem fontis erigendi concessionem Parocho S. Andreæ indultam subreptionis, et obreptionis vitio infectam arbitratur, tum quia Parochus inficiatus est, Collegiatas S. Mariæ, et S. Laurentii privativo gaudere jure pueros ad Parœciam S. Andreæ pertinentes salutaribus aquis abluendi, neutramque ex Collegiatis matricis nomen mereri; tum quia a veritate alienum existimat, plura ex defectu fontis in Ecclesia S. Andreæ Parochianis obvenire incommoda, veramque intercedere necessitatem novi fontis erigendi.

Privativum jus omnes Hispelli pueros baptizandi a tempore, cujus initii non extat memoria, ad Ecclesiam S. Mariæ pertinere elicit *in primis* ex veteri Ecclesiæ disciplina. Antiquitus enim in Ecclesia dumtaxat Cathedrali aderat fons; licet deinde, aucto fidelium numero, in matrice, seu majori cujusque loci Eccle-

sia

sia permissa fuerit unius Fontis erectio, ad quem cuncti aliarum Paræciarum infantes baptizatum deducerentur, *Thomassin. de vet., et nov. Eccl. discip. part.* 1. *lib.* 1. *num.* 8., *Reclus. de Re paroch. tit.* 1. *part.* 1. *num.* 43. At Ecclesia S. Mariæ Majoris ad *annum* 1130. Episcopalis Sedis honore resplenduit, ac proinde ipsa tantummodo privativo jure prædita erat Fonte Baptismali, et in eo omnes saltem Hispelli pueri salutari aqua tingebantur.

Deinde ex transactione inter Canonicos S. Mariæ, et Collegiatam S. Laurentii, super præeminentiis dimicantes, *anno* 1539. inita. Patet siquidem ex ea, Ecclesiam S. Laurentii etiam tum Fonte caruisse, nec ipsi ab auctoritate ecclesiastica licuisse Fontem obtinere, nisi postquam ad id Canonici S. Mariæ consensum præstiterunt, et jurium æqualitas ita inter Collegiatas statuta fuit, ut altera per annum alteri præcederet.

Item ex concessione Fontis Baptismalis favore Parœciæ S. Mariæ Castri Collupini. Cum enim Ecclesia illa Fonte careret, et infantes etiam tempore hyemali ad Collegiatas Hispelli baptizatum transferre opus esset, Episcopus Spoletanus, cui tunc temporis Hispelli Oppidum in spiritualibus suberat, veniam *anno* 1563. impertitus est Parocho Castri Collupini Fontem erigendi, *attenta spoliatione juris baptizandi pueros, ac consensu coram nobis pro præmissis per RR. DD. Priores, et Canonicos dictarum Ecclesiarum Collegiatarum facto.* Ex consensu vero Canonicorum S. Mariæ pro obtinendo Fonte in Ecclesia S. Laurentii, atque ex assensu Canonicorum utriusque Collegiatæ, post constitutam transactione æqualitatem, pro extruendo Fonte in Castro Collupini privativum desumitur Collegiatarum jus habendi Fontem Baptismatis; siquidem ex diversis licentiis, aliis personis concessis, probatur privativa possessio in iis, quorum exquiritur consensus, uti tradit *Rota cor. Kaunitz decis.* 236. *num.* 24., *cor. Molin. decis.* 752. *num.* 7., *et cor. Falconer. tit. de offic. ordin. decis.* 20. *num.* 6., *et seq.*

Tandem ex actibus Sac. Visitationis *anni* 1580. testanti-

tibus, quod *pueri ejus Parochiæ* (S. Andreæ) *baptizantur in Collegiatis Ecclesiis S. Mariæ, et S. Laurentii*; atque ex dictis plurium Testium affirmantium, quod Familiæ, Parœciæ S. Andreæ subjectæ, *sono state sempre solite a portare i loro figli al sacro Fonte Battesimale, esistente nelle due insigni Collegiate o di S. Maria, o di S. Lorenzo.*

Matricitatem quoque vindicare conatur utrique Collegiatæ. Triplicem namque distinguit matricitatis speciem; *veram* scilicet, Cathedralibus solummodo convenientem; *propriam*, ad Ecclesias Parochiales, ex quibus aliæ, veluti e sinu matris, ortum habent, spectantem; ac *minus propriam*, quæ simplicem majoritatis, dignitatis, et præeminentiæ in cæteras Ecclesias tribuit qualitatem, *cap. Venerabili 22. de V, S., cap. 3. Ad audientiam De Eccles. ædific.*, *Reclus. loc. cit. part. 1. tit. 6. num. 2.*, *Rota cor. Ratto decis.* 121. *num.* 3.; atque hanc postremam matricitatis speciem, quæ levioribus indiciis, conjecturis, et consuetudine probatur, *Innocent. in cap. Postulasti de jurepatron*, ad utramque Collegiatam pertinere censet. Ambæ enim, ac præsertim Collegiata S. Mariæ Episcopali Sede olim insignis, honore, et præeminentia præstiterunt Ecclesiæ S. Andreæ; quoniam, ut testantur quidam Hispellenses *da tutti sono state sempre riconosciute, e tuttora si riconoscono per le Chiese primarie, e matrici.* In illis cum ad Hispellum venit Episcopus sacras functiones peragit; easdem, si novus, primo ingreditur; ibi Sacram Visitationem Hispelli exorditur, actus exercet jurisdictionis, puerosque sacro linit chrismate; illuc se conferunt advenæ pro suscipiendis Sacramentis; ad eas statutis anni solemniis accedunt Magistratus, aliæque Oppidi Potestates; in illis generales, quibus ipse interest S. Andreæ Parochus, inchoantur, et finem habent processiones. Ex quibus omnibus matricitatem desumi saltem impropriam docent *Reclus. loc. cit. num.* 69., 87., *et* 117., *Pignat. consul. can.* 109 *num.* 4. *tom.* 9., *Rota cor. Ansaldo decis.* 518. *num.* 14., *et cor. Ratto cit. decis*- 121. *num.* 7., *et seqq.* Matricitatem etiam, seu præeminentiam in alias Ecclesias, ipsa arguit Fontis Baptismatis retentio ex *Francez de*

Eccl.

Eccl. Cath. cap. 15. *num.* 167., *Card. Petra ad Constit.* 2. *Greg. XI. num.* 16., *et S. Congr. in Fulginaten. Funerum* 28. *Augusti* 1773. §. *Quo*: una vero S. Mariæ Ecclesia Collegiata in Oppido Hispelli ab immemorabili tempore Fontem habet, cui ex consensu Canonicorum ejusdem Collegiatæ Fons in Ecclesia S. Laurentii accessit.

Nec hujusmodi matricitatem destrui autumat ex æqualitate præeminentiarum inter memoratas Collegiatas per transactionem statuta; quandoquidem illud solummodo æqualitas efficere potest, ut neutra ex Collegiatis alteri sit matrix, seu altera major; quin tamen repugnet, utramque et matricem esse, et majorem quoad alias Ecclesias; exemplo ducto ab Ecclesiis Cathedralibus æque principaliter unitis, quarum neutra alteri unitæ est matrix, et major, sed utraque cæteras antecellit Ecclesias matricitate, majoritate, et præeminentia.

Necessitatem quoque novi Fontis in Ecclesia S. Andreæ excludere nititur, vel quia nulla Parochianis ex defectu fontis in propria Paræcia imminent incommoda, vel quia ejusmodi sunt, quæ etiam fontis erectione averti nequeunt. Si enim Parochus S. Andreæ (ita edisserit Canonicorum Defensor) de illis incommodis loquatur, quæ cunctis Parœciis Fonte destitutis communia sunt; justam non præbent causam, nullamque novi Fontis construendi arguunt necessitatem, uti ex veteri non minus, quam nova constat Ecclesiæ consuetudine, cum non modo antiquitus, sed etiam nunc plures Parœciæ multis in locis, ipsa non excepta Fulginatensi Civitate, Fonte careant Baptismali, quem ad essentiam Parœciæ pertinere negant *Gonzalez ad reg.* 8. *Cancell. gloss.* 6. *n.* 48., *Barbosa de Jur. Eccl. lib.* 2. *Cap.* 1. *n.* 25., *Card. de Luca de Paroch. disc.* 37. *n.* 10., *Card. Petra comment. ad cit. Constit. n.* 17.

Si vero loquatur de incommodo, quod exurgit idcirco, quia pueri in agro Hispellensi in lucem prodeuntes pro suscipiendo Baptismate ad Parœcias Spoletanas, et Assisienses, quibus viciniores sunt, ex abusu deferuntur; ne ipsa quidem Fontis erectione in Ecclesia S. Andreæ impediri poterit. Parœcia enim S. An-

 dreæ

dreæ intra Hispelli mœnia adeo proxima est Collegiatis, ut ab Ecclesia S. Mariæ *sexaginta quinque*, ab Ecclesia autem S. Laurentii *octo supra centum, et triginta* geometricos distet passus; ac propterea Familiæ in agro Hispellensi degentes, si propter distantiam ad Collegiatas pueros baptizatum non deferunt, nec eos ad Parœciam deferent S. Andreæ, eademque jugiter evenient damna, sive Ecclesia S. Andreæ Fonte careat, sive gaudeat.

Quamobrem (concludit Collegiatarum Defensor) novi erigendi Fontis concessio subreptionis, et obreptionis vitiis manifeste laborat; quia si Parochus S. Andreæ jus privativum habendi Fontem, et matricitatem utriusque Collegiatæ, nullamque pro novo Fonte extruendo intercedere necessitatem pandidisset; S. Congregatio petitam facultatem denegasset, uti denegavit in *Bajonen. Jurium Parochialium* 14. *Maji* 1732., *in Camerinen. Fontis Baptismatis, et Juris Baptizandi* 10. *Februarii* 1748., *et in Ferentina Matricitatis, et Fontis Baptismatis* 18. *Martii* 1797.

Nihil tamen veri reticitum, nihil falsi narratum, Parochi S. Andreæ Defensor contendit; ideoque concessionem Fontem erigendi viribus suis plane pollere. Namque affirmat, veritati consonum esse, incolas ejusdem Parœciæ nullo obstringi sive juris, sive transactionis, sive consuetudinis vinculo infantes baptizandos ad Collegiatas Hispellenses deferendi; siquidem Ecclesia S. Andreæ cum sit Parochialis, jus habet Fontem Baptismalem erigendi, nullaque occurrit lex, ex qua ejus Parochiani ad alterius Parœciæ Fontem accedere debeant. In transactione vero *anni* 1539., qua innituntur Canonici Collegiatarum; omnia jura inter utramque Collegiatam præfinita sunt, ac singillatim conventa; at de jure vel prohibendi fontem in Parœcia S. Andreæ, vel ejus Parochianos compellendi, ut pueros ad Fontes afferant Collegiatarum, nihil cautum invenitur. Consuetudo præterea, quam laudant Canonici, nullius est roboris; nam ex actibus facultativis ab immemorabili quoque tempore exercitis, nec jus, nec obligatio inducitur. Parochiani vero S. Andreæ quoties Collegiatarum adierunt fontes, mere facultative sese gesserunt. Nulla enim oppositio, nul-

la-

Itaque cogendi ratio ex parte Canonicorum nunquam intercessit; imo puerorum delatio ad Collegiatas adeo pendet ex parentum arbitrio, ut præsertim ruri orti ad exteras, etiam extra Diœcesim existentes, Parœcias sine ulla Collegiatarum querela, et contentione delati sint, ac etiamnum deferantur, prout testes fide dignissimi affirmant.

Neque etiam hujusmodi privativum jus sibi arrogare posse Collegiatas, subdit Parochi Defensor, filiationis, vel subjectionis titulo: ex æqualitate enim inter easdem per transactionem præstituta aperte elicitur, neutram esse Parœciæ S. Andreæ matricem; cum ejusdem Ecclesiæ repugnet; duas esse matres. Multoque minus ulla subjectio concipi potest in eadem Ecclesia erga Collegiatas; quoniam Ecclesia S. Andreæ, quæ ante S. Basilii ætatem jamdiu existebat, antiquitate, et celebritate utramque Collegiatam forte præcellit: fundationem autem, et dotationem non a Collegiatis subsidio indigentibus repetit, sed primo a Basilianis, dein a Camaldulensibus, tandem a Minoribus Conventualibus, qui, teste Episcopo, summo studio, et cura eam colunt, ac ornant. Ipsa in electione Parochi, in Sacramentorum administratione, aliisque sacris functionibus libera est, et a Collegiatis independens. Hujus libertatis potissimum quoque argumentum esse arbitratur Domorum benedictionem, quam in Sabbatho Sancto cujuslibet anni per se, et arbitratu suo explet Parochus S. Andreæ.

Novi igitur Fontis erigendi concessio, inquit Parochi S. Andreæ Defensor, nullam attulit Collegiatis juris læsionem: imo Fontis erectionem tribuere oportebat vel Collegiatarum detrimento. Hæc enim Fontis erectio nedum erat conveniens, habita ratione antiquitatis Ecclesiæ S. Andreæ, Sacramentorum administrationis, sacrarum functionum celebrationis, populi frequentiæ, ac numeri animarum majoris, quam in Parœcia S. Mariæ; verum etiam necessaria ad incertitudines, dissensiones, perturbationes, quæ magis magisque in dies augentur, avertendas. Cum enim neutra ex Collegiatis matrix sit, ac jure gaudeat privativo pueros Hispellenses Baptismo abluendi, Parentes, ruri potissimum habitantes, pro suo lubitu mo-

do ad Collegiatas, modo ad finitimas Spoletanas, et Assissienses Parœcias filios deferunt. Hinc dissensio inter Parentes, et patrinos, quænam Parœcia sit adeunda; hinc Baptismi fides ex baptizantis negligentia, vel oblivione in Baptizatorum codices non refertur: hinc Parochum S. Andreæ, ipsosque Parochianos latet, ubinam Baptismum susceperint, quemadmodum Hispellensium testimonio comprobatur.

Insuper Parochus S. Andreæ Fontis postulans erectionem, eo jure usus est, quod jamdudum Canonici S. Laurentii, et nuper Parochus Oppidi *Belfiore* Fulginaten. Diœcesis exercuerunt. Huic enim propter animarum ruri commorantium auctum numerum, uno Episcopo audito, Fontis construendi in propria Ecclesia facultas impertita fuit. In themate autem ipsemet Episcopus auctor fuit, ut controversus fons erigeretur; cujus quidem auctoritatis pondus in iis, quæ animarum respiciunt regimen, maximi est faciendum. Quæ rationum momenta cum satis habenda forent etiam pro novi Fontis concessione, eo magis valere debent, ne Fons, auctorante Episcopo, auctorante S. Congregatione jam extructus, nunc destruatur.

Cætera habent EE. PP. in Allegationibus ex utraque parte distribuendis, ut, qua juris præstant prudentia, dirimere possint

Dubia

I. *An constet de matricitate, seu majoritate Collegiatarum in casu etc.*

II. *An constet de jure privativo Fontis Baptismalis favore Collegiatarum in casu etc.*

III. *An, et quomodo sit servandum rescriptum S. Congregationis in casu etc.*

Iterum proponatur.

OSTU-

OSTUNEN. COMMUTATIONIS VOLUNTATIS, ET REDUCTIONIS. Ecclesia Oppidi *di Locorotondo* Ostunensis Diœcesis olim fuit mere parochialis, eamque Parochus, aliquot juvantibus Presbyteris, et Clericis regebat. Labentibus annis auctus est tam populus Parœciæ, quam Clerus, qui pietatem eximie colens, et solis fidelium spontaneis oblationibus contentus, divinum officium canere in Ecclesia cœpit, Missam deinde Conventualem adjecit; ac demum ad integrum chorale servitium, prout mos est Ecclesiarum Collegiatarum, statutis fallentiis sese devinxit. Ecclesiam Oppidani pluribus ditarunt Legatis Missarum, quæ *anno* 1728 reductæ fuerunt ad *Missas* 2342., statuta quoad plerasque eleemosyna Granorum 25., sive *obolorum* 20. monetæ Romanæ, quoad cæteras Granorum 30., nempe *obolorum* 24. Verum liberalitas Populi *di Locorotondo*, in alendis Ecclesiæ Ministris sensim imminui cœpit, et hac nostra luctuosissima ætate pene defecit. Quamobrem Clerus, ne pium institutum deserere cogatur, novam Missarum reductionem, et voluntatis Defunctorum commutationem implorat, ac petit *dalla massa delle Messe prelevarne trecento sessantasei, e destinarle per Messe conventuali per ogni anno, e queste tassarle coll'elemosina di carlini dodici, applicabili all'anima dei benefattori; e così detratta una tal somma da quella, che si ha per l'assieme delle Messe, dell'avanzo farle celebrare tutte secondo la ragione della tassa sopraddetta*, scilicet Granorum 25., aut 30. juxta Fundatorum voluntatem.

Sess. 22. cap. 6. de reform.

Archiepiscopum Brundusinum, Ostunensis Ecclesiæ Administratorem perpetuum, rogavi, ut referret de vera necessitate reductionis, eleemosyna Missarum vere necessaria juxta taxam Synodalem, deficientia alterius medii minus onerosi, instantiis peractis apud Exequutores novissimi Concordati, et quomodo augmento eleemosynæ Missarum provisum erit fundo Chorali. Responsum Archiepiscopi subjicio. = *Mi fò un dovere assicurare primieramente la giustizia della dimanda, con doversegli assegnare un fondo certo per l'obbligazione del Coro. Dapoichè inteso il detto*

Ca-

Capitolo, ed esaminata la Platea, ove sono segnati i fondi di tempo pervenutigli dalla divozione dei pii disponenti, non vi trovo fondo alcuno, che assegnasse una rendita di sorte alcuna per la quotidiana obbligazione del Coro: ma bensì tutti sottoposti a peso di Messe con l'elemosina stabilita dagli stessi pii disponenti, giusta la rendita dei fondi lasciati. E mi ha fatta meraviglia, come quel Capitolo si sia obbligato al quotidiano peso corale, con la celebrazione della Messa Conventuale, soggettando all'appuntatura gli assenti a guisa delle Chiese Collegiate, quando essa non è che Parrocchiale. Ed io, malgrado le rimostranze sul proposito del riferito Capitolo, ho sostenuto, e tuttavia sostengo il prosieguo senza innovazione alcuna. In secondo luogo avendo esaminato diligentemente l'affare, non ho trovato altro mezzo per sostenersi l'obbligazione del Coro in ogni giorno con la celebrazione della Messa Conventuale giusta il rito corrente, ed obbligare alla multa gli assenti, che la riduzione delle Messe piane in Messe Conventuali cantate; assegnando a queste ultime l'elemosina di carlini dodici per ogni Messa, applicabile a quei pii disponenti, che caderebbero nella riduzione suddetta: elemosina questa stabilita al minimum per le Messe Cantate in questa Diocesi. Simile rendita potrebbe in avvenire formare il fondo del Coro, e sulla stessa stabilirsi la multa per gli assenti.

Con ciò altro non si farebbe, che li pii disponenti per ogni tre o quattro Messe piane, verrebbero ad avere una Messa cantata, oltre il suffragio, di cui anche parteciperebbero, della quotidiana sacra salmodia, e preci Corali.

Finalmente mi resta far presente la positiva difficoltà di potere ottenere la conveniente congrua dagli Esecutori dell'ultimo Concordato, o per ragione delle molte dimande all'oggetto, o per mancanza di mezzi, come in simili casi dai medesimi si è risposto.

E poichè si dimanda il mio parere, io sono di avviso, doversi secondare la dimanda del riferito Capitolo, onde così potersi sostenere l'obbligo quotidiano del Coro, senza di che potrebbe perdersi; ed oggi sopratutto per la deteriorazione dei fondi, e per i pesi accresciuti. =

Ne

Ne defunctorum animæ iis, quæ in vita dilexerunt, suffragiis fraudentur, statuunt Sacri Canones, ut eorum pia voluntas executioni fideliter committatur. Hinc Sacra Congregatio, quæ in certum opus ex morientium dispositione destinata sunt, facile in aliud convertere non solet; eoque minus si de Missarum Legatis agatur, ut in *Nullius S. Benigni 16. Junii* 1792. Verum si ea proponantur, quæ servari expediat, quæque in augmentum divini cultus tendant, ac publicæ utilitatis, et necessitatis causam præseferant, voluntas Defunctorum commutatur, *Pignatell. consult. canon. 80. num. 6 et seq. tom. 4., Piton. discept. Eccles. 69. num. 5., et 13., et Rota in Nepesina Applicat. 30. Januarii* 1733. §. 22. *cor. Aldrovando*; et Legata quoque Missarum suspenduntur, reducuntur, et quandoque supprimuntur *Sacra Congregatio in Casalen. Commutationis Onerum 30. Martii* 1822. §. *Porro.*

Necessitas, vel certe maxima Ecclesiæ utilitas adesse videtur, ut petita concedatur Missarum reductio, ac voluntatis Defunctorum commutatio, nempe ut in Oppido *di Locorotondo* divina conservetur psalmodia, quæ Dei cultum auget, pietatem fovet, et in proximum charitatem. Psalmorum enim, et Hymnorum cantus ad tempora pertinet Apostolorum, Divo Paulo *ad Ephesios cap. 5. num.* 19. scribente = *Loquentes vobismetipsis in Psalmis, et Hymnis, et Canticis spiritualibus, in gratia cantantes, et psallentes* =: idemque repetente *ad Colossenses cap. 3. num. 6.* Alternum quoque cantum ad eadem Apostolorum tempora refert *Beyerlinck in Teatr. vitæ humanæ. verb. Psalmus vers. Est tamen*, et hujusmodi cantum innuere inter Græcos videtur *S. Dionysius De cælest. Hierarch. cap. 3.*; illum vero communem omnibus Ecclesiis testatur *S. Basilius Epist.* 43. exemplo sumpto a cantu Ignatiano: Divus enim Ignatius Episcopus Antiochenus post visionem Angelorum, qui alternis choris laudes adorandæ Trinitatis canebant, alternum cantum in Ecclesia Antiochena præscripsit, *Cassiodor. in Tripartita Lib. 10. cap. 9., Thomassin. de veter., et nova Eccl. discip. Tom. 1. lib. 2. cap. 72. et seq., Ferrar. Biblioth. verb. Psalmus num.* 17.

Inter Latinos vero S. Ambrosius, Græcos imitatus, alter-

ternum cantum in suum Mediolanensem Ecclesiam primus invexit, *S. Isidor. Lib. 1. de Offic. cap. 7.*, *S. August. Confess. lib. 9. cap. 6.*; quem ritum S. Damasus Pontifex Decreto generali firmavit, et toti Catholicæ Ecclesiæ communem reddidit. Hunc autem psallendi modum summopere commendant, et plurimum valere ad fovendam populi in Deum pietatem admonent SS. Patres, et de se ipso testatur S. Augustinus *loc. cit. cap. 6.* = *Quantum flevi in hymnis, et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter.* =, *et seq. cap. 7.* addit: = *Non longe coeperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis, et exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinentium vocibus, et cordibus. Hymni, et psalmi, ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mæroris tædio contabesceret, institutum est; et ex illa in hodiernum retentum, multis jam, ac pene omnibus gregibus tuis, ac per cætera Orbis imitantibus* =. Monet quoque idem S. Doctor, multum utilitatis in rudiores homines effluere ex cantu Psalmorum, et tanta eos perfundi rerum divinarum voluptate, ut non possint non subinde eosdem psalmos, et domi decantare, et ruri. Præterea animadvertit, ex vocum illo concentu, quem ingerit cantus psalmorum, fieri, et confirmari cordium consensum, adeo ut erga proximos charitas foveatur, et ipsi inter se concilientur, qui prius fuerant inimici: = *Quis enim ultra inimicum dicat eum, cum quo unam ad Deum psalmi emiserit vocem* = *Tract. in psalm.*

Verum etsi tot laudibus SS. Patres divinam prosequantur psalmodiam; non tamen videtur Missarum celebrationi præferenda, juxta praxim hujus Sac. Congregationis, qua receptum est, ut concurrente legitima causa, potius servitium Chori, quam Legata Missarum, reducatur. *Tudertina Reductionis 27. Aprilis 1805. §. Quandoquidem.* Præterea nequeunt Presbyteteri *di Locorotondo* sese exonerare a cantu horarum Canonicarum, quia nullis reditibus, sive chorali præbenda fruantur: neque enim ob reditus, distributiones, aliosque ecclesiasticos proventus, sed ex ipsa religione, et quia Clerici sunt, Ecclesiæque servitio mancipati, videntur Presbyteri ad concinendos psalmos obli-

ga-

gati, uti advertit *Thomassin. loc. citat. cap. 73. num. 3.* Alternas namque psallendi vices Clericis proponunt S. Patres, ut facilius, et commodius pareant tum Christi præcepto, tum Apostolorum monitis, quibus et orare, et sine intermissione orare jubentur; cum sint horæ Canonicæ jugis Ecclesiæ orationis, veluti fructus, et publicum monumentum. Hinc Imperator Justinianus de Clericis, qui psallere neglexerint Horas Canonicas, inquit = *Nomen quidem habent Clericorum, rem autem non implentes Clerici circa liturgiam Domini Dei.* = *Leg. Omnem 42. §. Præterea 10. Cod. de Episc., et Cleric.*

Quidquid tamen juris rigor præseferat, Ecclesia pro summa sui benignitate, et sapientia, ad disciplinam suam pertinere censuit, tum suppeditare necessaria Clericis, ut liberius vacarent Dei ministerio, tum ad Chori servitium eos solum obligare, qui reditibus, sive chorali præbenda potirentur. Quod adeo exploratum est, atque inconcussum, ut imminutis fructibus præbendarum, reduci consueverit chorale servitium: imo pluries evenit, ut ad augendos prædictos fructus, et ad congruam mensuram evehendos, commutentur Defunctorum voluntates, et Legata Missarum reducantur, vel etiam supprimantur, ut *in Asculana Missarum 20 Aprilis* 1782., *in Nullius S. Martini 22. Septembris* 1801., *et in Taurinen. Absolutionis etc.* 1. *Martii* 1817. §. *Concurrente*, *et* §. *Petitæ reductioni.* Proponitur itaque

Dubium

An, et quomodo reducenda sint Legata Missarum in casu etc.

Affirmative, et ad mentem.

Sess. 24. cap 12. de reform.

MAZZARIEN. REDUCTIONIS SERVITII CHORI, ET ANNIVERSARIORUM. Sacerdotes participantes Ecclesiæ Matricis Oppidi Careni Mazzarien. Diœcesis, ob imminutionem, ac tenuitatem redituum preces porrexerunt, ut servitium Chori ad horas antemeridianas, et novemdecim Anniversaria ad unum tantum reducantur.

Episcopum rogavi, qui particulas e fundationum tabulis depromptas, statum activum, et passivum redituum, quibus chorale servitium, et Anniversaria quotannis celebranda sustinentur transmisit, et auditis omnibus interesse habentibus, ita votum suum pro supplici Clero aperuit.

Annuum reditum ad uncias quadraginta monetæ Siculæ ab initio ascendisse compertum habui, nempe uncias 16. ob assignationem factam ab illo Oppido (Careni), uncias 12. a Ven. SSmi Sacramenti Societate, et uncias 12. a diversis personis. Posterior hæc summa de unciis 12. ad uncias quatuor est imminuta, partim quia reditus a decem pro centenario ad quinque reducti sunt ad tramites Bullarum Apostolicarum, partim quia Fundi, super quibus erant impositi, injuria temporum periere. Sed quia lucri augmentum, quod fit ex distributionibus absentium, per multos annos non favore interessentium, sed in redituum emptionem cumulabatur, ut a Prædecessore Antistite Mazzariensi statutum fuerat: hinc novis redituum accessionibus hodie in Chori beneficium unciæ quadraginta duæ existunt. Ex qua summa deductis unciis octo pro importationibus regiis, exactionum juribus, aliisque expensis, remanent in Chori beneficium unciæ triginta duæ. Qua quidem summa duodecim Sacerdotibus Choro addictis distribuenda, quota, quæ a singulis percipitur, vix tres uncias exæquat. Præter hos Choro inserviunt alii duo, quorum alter ex particularibus testatorum fundationibus uncias 5. 13., alter uncias 3. 28. 5. annuatim percipiunt.

Existunt denique novem supra decem anniversaria, quibus satisfaciendis addictum est tenuissimum Legatum, adeo ut deducta Missarum eleemosyna, juribus exi-

gen-

gendi, ceræ consumptione, Campanarum sono, nihil, vel certe parum Chori beneficio remaneat.

His omnibus perpensis, est omnino metuendum, ne attenta redituum tenuitate ob interessentium deficientiam horæ Canonicæ persolvantur in posterum: adeoque existimarem Sacerdotum precibus, quæ veritati consentiunt, annuendum.

Omnes tum Sacerdotes, tum Clerici Oppidi Careni fuere initio designati, ut Chorum instituendum componerent. Episcopus autem *anno* 1619. Chori servitium cum Missæ conventualis onere constituit, ut cives in votis habuere, et numerum personarum ex Clero adscripto ad vigesimum coercuit.

Institutionis exordio omnes horæ Canonicæ persolvendæ, Missæque conventuales celebrandæ erant unoquoque anni die, ut moris est: nunc autem onera Choro inservientium non parum sunt imminuta. Servitio Chori antemeridiano, Missæque conventualis celebrationi, quinque tantum ultra tercentos anni dies præfixi sunt: Vesperarum, et Completorii persolutio ad centum quadriginta quatuor dies est redacta. Choro addicti erant viginti ex universo Clero, nunc duodecim tantum, et omnes Sacerdotio insigniti, recensentur. Adsunt præterea duo Beneficiati servitio chorali adstricti, atque alii duo ad Officium canendum solummodo adsciti; at hi omnes peculiaribus reditibus fruuntur. Memoriæ proditum non est, quo tempore, quave de causa hæ reductiones inductæ fuerint.

Quo vero ad Anniversaria novemdecim, sciendum est, ea celebrari ob Legata a pluribus Testatoribus relicta, quorum alii majorem, alii minorem legarunt quantitatem pecuniarum, non tamen ita exiguam, ut pro Missa desit synodalis eleemosyna, quamvis tenuissimum stipendium Choristis destribuendum remaneat.

Profecto si justa urgeat causa, et alia media supplendi non adsint, Sac. Congregatio reductionem servitii Chori denegare non solet. Tenuitas redituum inter justas causas semper recensetur, ut in *Civitatis Castellanæ Reduct. 6. Augusti* 1808., *in Bituntina Servitii Chori* 15. *Septembris* 1770., *et in Firmana Servitii Chori, et Reductionis Missarum* 9. *Augusti* 1817.

Capitularium autem redituum tenuitatem, eadem Sac. Congregatio infra scuta triginta præfinivit; ideoque si reditus hanc summam excedant, aut æquent, tenues non dicuntur, ut in *Amerina 18. Septembris 1751.*, *in Taurinen 10. Julii 1790.*, *in Camerinen. 14. Decembris 1793.*, *in Massanen. Reduct. onerum 14. Decembris 1822. §. At videant*, *et in Corcyren. Missæ Conventualis 8. Maii currentis anni.*

Constans vero est S. Congregationis praxis in concedendis reductionibus, jubendi, *ut Capitulares omnes tempore Adventus, et Quadragesimæ, omnibus diebus festis, et solemnioribus Nativitatis, et Resurrectionis D. N. J. C., Penthecostes, et Sanctissimi Corporis Christi, et per octavas privilegiatas*, ac aliis temporibus Ordinario benevisis jugiter inservire teneantur, ut in *Bituntina Servitii Chori 15. Septembris 1770*, *in Civitatis Castellanæ 6 Augusti 1808.*, *et in Salernitana Servitii Chori 23. Junii 1821. §. EE. PP.* Cæterum ab hac quoque praxi deflexit aliquando, si Chori servitium reducendum non esset quotidianum, et nimis exigui forent reditus, ut in *Civitatis Castellanæ Reductionis 21. Januarii 1809.*, in qua ad dies festos tantum, et hebdomadam majorem servitium Chori reduxit. At maxima semper fuit S. Congregationis cura, ut conservationi Legatorum Missarum consuleretur: hinc illarum reductionem perpetuo denegavit si reditus, licet imminuti, pares oneribus ferendis remaneant; ut in *Bononien. 27. Aprilis 1822 §. Testatores*, *et in Bononien. Reductionis Missarum 29. Maji prox. præt. §. Quod attinet.*

Quæ de servitio Chori ad horas antemeridianas tantum reducendo proponuntur, tenuitati redituum niti videntur, qui pro singulis Sacerdotibus annua *scuta 7. et obolos 20.* non excedunt: hæc enim quantitas a *scutis* 30. longe abest. Cæterum labentibus annis Chori servitium ob imminutum numerum Choro inservientium jam reductum fuisse constat: reductio autem reductionis non facile conceditur, uti respondit hæc Sac. Congregatio in *Spoletana Reductionis 12. Junii 1817*, *et in Asculana Reductionis, et Absolutionis 22. Januarii 1820.*

Quæ vero de Anniversariis novemdecim ad unum tantum

tum reducendis a Sacerdotibus participantibus afferuntur, diligenter expendenda videntur. Sacerdos enim Josephus Ferranti in sui relatione status activi, et passivi, quam uti Administrator redituum Consortii Sacerdotum Episcopo exhibuit, hæc habet: *Esistono num. 19. Anniversarii perpetui coll' obbligo della Messa Cantata alla Romana, suono delle Campane, e consumo di cera, cioè n. 6. per tarì 7. 10. per uno, n. 1. per tarì 10., n. 2. per tarì 8., n. 1. per tarì 14., n. 5. per tarì 15. e num. 4. per tarì 12. in ognuno, nei quali dedotta l' elemosina della Messa, consumo di cera, e tarì 4., ed a chi tarì 6. per suono delle campane, diritti di esigenza, Salarj, e Sagrestani, non restano a beneficio dei Coristi presenti, che pochi grani in ogni Anniversario, per ogni Corista.* Integra igitur præsto est eleemosyna Missarum, ideoque reducenda non videntur Anniversaria, etsi quid minimum pro Choristis supersit: præsertim si his imminuta ceræ consumendæ quantitate, aliisque expensis parcendo, aliqua ratione provideri possit. Definienda proponuntur

Dubia

I. An, et quomodo servitium Chori sit reducendum in casu etc.

II. An, et quomodo Anniversaria sint reducenda in casu etc.

Non proposita cum sequentibus.

NULLIUS FORIPOMPILII, ET BRICTINORIEN. VINDICATIONIS. Finibus Abbatiæ S. Rufilli Foripompilii, Nullius Dioecesis, Capitulo SS. Patriarchalis Vaticanæ Basilicæ perpetuo unitæ, Parochialis continebatur Ecclesia Divi Petri Principis Apostolorum, cujus Archipresbyter erat Episcopus Brictinoriensis, qui

Sess. 7. Cap. 15. de Reformat.

qui Ecclesiæ regimen Vicario demandabat. Frequentes ob promiscuum territorium oriebantur controversiæ, donec *die 18. Novembris 1816.* Apostolica intercedente Auctoritate, permutatio fuit inita, qua Parœcia S. Petri Abbatiæ fuit attributa, et Vaticano Capitulo, aliasque Parœcias Episcopus Brictinoriensis vicissim est adsequutus. Apostolicis permutationis Litteris statutum fuit: *Quoniam vero Episcopalem Mensam Brictinoriensem moderno pro tempore existenti Rectori prædictæ Parochialis Ecclesiæ S. Petri Urbis Foripompilii annua scuta centum, et sep'uaginta monetæ Romanæ usque adhuc persolvisse compertum fuit, per præsentes decernimus, quod salvis remanentibus favore ipsius Rectoris iis bonis, quæ ad eamdem Parochïalem Ecclesiam S. Petri ad præsens spectare dignoscuntur, simulque reservato jure consuetæ domus, pro ejusdem Rectoris commoda habitatione, in qua ipse moratur, et nunc in posterum dicta Episcopalis Mensa Brictinorien. quinquaginta dumtaxat scuta, et numquam amplius, singulis annis solvere teneatur.*

Rector Parochialis Ecclesiæ S. Petri pacifice et annua pensione, et domo fruebatur, cum Promothor Fiscalis Nullius Foripompilii, cui et Vaticanum Capitulum assentitur, indicatam domum ad Capellam S. Mariæ Innocentium, in eadem Parochiali extantem, pertinere arbitratus, hanc Sac. Congregationem adiit, ut illam Capellæ una cum fructibus restitui, ac domum vere Parochialem, quam retineri contendit ab Episcopo Brictinoriensi, tradi Rectori S. Petri impetraret.

Episcopum Brictinoriensem, et Ordinarium Nullius Foripompilii requisivi, ut unusquisque audito suo Promothore fiscali, ac cæteris interesse habentibus, propriam aperiret sententiam, et opportuna rerum gestarum exhiberet monumenta. In primis autem Promothor Fiscalis Nullius Foripompilii Instrumentum protulit *diei 26. Decembris* 1640., quo Joannes Robbia Episcopus Brictinorien. Capellæ Innocentium donatione irrevocabili inter vivos concessit „ unam „ domum saxis lapidibus constructam, coppis co- „ opertam, solariatam, cantinatam, cum puteo, et

ter

„ terreno ad usum cortili, existentem intus Civitatem Foripompilii in Parœcia D. Petri, juxta domum Episcopalem, viam publicam, fossatum, et bona Marci Aurelii Briganti J. U. D. . . . . . ad habendum juxta decreta Summorum Pontificum, ita ut habeatur dicta domus pro incorporata, et applicata, et donata dictæ S. Imagini, ad cujus favorem fructus, nolitus, et pensio currant, ita ut semper debeant impendi pro servitio dictæ Capellæ, et ad honorem dictæ S. Imaginis, nec aliter possent impendi ad effectum, ut possit reintegrari de damnis receptis fraudolenter a R. Jacobo Sansovino illius Bonorum administratore, ut in supplicatione per eum porrecta D. S. Illmæ sub *die* 22. *Januarii* 1626., una cum rescripto intercluso in *Lib. actor. fol.* 105.

Promothor Fiscalis Brictinoriensis Curiæ, cui et Episcopus adhæret, fatetur ultro, domum, quam Rector Parochiæ S. Petri inhabitat, illam esse, quæ in Instrumento *anni* 1640. describitur; sed addit, nullum jus ex ea donatione Capellæ fuisse quæsitum, cum jam ab *anno* 1629. idem Brictinoriensis Episcopus domum ipsam Episcopali Mensæ applicaverit, uti apparere dicit ex Instrumento *diei* 1. *Octobris*, in quo hæc leguntur „ R. Franciscus de Benaglis de Brictinorio, et Rector Parochialis Ecclesiæ S. Andreæ de Rossano . . . dedit, vendidit, et tradidit Illmo, et Rmo D. Fratri Joanni Robbia Episcopo Brictinoriensi, unam domum lapidibus muratam, solariatam, voltatam, et coppis coopertam, cum parvo terreno ad usum Horti, cum puteo, et aliis suis juribus, et pertinentiis, sitam Foripompilii in loco nuncupato *delli Servi*, juxta domum, et jura Episcopalia Brictinorien., domum Camilli Fava, viam publicam, fossatum, et alios, adquisitam ad publicum incantum, ad officium Massaroli positam instante Fisco Episcopali creditore R. D. Jacobi Sansovini, olim dictæ domus Patroni, vigore suæ compositionis, stante, quod commisit facinora; quam domum prædictus Illmus suæ Mensæ Episcopali applicavit, ad habendum, tenendum etc., et hoc pro pretio, et nomine pretii *Libr.* 300. *Bonon.*, quas dictus Venditor fassus est habuisse, et recepisse „.

Si

Si quid discriminis inter Domorum descriptiones intercedit, annorum *undecim* spatio, quod inter utrumque Instrumentum intercessit, omnino tribuendum asserit Promothor fiscalis Brictinoriensis Curiæ, qui præterea ad applicationem peragendam favore Episcopalis Mensæ omnino devenire debuisse Episcopum, arbitratur eoquod „ *La Casa suddetta spettava in origine al Sacerdote Giacomo Sansovini: questi fù Amministratore della Mensa suddetta, ma abusando della confidenza in lui riposta, piuttosto che Amministratore, ne divenne dilapidatore, cosicchè dovette il Fisco Episcopale prendere detta Casa in parziale reintegro dei danni dal detto Sansovini cagionati alla Mensa, e quindi posta all'asta, farla liberare a se stesso, dietro offerta presentata all'incanto dal Sacerdote Francesco Benaglia, occulto Mandatario della Mensa, il quale in seguito la retrocedette alla Mensa stessa, conforme si desume tanto dall' Istromento originario di compra, quanto dal posteriore Istromento, col quale fù assegnata alla Cappella della Madonna degli Innocenti di Forlimpopoli.* Numquam vero Capellam Innocentium domo potitam fuisse, idem Promothor fiscalis eruere nititur ex ejusdem Capellæ donatione ab Episcopo Missiroli *die* 18. *Octobris* 1716. favore Comitis Salvatoris Golfarelli Foropompiliensis peracta, ut illam collapsam, ac tecto carentem restitueret; nec non conservationi etiam sacræ supellectilis Altaris in futurum provideret: quorum nihil evenisset, si Capella suos habuisset reditus, vel certe redituum hujusmodi mentio tunc habita fuisset.

At domum Brictinoriensi Mensæ tributam Instrumento *anni* 1629., ab alia in Instrumento *anni* 1640. descripta, prorsus diversam esse dicendam, Promothor Fiscalis Foripompilii animadvertit. Primam enim *solariatam, voltatam* esse asseritur, secundam tantum solariatam: secunda *cantinata* dicitur, quod in prima desideratur: prima commemoratur *cum parvo terreno ad usum horti, et puteo*; secunda *cum puteo, et terreno ad usum cortili*: primæ finitima assignantur Bona Marci Aurelii Briganti; secunda sita dicitur in loco *delli Servi*, et continem habere Domum Camilli Fava. Duas igitur concludit fuisse domos, quas Episco-

scopus a Sacerdote Sansovini obtinuit, Episcopali domui a duobus diversis lateribus conterminas, quorum una Capellæ concessa ex parte Orientis, propinquam habet domum Brizzoli, hodie Goberti; alia vero, quæ Mensæ est applicata, in Occidentali latere Episcopali domui cohærens, domui Camilli Fava adjacet, et in ea commoratur rei Agrariæ Episcopi Brictinoriensis Procurator cum Forumpompilii petit.

Nullum præsidium ex Instrumento *anni* 1629. mutuari posse Mensam Brictinoriensem, idem Promothor Fiscalis prosequitur, etiamsi una, eademque domus esset in utroque Instrumento commemorata. Sacerdos enim Sansovini administrator fuit, non prædictæ Episcopalis Mensæ, sed bonorum Capellæ S. Mariæ Innocentium; jamque ab *anno* 1626. supplici libello compositionem petens domum obtulerat, ac petitione admissa, si *anno* 1629. Mensæ Episcopali domum ipsam Episcopus applicavit, eo animo id fecisse censendus est, ut illam creditrici cederet Capellæ, prout revera *anno* 1640. peregit; non ut Episcopalem mensam donatione domus ad Capellam spectantis augeret. Cumque compertum sit, Episcopum Robbia domum propria pecunia non adquisivisse; etiamsi perpetuo illam Episcopali Mensæ concessisset: nihilominus Capellæ dominium esset quæsitum, cum pupillis, et minoribus, ideoque et Ecclesiæ, vindicatio competat rerum, quæ propria ipsorum pecunia sunt adquisitæ, *L. Si tutores. 2. ff. Quando ex facto tutoris, vel curatoris, et L. Si Curat. 3. C. arbitrium tutelæ.*

Nec minor de domus amplitudine exardescit contentio: monet enim Vicarius Curatus S. Petri, quod „ *i Vescovi di Bertinoro aveano in Forlimpopoli una Casa, contigua a quella di Monsignor della Robbia, che fù poi in appresso cangiata in magazzeni, stalla, e rimessa, tranne una camera, che si mantiene ancora ad uso d' abitazione . . . . Volendo destinare agli usi sopraddetti la loro Casa, destinarono ad abitazione del Cappellano la Casa di Monsig. della Robbia, donata alla Madonna degl' Innocenti, che si cominciò così a chiamare la Casa del Parroco di S. Pietro, e fu creduta la Casa parrocchiale: è però da osservarsi, che ne' suddetti magazzeni della Mensa vi si comprese una*

 por-

porzione della Casa di Monsignor della Robbia, consistente in una Camera superiore sulla strada, e nel sotterraneo, che dal Cortile si estende sino alla strada istessa, come si può ocularmente verificare.

Episcopus vero Brictinoriensis respondet „ Confundunt „ dictam domum cum horreo vicino, sub quo adest „ stabulum equile, et rhedarum receptaculum: „ nam primo, qui attente propriis oculis considerat „ præfatum horreum, et stabulum, et receptaculum, „ numquam cognoscet vestigia domus habitabilis. „ Quod locale, de quo loquitur Parochus Sancti „ Petri, fuerit horreum *anno* 1513., mihi constat, „ cum in cartula quadam obsoleta invenerim pactum „ Ministri hujus mensæ, factum cum Agricolis *Po-* „ *lentæ*, et *Tumbæ*, deferendi Triticum, et alia gra- „ na in horreum Foripompilii in discursu: ergo etiam „ in illo tempore nominatum locale non erat illa „ domus, quæ empta fuit sæculo posteriori, sed „ horreum multo prius existens „.

Tandem ipsius Episcopi Promothor Fiscalis, testes Joannem Baptistam Monti, et Dominicum Bruni colonos, nec non Petrum Maldini possidentem inducit, qui affirmant = *abbiamo mai sempre veduto, che la stessa Mensa godeva fin d' allora, che sarà un epoca di sessanta e più anni, tutti quei Magazzeni, composti di quattro ambienti a solaro, e di sei a pianterreno, e che la medesima Canonica non si estendeva, se non che sul primo piano a solaro con una sola camera da ogni lato chiusa, e che soprasta ad un ambiente a pian terreno, che in oggi serve di Cantina, e che in passato serviva di magazzeno per detta Mensa; nè giammai la detta Canonica ha esteso più le sue proprietà, essendo questo di nostro fatto proprio.*

Prosequitur etiam ex *L. 1. ff. de usurpat.*, et *usucapion.* idem Promothor Fiscalis quod *bono publico usucapio est introducta, ne scilicet quarumdam rerum diu, et fere semper incerta dominia essent, cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium*; ideoque omissa de proprietate disputatione, ad præscriptionem confugit. Neminem vero latet ex *L. 24. Cod. de sacros. Ecclesiis*, *Novella III.*, nec non *Novell.* 131. quadraginta annorum spatium ad

ad Ecclesiarum res præscribendas requiri. Cum igitu Episcopalis Mensa Brictinoriensis domum acceperit ar Episcopo Robbia, etiamsi ad *annum* 164.., qub mortem obivit, possessionis initium esset protraheno dum, de præscriptione nulla remaneret dubitatio-semper enim, et pacifice Vicarii Curati, Episcopi; nomine, domo potiti sunt, neque ipsorum possessio, aut juris ordine servato, aut saltem facto a quoquam fuit interrupta, vel perturbata.

Præscriptionem tamen sine possessione nullam esse posse docet *Textus in Cap.* 3. *de Reg. juris in* 6., cui consonat *L.* 25. *ff. De usur.* Possidere est animo, et affectu dominantis reint enere, *Vinn. in Instit. De Interdict.* §. 5. *n.* 1.; idcirco is possidere dicitur, cujus nomine possidetur, *Cap. Cum. venissent.* 9. *final. de restitut. spol.*, *et Cap. Si diligenter.* 17. *de præscriptionibus*, et qui non sibi, sed alteri possidet, nullo unquam tempore præscribere valet, *Reiffenst.Lib.* 2. *Decretal. tit.* 26. *num.* 188., *Vinn. in Instit.* §. 7. *num.* 1. *De usucap. et præscript.*, et hæc Sac. Congr: in *Brictinorien. Paræciarum* 8. *Maji* 1824 §. *Quod si*: Itaque licet Episcopus, vel ejus Vicarius possedisse videatur, attamen Capellam per Episcopum possedisse, concludit Promothor Fiscalis Foropompiliensis. Episcopi enim fundatam intentionem habent in jure ad rerum Ecclesiasticarum administrationem, *Cap.* 3. *de religios. domibus*, *et Concil. Trid. Sess.* 7. *cap.* 15. *de reformat*; peculiari præterea titulo honestabantur Episcopi Brictinorienses, tamquam Archipresbyteri S. Petri, qua in Ecclesia Capella S. Mariæ Innocentium continetur. Cum igitur omnes Brictinorienses Episcopi in eadem possessione perseveraverint, nullum ex ea præsidium ad præscribendum derivari potest: nec enim dimissa prima possessione aliam inchoarunt, quod esset luculentissimis probationibus evincendum: hinc apprime ad rem pertinet Textus *in Leg.* 19. §. 1. *ff. de adqu., vel retin. poss.* = *Quod scriptum est apud veteres, neminem sibi causam possessionis mutare posse, credibile est de eo cogitatum, qui, et corpore, et animo possessioni incumbens, hoc solum statuit, ut alia ex causa id possideret: non si*

quis dimissa possessione prima, ejusdem rei denuo ex alia causa possessionem nancisci velit.

Quamquam si proprio etiam nomine per Vicarium Episcopi Brictinorienses possidere voluisse dicerentur, præscriptionem nihilominus non intercessisse idem Promotor Fiscalis putat ex *Reg.2. de regulis juris in 6.*, ex defectu scilicet bonæ fidei, quia *possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Legitur enim in ipsa Cappella S. Mariæ Innocentium tabulæ marmoreæ inscriptum elogium Episcopi Robbia his verbis

D. O. M.

Illmo, ac Rmo D. D. Joanni a Robbia

. . . .

Post erect. Inflammatorum Accademiam, hancque dotatam aram

Atque sacerd. nominationem Communitati donatam Præclarum vitæ cursum consumatum anno salutis

MDCXLI.

Facili igitur negocio Episcopi dotationem Capellæ ab eorum Prædecessore expletam cognoverunt, vel saltem cognoscere præsertim in sacris Visitationibus debuissent; nullo proinde tempore in bona fide sunt versati, *Leg.* 121., et *Leg.* 161. *ff. de reg. jur.*

Si pro domus vindicatione respondendum EE. VV. censeant, de fructuum restitutione favore Capellæ, de meliorationibus, quas Parochus possessor fide optima expletas repetit, nec non de evictione Parochiali Ecclesiæ S. Petri, ejusque Rectori præstanda, decernant oportet.

Exploratum est, in judicio vindicationis rem cum omni causa restituendam venire, idest cum omni utilitate, in qua et fructus continentur, *L. Herennius.* 42. *ff. De usur.*, *et fruct.*, *L. Si tibi homo §. Cum Servus ff. de Legat.* Cum vero hac actione urgetur bonæ fidei possessor, fructus, quos ante litis contestationem percepit, atque consumpsit, nullimode cogitur restituere ex *Leg.* 25. §. 1. *ff. De usuris*. Videant itaque EE. PP., an Episcopus Brictinoriensis, ejusque Prædecessores fide bona possederint, ut statuant, num fructuum

re-

restituendorum nomine quidquam Capellæ debeatur. Optimæ quidem fidei possessor habendus dubio procul est Rector Parochialis Ecclesiæ S. Petri, qui traditam sibi domum, quam parochialem putavit, pacifice incoluit. Possessor autem bonæ fidei necessarias, utilesque impensas recuperat, *L. Domum. Cod. De rei vindicatione*, *L. In fundo. 38. ff. Eod.*

Promothor autem fiscalis Foripompilii prosequitur; si domus evincatur, ab Episcopo in permutatione concessa, ex apertissima *Leg.* 29. *Cod. De evict.* jus sibi integrum esse, id quod interest favore Parochialis Ecclesiæ S. Petri, ejusque Rectoris consequendi, quo nomine pretium, aliasque præstationes contineri concludit, *Leg.* 6., 9., *et* 25. *Cod. Eod.*, cum et Episcopus ipse fuerit hoc ad judicium vocatus, imo et jura sua protulerit, *L.* 17. *Cod. Eod.* Verum pro Brictinoriensi Episcopo est animadvertendum, ex *L.* 1. *Cod. de rer. perm.*, *et præscr. verbis.* de evictione in permutatione actionem dari *ad exemplum ex empto actionis*, quando nempe in permutatione res, pretium, et consensus, requisita scilicet emptionis venditionis, inveniantur. Res in themate desiderari videtur, cum Episcopus domum non tradiderit, sed tantummodo nihil contra Rectorem se facturum spoponderit, ut innuitur verbis *salvis remanentibus favore ipsius Rectoris iis bonis, quæ ad eamdem parochialem Ecclesiam S. Petri ad præsens spectare dignoscuntur, simulque reservato jure consuetæ Domus pro ejusdem Rectoris commoda habitatione, in qua ipse moratur*. Desideratur et *pretium*, de quo ne verbum quidem occurrit.

Vestrum erit EE. PP. pro ea, qua polletis sapientia, dirimere

Dubia

I. An, et quomodo Capella reintegranda sit in casu etc.
Et quatenus affirmative

II. An, quibus, et quomodo Episcopus Brictinoriensis ad evictionem teneatur in casu etc.

TI-

Sess.22.Cap.9. de Reformat.

TIBURTINA. Christophorus Raffaeli ex Oppido Montiscœlii Tiburtinæ Diœcesis *anno* 1730. ultimo suæ voluntatis elogio in pia opera erogari voluit fructus suæ hæreditatis, cujus administratores, ac testamentarios Executores designavit Archipresbyterum S. Joannis Evangelistæ, et Parochos S. Laurentii, et S. Antonini ejusdem Oppidi, et singulis annuum emolumentum scutorum trium attribuit. Jussit autem 1. Redituum partem, Administratorum judicio statuendam, erogari in sustentationem Capellani amovibilis ab Archipresbytero nominandi, qui ipsum Archipresbyterum in omnibus parochialibus muneribus adjuvare teneretur. 2. Anniversarium pro ejus anima celebrari cum Missa cantata, aliisque lectis de requiem sine numeri designatione. 3. Sacrum quotidie in perpetuum fieri ad altare majus Archipresbyteralis Ecclesiæ S. Joanni Evangelistæ dicatum 4. Exercitium bonæ mortis tertia cujusque mensis Dominica haberi cum expositione SSmi Sacramenti, cereis triginta tribus accensis, et cum sermone ad populum de passione Christi, datis Oratori obolis triginta qualibet vice. 5. Numisma a Summo Pontifice benedictum distribui omnibus iis, qui diebus festis B. M. V. sine labe originali conceptæ, et S. Jo. Evangelistæ ad sacram synaxim accederent.

Hæreditaria Christophori Bona, ob aliquot evictiones plurimum imminuta, possidebat titulo patrimonii sacri *anno* 1774. Sacerdos Dominicus Trasciani, qui reductionem onerum ab Episcopo Julio Natali petiit, ac sequens obtinuit Decretum. *Attentis precibus, et præsertim jactura nonnullorum Fundorum, nec non enormi diminutione redituum . . . decernimus per modum provisionis, Oratorem debere Dominica tertia cujuscumque mensis exponere adorabile Christi Corpus cum præscriptis luminibus, consentaneum ad populum habere sermonem, et Archipresbytero pro tempore in parochialibus actionibus opitulari, prout oportuerit. Præterea donec fructus pii operis . . . . augeantur, volumus, eumdem* (Oratorem) *teneri ad celebrandum, et applicandum juxta Fundatoris voluntatem* 200. *Sacra quotannis. Quod si quam primum conspicue reditus*

tus accreverint, quam primum pariter Missarum numerus amplior fiat. Nulla in Decreto fit mentio de Anniversario, et de Numismatum distributione; quæ omnia post Decretum semper omissa fuerunt: quotannis autem usque ad mensem *Junii* 1804. Missæ biscentæ fuere celebratæ, donec scilicet ob alia deperdita hæreditaria capita Episcopus Vincentius Manni, uti Delegatus Apostolicus, Missas ad triennium reduxit ad centum tantum annuas, quæ reductio de triennio in triennium usque ad *annum* 1820. fuit prorogata.

Capellaniam aliquot ab hinc annis obtinuit Sacerdos Philippus Petrara, nominatus ab Archipresbytero, qui memoratis duobus Parochis annuentibus, etiam bonorum administrationem eidem concredidit. Verum onera a Testatore Raffaeli imposita adimplere neglexit Sacerdos Petrara, et Episcopi auctoritatem implorare oportuit, ut rationes redderet suæ administrationis, in qua ipsum non rite fuisse versatum, facile patuit. Parochus deinde Ecclesiæ S. Antonini designatus, proindeque alter ex tribus Administratoribus factus, Capellaniam dimittere noluit, et Archipresbyterum indulgentem est expertus, quamvis fieri nullo modo posset, ut simul et in sua Parœcia, et Archipresbyterum adjuvando munera parochialia expleret. Inde vero contentiones, et jurgia Archipresbyteri, et Parochi Petrara cum alio Administratore Sacerdote Joachim Rusconi, Parocho S. Laurentii, qui Testatoris voluntatem fraudari cernens, administratoris munus dimittere curavit, et Episcopo ejus renunciationem acceptare nolente, hanc Sacram Congregationem adiit, ut ipsi renunciandæ administrationis venia concedatur.

Episcopum requisivi, qui omnia ea narravit, quæ mox summatim collegi, ac deinde ita sensum animi sui aperuit. = Remedia, modosque proponam, quæ opportuna mihi videntur ad pium opus in bono regimine revocandum, et quantum fas est meliorandum. *Primo* igitur orandum S. Patrem dico, ne ultra permittat bona hujus pii operis cuique in titulum patrimonii sacri adjudicari, quoniam mala multa ex hoc indulto dimanata fuisse compertum est

„ est. Et si aliquo speciali casu evidentis utilitatis,
„ aut necessitatis indulgendum foret, eæ apponantur
„ conditiones, quæ administrationem pii operis in
„ tuto ponant. *Secundo*. Cum hic experientia con-
„ stet, multiplicitatem administratorum damna attu-
„ lisse, et afferre, facultatemque Archipresbytero
„ datam nominandi Capellanum ad nutum, fere ad
„ dispotismum hac in re inducere: Capellanum ve-
„ ro nimis exonerare Archipresbyterum cum præju-
„ dicio, et magno Populi questu; ideo orandam pa-
„ riter Sanctitatem Suam puto, ut his in articulis Te-
„ statoris voluntati derogare dignaretur. Dempta sic
„ ab Archipresbytero nominatione, sub Ordinarii re-
„ sponsabilitate constituatur, qui et auxilium a Ca-
„ pellano præstandum una cum congruo stipendio pro
„ sua conscientia designet. Dempta pariter admini-
„ stratione a tribus Parochis, Ordinario facultas con-
„ cedatur unum nominandi administratorem cum
„ emolumento scutorum novem a Testatore decla-
„ rato, et ultra etiam, si oportuerit; quotannis ad-
„ ministrator ipse rationem reddere teneatur, et cæ-
„ tera præstare, quæ opportuna ipsi Ordinario vide-
„ buntur.

„ Demum quoniam in facto, et rerum examine, faci-
„ le est difficultates, et obstacula invenire, vel de va-
„ liditate nonnullorum actorum, vel de oscitantia in
„ onerum satisfactione, vel ex circumstantiis perso-
„ narum, quæ forsan aliqua in parte damna rein-
„ tegrare tenerentur; sicuti etiam quoniam ob Sacer-
„ dotum deficientiam, et eleemosynarum copiam,
„ difficile est eo in Oppido invenire, qui designata
„ in ara velit Capellaniæ Missarum onera adimpleri,
„ opportunum censeo, remittere arbitrio, et con-
„ scientiæ Ordinarii facultatem sanandi, et absolvendi
„ quoad præteritum, in futurum vero statuendi, et
„ moderandi quidquid spectatis reditibus, aliisque cir-
„ cumstantiis congruum, et rationabile apparebit, ita
„ tamen ut quoties reditus augerentur, et meliores
„ succederent conditiones, ampliori pariter extensio-
„ ne Testatoris voluntas impleatur. =

Reditus tempore fundationis erat *scutorum* 148. 80., nunc autem vix ad *scuta* 66. 03.$_2$ ascendunt. Expen-
sæ

sæ necessario ferendæ eodem fundationis tempore erant *scutorum* 33. 60.; ideoque non deerat congruum Capellani emolumentum: nunc pro oneribus saltem *scuta* 51. 40. sunt impendenda, nempe annua *scuta* 30. pro eleemosyna *obulorum* 15. in singulas Missas 200. celebrandas juxta reductionem ab Episcopo Natali concessam: *scuta* 3. 60. pro sermone habendo in tertia cujusvis mensis Dominica; *scuta* 3. 80. pro triginta tribus cereis accendendis in bonæ mortis exercitio; *scuta* 5. pro oneribus prædialibus, quæ tempore fundationis non præstabantur, denique *scuta* 9. Parochis administratoribus a Testatore assignata. Supersunt proinde *scuta* 14. 65. $\frac{1}{3}$, nec aliud est emolumentum, quod Capellano Archipresbyterum adjuvanti adscribi possit.

Administratione hæreditariorum bonorum Christophori Raffaelli se abdicare cupit Sacerdos Joachim Rusconi, Parochus Ecclesiæ S. Laurentii Montiscœlii, qui illam, uti Executor testamentarius a Testatore designatus, assumpsit. Profecto libera erat Parocho Rusconi facultas vel recusandi, vel acceptandi officium Executoris testamentarii, et administratoris, in Christophori supremo elogio eidem collatum, uti in terminis Executoris electi ad pias causas docent *Tiraquell. de privileg. caus. piar. privileg.* 87. *in princ.*; *Carp. de Execut. testam. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 2., *Amostaz. de caus. piis lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 17. At postquam officium acceptum habuit, illud exequi, et implementum voluntatis defuncti curare tenetur, ac etiam compelli potest, *cap. Joannes* 19. *De testam.*, *L. Si quis §. Funus ff. De religios.*, *et sumpt. funerum*, *Carp.*, *et Amostaz. loc. cit.*, *Guttier. de tutel. part.* 3. *cap.* 45. *num.* 13., *Covaruv. de Testam. cap.* 19. *num.* 3., *Reiffenst. lib.* 3. *tit.* 26. *de Testam. num* 785., *Pirhing. eodem tit. num.* 113. Mandatum enim suscipere cuivis liberum est, susceptum vero cogitur adimplere, *L. In commodato* 17. *§. Sicut ff. Commodati*, *Leg. Si mandavero* 22. *§. Julianus ff. Eod.*, *Reiffenst. loc. citat.*, *Amostaz. de caus. piis lib.* 6. *cap.* 5. *n.* 19., *Molin. de Just.*, *et jur. disp.* 248. *n.* 3.

Verum Parochus Rusconi non sponte, non ex quadam animi levitate, sed ut tranquillitati propriæ conscien-

tiæ consulat, muneri Executoris testamentarii, et Administratoris renunciare cogitur. Cum enim omnia inordinate, et contra Testatoris voluntatem geri cernat; cum id neque sinere debeat, neque impedire valeat; cum denique implorata Episcopi auctoritate jurgia, et contentiones cum Archipresbytero, et Capellano, nunc etiam Parocho administratore Petrara exarserint, qui nimium propositi tenaces flecti nullo modo potuerunt: id unum superesse videtur, ut Parochus Rusconi officium dimittat, ne scandala oriantur, atque ut omnia tollantur dissidia. Episcopus autem, quamvis Parochi Rusconi renunciationem acceptare noluerit, in ea est sententia, ut adempta tribus Parochis administratione, ipsi, ac ejus Successoribus potestas fiat *nominandi administratorem cum emolumento scutorum novem a Testatore declarato, et ultra etiam si oportuerit.* Unicum proinde Administratorem, Parochis submotis, eligi vellet, ac præterea totam etiam in reliquis voluntatem Testatoris Raffaeli commutari.

Servanda tamen, ac religiose implenda est defunctorum voluntas, *Can. ultima voluntas caus.* 12. *qu.* 2., *Sac. Congr. in Novarien. Reductionis, et absolut.* 18. *Septembris* 1824.; et quamvis justa, et necessaria concurrente causa, etiam voluntatis divinum cultum respicientis, commutatio concedatur, *Conc. Trid. Sess.* 22. *cap.* 6. *De reform., Sac. Congreg. in Forolivien. Reductionis* 12. *Julii* 1799. *ad II. Dub.*: nulla tamen in themate causa adesse videtur, ob quam administrationis methodus a Testatore Raffaeli præscripta sit immutanda. Accedit, nova administrationis forma ab Episcopo proposita damnum irrogari Archipresbytero, et Parochis ab eodem Testatore designatis, quibus annuum emolumentum, administrationis intuitu percipiendum, auferretur. Perpendere tamen dignentur EE. PP., an detrimenta, quæ hactenus pio Legato obvenerunt, et commoda, quæ speranda esse affirmat Episcopus, novam administrationis methodum statui postulent, posthabito Parochorum damno, qui si tenue emolumentum amitterent, sollicitudine quoque prædictæ administrationis levarentur.

Quoad onera a Testatore imposita, quæ ab Episcopo Natali

tali reducta fuere *anno* 1774. omissis Anniversario, et Numismatum distributione, de quibus etiam tunc nulla mentio est habita; exploratum est, reditus deesse, ac illa, ne servata quidem indicta reductione, impleri posse. Reditus enim vix ad *scuta* 66. 03. $\frac{1}{7}$ pertingunt, et *scuta* 51. 40. sunt eroganda pro oneribus, inter quæ Capellani emolumentum nequaquam recensetur. Primo tamen loco jussit Testator, partem redituum Capellano amovibili assignari, qui Archipresbytero in parochialibus muneribus implendis opem ferret. Itaque reductio minime deneganda videtur, cum fructus oneribus respondere debeant, *Sac. Congregatio in Nullius Montis Virginis Reductionis Servitii Chori, et Missarum* 4. *Junii* 1823. §. *Hisce, et in cit. Novarien. Reductionis, et absolutionis* 18. *Septembris* 1824. §. *Bona*; etsi de reductione reductionis agatur, quoniam patet, reditus post primam reductionem plurimum esse imminutos, *Sac. Congr. in Novarien. Reductionis Missarum* 7. *Septembris* 1793., *et in Thelesina, et Cerretana* 6. *Maji* 1820. §. *Ad Missas.*

Verum si reductionem largiendam EE. VV. censeant, perpendendum erit, quænam, et quomodo Legata sint reducenda. Generatim imminutio Legatorum fit pro rata, si parem erga omnia Testator affectionem panderit. *Amostaz de Caus piis lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 40., *Passerin. de stat. homin. quæst.* 187. *art.* 4. *num.* 1101, *Sac. Congr. in Mazzarien. Reductionis, et Absolutionis* 14. *Decembris* 1822. §. *Quod si*. Cæterorum tamen onerum, potius quam Missarum reductio conceditur, cum ex Missis animæ Defunctorum majus suffragium consequantur. *Fagnan. in Cap. Ex parte. De Constit. num.* 34., *Sac. Congreg. in Derthonen. Reductionis* 19. *Maji* 1787., *et in Romana Reductionis* 8. *Augusti* 1818., nisi Testator alia onera se prædilexisse, ac Missis etiam anteponenda esse aperte ostenderit, *Sac. Congr. in Bononien. Absolutionis, et Reductionis* 24. *Maji* 1823. Testatoris autem dilectio, et ab ipso volita unius potius, quam alterius oneris prælatio, et implementum, rectissime ex ordine scripturæ eliciuntur, adeout ea sint onera anteponenda, quæ priorem in scriptura locum tenent. *Sac. Congr. in citat. Romana Reductionis*

 8. *Au-*

8. *Augusti* 1818., *et in Mazzarien. Reductionis*, *et Absolutionis* 14. *Decembris* 1822.

Primum in Testamento Christophori Raffaeli juxta scripturæ ordinem tenet locum annua pensio Capellano solvenda, qui Archipresbyterum adjuvet in implendis parochialibus muneribus. Anniversario omisso, de quo nulla post *annum* 1774. habetur mentio, Legatum occurrit Missæ in perpetuum quotidie celebrandæ ad Altare majus Archipresbyteralis Ecclesiæ S. Jo. Evangelistæ. Postremum est exercitium bonæ mortis (cum jamdiu numismatum benedictorum distributio prætermitti consueverit) tertia Dominica cujusque mensis, cum sermone de Christi passione, et cum expositione SSmi Sacramenti, accensis triginta tribus cereis habendum. Onera hæc sunt reditibus hæreditariis ferenda, quorum quantitas, demptis tributis in scutis 5. necessario pendendis, ac sumptibus administrationis in scutis 9. a Testatore assignatis, erit statuenda: cumque scuta 52. 03. $\frac{1}{1}$, quæ supersunt, omnibus prædictis oneribus ferendis paria esse nequeant; dignentur EE. PP. pro sua sapientia decernere, quæ onera, et quomodo sint reducenda, ut suum, quo fieri poterit meliori modo, effectum sortiatur Testatoris voluntas.

Non de reductione tantum, sed etiam de Missarum translatione disserit Episcopus in sua Informatione, sibique facultatem tribui optat, Missas ad alias Ecclesias transferendi *quoniam ob Sacerdotum deficientiam, et eleemosynarum copiam difficile est eo in Oppido* (Montiscælii) *invenire, qui designata in Ara velit Capellaniæ Missarum onera adimplere*. At Missarum translationi resistit Testatoris voluntas, qui et Ecclesiam, et altare designavit: hinc sæpe hujusmodi translationes denegavit hæc Sac. Congregatio, ut in *Vicen. Translationis Onerum Missarum* 19. *Apr.* 1766., *et in Patavina Translationis Missarum* 18. *Novembris* 1802. Præsertim cum Parochialem, ac primariam Oppidi Ecclesiam, nempe Archipresbyteralem elegerit Christophorus: ideoque fieri vix possit, ut pro Missarum translatione publica necessitatis, vel utilitatis causa concurrat, ob quam tantummodo eamdem

trans-

translationem indulgere solet eadem Sac. Congregatio, ut in *Terracinen. et Setina Translationis Missarum 26. Aprilis 1806.*, *et in Casalen. Commutationis onerum, et voluntatis 30. Martii 1822.*

Præcipua vero cum fuerit Christophori Raffaeli cura, ut Archipresbyter Capellanum adjutorem haberet in implendis parochialibus muneribus; cumque Capellanus Petrara jam obtinuerit Parœciam S. Antonini, Capellania cum Parœcia incompatibilis erit dicenda. Neque enim duabus in Parœciis unus idemque Sacerdos Parochi munere fungi poterit; hinc Capellaniam dimittat oportet, si Parœciam retinere velit, ad regulam de qua *Conc. Trid. sess. 7. cap. 4. de Reform.*, *Pax Jordan. tom. 2. Lib. 10. tit. 28. num. 5., et seq.*, *Ventrigl. in Prax. tom. 1. annot. 17. §. 1. per tot*, *Rigant. ad Regul. 1. Cancell. §. 8. num. 4.* Favet nihilominus Capellano, et Parocho Petrara Archipresbyteri indulgentia; favet etiam Capellaniæ qualitas, quæ cum manualis sit, et ad nutum amovibilis, officium est, non verum Beneficium, *Fagnan. cap. ad audientiam num. 120. De rescript.*, *Sac. Congr. in Faventina Capellaniæ, et subsidii dotalis 25. Maji 1822. §. quatenus*: Videant tamen EE. PP., an hæc tanti sint, ut permitti valeat retentio Capellaniæ cum Parœcia, an potius cavendum omnino sit, ne Testatoris voluntas debita executione fraudetur, et vel in Parœcia S. Antonini, vel in adjuvando Archipresbytero Sacerdos Petrara muneri suo desit. Itaque proponuntur

Dubia

I. *An sit admittenda renunciatio Parochi Rusconi in casu etc.*

II. *An quoad administrationem hæreditatis, et quomodo, commutanda sit voluntas Testatoris in casu etc.*

III. *An, et quæ onera, et quomodo sint reducenda in casu ec.*

IV. *An, et quomodo concedenda sit translatio Missarum in casu etc.*

V. *An*

V. An Parochus Petrara Capellaniam retinere possit in casu etc.

Sess. 21. Cap. 3. de Reform. et Sess. 23. cap. 1. de Reform. §. Si quis.

MACERATEN. Parochialem Ecclesiam S. Blasii in Oppido Montis Milonis Maceratensis Diœceseos, quæ a Præposito cum quatuor Capellanis procurabatur, ad Collegiatæ honorem evexit S. M. Benedictus XIV. *anno* 1749., Præposito in primam dignitatem, et Capellanis in Canonicos adlectis, quibus accesserunt Primicerius, et alii quatuor Canonici, nec non tres Beneficiarii. Præbendæ, ac Beneficia omnia oneri jurispatronatus sunt obnoxia: Collegiata vero præteritorum temporum asperitate commune omnibus Collegiatis infortunium est passa, cum eam suppressam, et extinctam dixerint, qui tunc summam imperii tenebant. Verum restituto feliciter Pontificio regimine, Bona Beneficiorum, et præbendarum fuerunt Collegiatæ restituta, quin tamen fuerit communis Massa redintegrata. Quamobrem et honoris insignia resumpserunt Capitulares, et Capitula indicere, et Choro servitium præstare cœperunt: at non defuerunt, qui chorale servitium negligerent, et Missas in turno pro benefactoribus celebrare detrectarent = *perchè la Collegiata non è ancora ripristinata*, = et quia ob deficientem Massam capitularem nulli sunt reditus pro distributionibus assignandi. Itaque nonnulli Capitulares, divini cultus promovendi caussa, hanc Sac. Congr. adierunt petentes, ut definire dignetur, an Collegiata etiam absque Massa communi in pristinum restituta sit dicenda; ideoque omnes Capitulares chorale servitium præstare, uti ante suppressionem teneantur: nonnullos quoque abusus irrepsisse conquesti sunt,

de

de quibus suo loco verba faciam, eosque removeri, ac tolli postularunt.

Requisivi de more Episcopum pro informatione, et voto, ut auditis in scriptis interesse habentibus, et transmissis documentis ad rem facientibus, referret de annuo reditu, et oneribus, et numero Canonicorum, tam de tempore erectionis Collegiatæ, quam de præsenti, de qualitate servitii præstandi, et quare Massa communis redintegrata non fuerit. Cum eo tempore contigerit Episcopi abdicatio, responsum dedit Vicarius Capitularis, qui opportuna rerum gestarum monumenta transmisit, sed animi sui sententiam minime pandidit.

Constat igitur, Præpositum, ad quem nunc animarum cura pertinet, quamvis in erectione Collegiatæ ab eadem fuerit exemptus, annua *scuta* 130.; Primicerium vero *scuta* 80. 10. cum onere 70. Missarum; quatuor Canonicos (olim Capellanos) dictos *del Monte*, quia præbendas a Sac. Pietatis Æde habuerunt, nec non alium novæ erectionis Canonicum pariter *del Monte*, adjectis nonnullis oneribus, *scuta* 35. pro unoquoque percipere. Sextus Canonicus *scuta* 80. obtinet cum obligatione trium Missarum quavis hebdomada; septimus Canonicus *scuta* 60. consequitur cum onere pariter duarum Missarum singulis hebdomadis, et Missæ cum cantu die 26. Julii celebrandæ: octavus denique ac ultimus Canonicus, qui primus est Vicarius curatus, *scuta* 129. percipit, eique onus incumbit faciendi Sacrum pro populo quolibet die festo. Primo Beneficiario, qui secundus est Vicarius Curatus, *scuta* 90. pensitantur: reliqui duo Beneficiarii ab Ærario publico pensionem, primus *scutorum* 28., alter vero *scutorum* 18. accipiunt.

Constitutiones, seu Capitula *del Monte* ab Episcopo Maceraten. *anno* 1662. approbata, Capellanis (nunc Canonicis) onus imposuerunt quotidie per turnum celebrandi, statutis horis, commodo fidelium Missas duas, quarum libera est applicatio, una tantummodo infra hebdomadam excepta, quæ similiter per turnum applicari debet pro defunctis loci originariis. Tenentur quoque per turnum duo ex ipsis per duas horas quolibet die festo sacramentales audire confes-

sio-

siones, tempore excepto, quo conventualis Missa canitur; fideles in doctrina christiana erudire, ac Parochum adjuvare in administratione Sacramentorum. Quæ omnia adamussim servata fuere usque ad *annum* 1749. quo cum in Collegiatam erecta fuerit Ecclesia Parochialis per Bullam S. M. Benedicti XIV. quæ incipit *Cælestis agricola*, indicatis oneribus, nonnulla alia accesserunt. Cum enim æs alienum ad *scuta* 1558. pro ejusdem Bullæ expeditione contraxissent Canonici, pro quo dissolvendo tempus *annorum* 76. eis fuit concessum, Pontifex præscripsit §. 28. ejusdem Bullæ, ut donec pecuniam debitam integre numerassent, *singulis, de præcepto Ecclesiæ festis diebus, nec non 6. Decembris, et 25. Aprilis, diebus Rogationum, et commemorationis Defunctorum, et Octava SSmi Corporis Christi, nec non quatuor diebus Cinerum, quinta, et sexta feria et Sabbatho majoris hæbdomadæ, omnes, et singuli; secuta vero extinctione debiti, ultra dies, et Festa superius expressa, alternatim per hebdomadam pro medietate, etiam Adventus, et Quadragesimæ, nec non quatuor anni temporibus, singulis diebus, et reliquis integris Octavis privilegiatis, horas Canonicas tam diurnas, quam nocturnas, ac conventualem, seu majorem, et alias Missas, cæteraque divina officia collegialiter, servataque Ecclesiastica disciplina recitare, decantare, et psallere; ac dictæ Ecclesiæ in divinis laudabiliter deservire, respective debeant, et teneantur.*
Cum autem Communitas Montis Milonis *annua scuta* 30. Collegiatæ liberaliter suppeditaverit, contractum æs alienum longe breviori *annorum* 40. curriculo fuit dissolutum, ideoque *anno* 1795. integrum chorale servitium in Apostolicis Litteris præfinitum, obire Canonici, et Beneficiarii cœperunt, illudque deinde jugiter præstiterunt. Jusserat autem Benedictus XIV., *quod omnium, et singulorum fructuum quarta pars in usum distributionum quotidianarum inter personaliter interessentes, juxta eorum, et cujuslibet eorum interessentiam dividendarum* converteretur, *cit. Bull.* §. 39.; reque vera efformata fuerat communis Massa, cujus reditus in distributiones erogabantur. Sed postquam Decreto S. M. Pii VII. constitutum est, rebus pacatis, ut Collegia-

tæ Montis Milonis Bona redderentur, quibus fuerat spoliata: jussu quidem R. P. D. Thesaurarii Generalis præbendæ, et Massa Communis erant eidem restituendæ, sed præbendarum tantum restitutio fuit expleta. Rogatus autem Administrator Bonorum Ecclesiasticorum, quare Massa communis restituta non fuerit, respondit „ Risulta, che l' Agente nel Distretto „ di Tolentino, mentre accompagnò il Verbale d' im- „ missione al possesso delle proprietà inerenti alle Pre- „ bende, non lasciò di osservare, che si opponevano „ li Signori Canonici al ricevimento del possesso del- „ le sostanze appartenenti alla Massa comune, per „ cui ritornò lo stato attivo, e passivo della medesi- „ ma. Convien credere, che la retrocessione non aves- „ se luogo, che per sola colpa delli Sig. Canonici. E „ di fatti esiste negli atti una istanza delli Sig. Prevo- „ sto, Canonico Curato, e Beneficiato Curato, i qua- „ li domandano la continuazione della Pensione. „

Deficiente Massa communi, opinio inter Capitulares invaluit, redintegratam nondum fuisse Collegiatam; ideoque servitium chorale resumentes, non illud, quod tempore suppressioni proximo, sed illud, quod obierant usque ad *annum* 1795. præstare cœperunt. Verum de Collegiatæ redintegratione dubitandum non esse suadet nunquam legitime peracta suppressio, adeout post superius indicatum Pii VII. Decretum, et postquam eidem Decreto inhærens R. P. D. Thesaurarius Generalis et præbendarum, et Massæ communis restitutionem imperavit, nil prorsus ad perfectam Collegiatæ redintegrationem defuisse videatur. Reque vera vi repulsi, et Bonis privati Canonici a Choro recesserunt: vi cessante, et præbendis recuperatis, Capitulum illico indixerunt, insignia honoris, et chorale servitium resumpserunt; quod nequaquam evenisset, si Collegiatam in pristinum nondum restitutam censuissent. Quærendum ergo erit, an ob prædictæ Massæ defectum negligi chorale servitium, celebratio Missæ conventualis omitti, et exemptio a punctaturis obtineri possit: quoniam ea Massa deficiente, distributionibus quotidianis carent Capitulares, quas et pro Horis canonicis, et pro Missa conventuali assignari tradit *Fagnan*.

in Decretal. Lib. I. Cap. ut Abbates. De ætat., et qualitat., ed ad Missæ conventualis celebrationem teneri per turnum Capitulares hebdomadarios cum eleemosyna eisdem assignanda, et ex communi Massa detrahenda, definivit hæc Sac. Congr. *in Fanen. 20. Januarii* 1781. *ad II. Dub.*

Illud tamen in primis erit in facto animadvertendum, ideo forsan restitutam Collegiatæ non fuisse Massam communem, quia illam accipere Capitulares recusarunt, ut innuit Bonorum Ecclesiasticorum Administrator. Compertum est præterea, fatente Capitulo, Massæ communis reditus integre erogari consuevisse in augendo stipendio Beneficiarii, qui secundus est Vicarius Curatus, nihilque unquam cæteros Capitulares percepisse. Cum itaque nunc pensionem a publico Ærario consequantur Beneficiarii (imo et Præpositus, cui *scuta* 100. tantummodo fuerant in Bulla erectionis assignata, et qui hodie *scuta* 130. obtinet) non deesse Massam communem, sed ejus loco indicatas pensiones subrogatas fuisse maximo Capituli compendio, erit dicendum. Quæ si ab EE. VV. probentur, consequens erit, obeundum a Capitularibus esse servitium, quod usque ad tempus suppressionis præstiterunt. Missam vero conventualem prætermitti nullo modo posse constat *ex Cap. Cum Creatura.*14. *De celebr. Miss.*, et ex notissima Encyclica *Cum semper oblatas*, qua S. M. Benedictus XIV. quamlibet sustulit contrariam consuetudinem, et præfatam Missam celebrari præcepit, non obstantibus aliarum Missarum oneribus, ac distributionum tenuitate. Missæ namque conventualis onus inhæret Canonicis divina officia celebrantibus, et Choro, Ecclesiæque servitio addictis, pro quibus præbendæ fructus percipiunt; illudque ab ipsis Canonicis per turnum implendum est, etiam nullo recepto stipendio juxta *cit. Encycl.*, et uti monet *Pignatell. Tom. I. Consult.* 321. *num.* 1. *et seqq.*, *Ursay. tom.* 2. *par.* 1. *disput.* 32. *num.* 7. *et seqq.*, *et Ferrar. in Biblioth. verb. Canonicus. art.* 5. *n.* 76. *et seqq.*

Perpendendum est etiam, ab hac Sac. Congregatione congruum habitum esse emolumentum scutorum *triginta* pro servitio Chori quotidiano, ut in *Civitatis*

Ca-

Castellanæ Reduct. Servitii 27. Julii 1807., et Missæ conventualis reductionem denegasse, tali existente emolumento, ut in *Amerina 18. Septembris 1751.*, *in Taurinen. 10. Julii 1790.*, *Camerinen. 14. Decembris 1798.*, *Mazzarien Reductionis onerum 14 Decem. 1822. §. At videant*, *Corcyren. Missæ Conventualis 8. Martii currentis anni*, *et Melevitana Missæ Conventualis 24. Julii prox. præterit.* Canonici autem Montis Milonis omnes gaudent congrua supra triginta scutata, et proinde cum ipsorum onera nunquam creverint, neque decreverint reditus, ab oneribus adimplendis eximi nequeunt; ea quoque militante ratione, quod ubi pares oneribus sint reditus, nec onerum reductio concedi solet, Sac. Congr. in *Ostunen. Reduct. Missar. 4. Decembris 1784.*, *et in Imolen. Legati 29. Januarii 1821. §. Hisce.*

Desunt tamen Collegiatæ Montis Milonis quotidianæ distributiones, quarum defectus Capitulares ad inserviendum segniores reddit, uti opportune monet *Abbas in cap. Licet in 2. notab. De præbend.*, *D. cian respons.66. num. 2.*, *Rota in novis. decis. 134.* Jubet autem Tridentina Synodus *Sess 21. cap 3. de Reform.*, in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, *in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, aut ita tenues, ut verosimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcumque proventuum, et obventionum tam Dignitatum, quam Canonicatuum etc separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quæ inter Dignitates obtinentes, et cæteros divinis interessentes proportionaliter .... dividantur ... non obstantibus exemptionibus, ac aliis consuetudinibus, etiam immemorabilibus quibuscumque.* Idemque admonet S. M. Benedictus XIV. *Instit Eccles. 107. num. 41.*, et hæc Sac. Congr. *in Nullius, seu Terræ Pontiani 1. Martii 1735.* Videant itaque EE. VV. an decernendum sit, ut defectui distributionum provideatur ad formam Tridentini Concilii, quo certe fiet, ut Capitulares Montis Milonis integrum chorale servitium resumant, illudque in posterum nequaquam negligant. Perpendere quoque dignentur, an retinenda omnino sit mensura tertiæ partis fructuum, et quorumcumque proventuum,

et obventionum a Tridentino præfinita; an potius inhærendum sit Bullæ erectionis Collegiatæ, in qua Benedictus XIV. *anno* 1749. præscripsit, ut tantummodo *quarta* pars in usum distributionum quotidianarum converteretur.

Capitula *del Monte*, nempe Sac. Ædis Pietatis, de quibus habita superius est mentio, plura onera Capellanis (nunc Canonicis) imposuerant; verum nonnulla fuere per Bullam erectionis Collegiatæ deleta: quoad cætera generatim fuit eadem in Bulla §. 22. constitutum, quod *onera sicut antea adimpleantur, et adimpleri debeant*. Inter onera minime per Bullam abrogata illud recensebatur celebrandi quotidie duas Missas horis commodo Fidelium statutis, quod a prædictis Capitulis impositum fuerat quatuor Capellanis, nunc Canonicis, et cui hodie nequaquam satisfaciunt asserentes, quod = *ciò sembra da tempo immemorabile andato in disuso. Di fatti non si trova alcun Libro, ove se ne serbi memoria; molto meno vi si sà alcun Decreto, perciò con tutta buona fede possiam noi in questo stato di cose esentarcene*. Rationem addunt; quia nempe olim Ecclesiæ Parochiali Præpositus tantum, et quatuor inserviebant Capellani; quum vero in Collegiatam fuit erecta, *octo* Canonici cum Præposito, ac præterea *tres* Beneficiati eidem inservire cœperunt, qui cum semper omnes, vel fere omnes Sacerdotali sint charactere insigniti, et ibi Sacrum faciant, necessitas evanuit, ob quam Capitulis *del Monte* lex dicta fuerat quatuor Capellanis, nunc Canonicis, duas Missas quotidie statutis horis in dicta Ecclesia celebrandi.

Præscriptionem tamen immemorabilem neque probarunt, neque evincere tentarunt memorati Canonici, qui nullos induxerunt Testes, quos cæteroquin cum requisitis celebris Glossæ in *Cap. 1. verb. memoria de præscrip. in 6.* testimonium dicere oportuisset. Centenariam vero præscriptionem, ne jactare quidem valent, cum remotior *anno* 1749. non sit Collegiatæ erectio; ideoque vix *anni* 75. effluxerint; cumque præterea illius temporis Capellanos, etiam Canonicatus honore auctos, hujusmodi oneris adimplementum fuisse

se prosecutos præsumi possit, qui de inadimplemento nunquam antea, sed nunc tantummodo proposita est querela. Denique ad præscriptionem quamcumque inducendam bona fides necessario requiritur, *Cap. 5. et fin. de præscrip.*, et *Reg 2. J. in 6.* = *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit*. Canonicis autem *del Monte* onus prædictarum Missarum jugiter innotuisse vix ambigi potest; cumque etiam admoniti reluctaverint, fide non bona sese gessisse videntur.

Gravi demum notantur censura duo Canonici *del Monte*, qui Parochi vices gerunt duabus in Ecclesiis ruralibus prope Oppidum sitis. Queruntur enim Zelatores, prædictos Canonicos in indicatis Ecclesiis Missas diebus festis celebrare, quibus proinde Oppidani privantur; ac etiam emortualibus officiis interesse lucri causa, non sine detrimento Ecclesiæ Collegiatæ, cui tunc inservire nequeunt. Opponunt quoque cum Canonicatu retineri non posse Capellaniam, seu Vicariam curatam, quoniam in Jure Ecclesiastico tum generatim pluralitas Beneficiorum improbatur, tum præcipue si Beneficia sint residentialia. *Cap. Referente 7.*, et *Cap Præterea De præb.*, et *Dignit.*, *Concilium Trid. Sess. 24. cap. 7. de Reformat.*, et de Beneficiis ob residentiam incompatibilibus *Rigant. in Reg. 1. cancell §. 8. num. 28.* opportune monet, quod = *Adeo fortis est incompatibilitas, quæ oritur ob residentiam requisitam in utroque beneficio, ut nullo modo admittatur contraria consuetudo retinendi duo Beneficia sic incompatibilia absque Apostolica dispensatione. Cum enim aliquando prætensum fuerit, talem vigere consuetudinem in Germania, eam Rota semper improbavit* = Quoad Beneficia vero licet non residentialia militat ratio, quod ubi unum sufficiat beneficium ad honestam substentationem, pluralitas non tantum juri positivo Sacrorum Canonum, verum et juri naturali adversatur, quia unus plura stipendia percipit, quæ aliis pauperibus idoneis Clericis abunde sufficerent, ut inquit *Joannes XXII. in Extravag. Execrabilis de Præb, et Dignit.*

Verum alter e memoratis Canonicis, se a bo. me. Episcopo Strambi coactum fuisse dicit ad operam Capellani Curati in rurali Ecclesia præstandam. Alter vero asserit, se inservire Ecclesiæ rurali cum Ordinarii consen-

su, ut inopiæ suæ consulat, quum ex Canonicatu minime percipiat, quantum ad vitam sustentandam sufficiat; præterea subdit, quod *essendo la Chiesa rurale poco distante dal Paese, e di comodo accesso, può egli tornare, come ritorna di fatto, non solo ad assistere al Confessionale, ma nella State specialmente, al Matutino medesimo, come si ricava dal libro delle Puntature*. Pro sua itaque sapientia perpendant EE.PP., an intercedente etiam assensu aut jussu Episcopi valeant Canonici parochialibus in Ecclesiis vices Parochi gerere, cum Episcopus tantummodo in Beneficiis difformibus sub eodem tecto, certis concurrentibus causis, dispensare possit juxta *Gloss. fin. in Cap. Super eo, de praebend.*, *Joann. Andr.*, *et Abb. num. 6. in Cap. Extirpandae §. qui vero num. 41. de Praebend.*, et alios, qui referuntur a *Garzia de Benefic. par. 11. cap. 5 num. 231.*, *Rigant. loc. cit. num. 106.* Cæterum ruralibus in Ecclesiis operam diebus præsertim festis navant prædicti Canonici, sed ad præcisam, et continuam residentiam nequaquam adstringuntur, ita ut utriusque Beneficii onera possint diversis temporibus adimplere; qua ratione incompatibilitas haud causari videtur, ut respondit hæc Sac. Congregatio *in Novarien. 12. Decembris 1708. ad IIII. Dubium*, ac tenuit *Rota in Mediolanen. Canonicatus 2. Julii 1706 §. Accedente. cor. Cardin. Scotto.*

Proponuntur idcirco definienda

Dubia.

I. *An deficiente Massa communi censeri debeat Collegiata in pristinum restituta in casu etc.*

Et quatenus affirmative

II. *An, et quomodo teneantur Canonici Choro inservire in casu etc.*

III. *An, et quomodo sit providendum pro distributionibus in casu etc.*

IV. *An Canonici, olim Capellani* del Monte, *duas Missas statutis horis teneantur per turnum celebrare in casu etc.*

V. *An constet de incompatibilitate Beneficiorum in casu etc.*

Et quatenus affirmative

VI. *An consulendum sit SSmo pro dispensatione in casu etc.*

Die

Die Sabbathi 18. Decembris 1824. in Palatio Apostolico Vaticano erit Sacra Congregatio Concilii, in qua præter alia proponentur infrascripta Dubia, juxta morem ejusdem Sacræ Congregationis de jure resolvenda.

THEATINA DISPENSATIONIS. Cum in superiori Congregatione mensis Novembris actum fuerit de hac Causa, Emi Patres rescribendum censuerunt: *Dilata ad sequentem cum iisdem.* Denuo igitur proponitur *Sess 23. cap. 1. de reform.*

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato, et non consummato in casu etc.

Dilata, et esse locum inspectioni corporis viri juxta instructionem.

MAZZARIEN. REDUCTIONIS SERVITII CHORI, ET ANNIVERSARIORUM. *Sess. 24. cap. 12. de reform.*

Dubia

I. *An, et quomodo servitium Chori sit reducendum in casu etc.*

II. *An,*

II. *An, et quomodo Anniversaria sint reducenda in casu etc.*

Ad I. Affirmative ad Chori servitium antemeridianum tantum, præter officia tenebrarum.
Ad II. Negative in omnibus.

Sess. 7. cap. 15. de reform.

NULLIUS FORIPOMPILII, ET BRICTINORIEN. VINDICATIONIS.

Dubia

I. *An, et quomodo Capella reintegranda sit in casu etc.*
II. *An, quibus, et quomodo Episcopus Brictinoriensis ad evictionem teneatur in casu etc.*

Ad I. Negative in omnibus.
Ad II. Provisum in primo.

Sess. 22. cap. 9. de reform.

TIBURTINA.

Dubia

I. *An sit admittenda renunciatio Parochi Rusconi in casu etc.*
II. *An quoad administrationem hæreditatis, et quomodo commutanda sit voluntas Testatoris in casu etc.*
III. *An, et quæ onera, et quomodo sint reducenda in casu etc.*

IV. *An,*

IV. *An, et quomodo concedenda sit translatio Missarum in casu etc.*

V. *An Parochus Petrara Capellaniam retinere possit in casu etc.*

Ad I. Provisum in secundo.

Ad II. Affirmative juxta modum, nempe constituto ab Episcopo unico Administratore ipsi beneviso cum annuo emolumento scut. trium, qui eidem quotannis reddat rationem suæ administrationis, et de onerum adimplemento, et ad D. Secretarium cum SSño.

Ad III. Affirmative ad formam decreti Episcopi Natali cum reductione Missarum ad centum tantum ad formam decreti Episcopi Manni, donec augeantur reditus.

Ad IV. Negative in omnibus.

Ad V. Negative.

MACERATEN.

Sess. 21. cap. 3., et sess. 25. cap. 1. §. Si quis. de ref. orm.

Dubia

I. *An deficiente Massa communi censeri debeat Collegiata in pristinum restituta in casu etc.*

Et quatenus affirmative

II. *An, et quomodo teneantur Canonici Choro inservire in casu etc.*

III. *An, et quomodo sit providendum pro distributionibus in casu etc.*

IV. *An Canonici, olim Capellani* del Monte *duas Missas statutis horis teneantur per turnum celebrare in casu etc.*

V. *An constet de incompatibilitate Beneficiorum in casu etc.*

Et quatenus affirmative

VI. *An consulendum sit SSño pro dispensatione in casu etc.*

Non proposita cum sequentibus.

Sess. 22. cap. 6., Sess. 25. cap. 9. de reform.

CAMERINEN. JURISPATRONATUS, ET COMMUTATIONIS VOLUNTATIS. Laurentius Pesci supremis tabulis *anni* 1749. erigi præcepit in Ecclesia S. Philippi Oppidi Sarnani Capellaniam perpetuam, et mere laicalem, eique omnia, et singula bona sua in dotem assignavit, onere imposito Rectori *di celebrare una Messa in onore di detto Santo* (Francisci de Paula) *in tutti li Venerdì dell' anno, ed in tutti i giorni festivi in perpetuo, e così ogni anno ancora debba detto Rettore, o Cappellano solennizzare la festa di detto Santo con quel decoro, come potrà maggiore.*

Primum Capellaniæ Rectorem nominavit Testator Paulum Zampetti; quo defuncto voluit, *che la nomina dell' altro Rettore resti, e sia sempre in facoltà del Sig. Francesco Zampetti, e suoi Figli in infinitum, durante la linea mascolina di detta Casa Zampetti . . . in caso di estinzione della sudetta Casa Zampetti nella linea Mascolina, in tal caso voglio, ordino, e comando, che la nomina del Rettore di detta Cappellania puramente laicale spetti al Consiglio di Credenza di detta Terra di Sarnano, dal quale si debba eleggere, e nominare per Rettore uno dei Cittadini esistenti dentro detta Terra, e delle Famiglie più bisognose, che sia Sacerdote, o Chierico celibe almeno, e così continuarsi per sempre.*

Pacificus Zampetti, Capellaniæ Rector, ac Gentis Zampetti novissimus masculus, ex masculis descendens, suo testamento *anni* 1817. Capellaniam cum omnibus juribus, et reditibus reliquit *in mantenimento di una compagnia di Sacerdoti Missionarj . . . da approvarsi dai Superiori Ecclesiastici*; eoque vita functo, Sacerdotes Joannes Scipioni, et Gregorius Lucarelli, Exequutores testamentarii, supplices adierunt Summum Pontificem pro approbatione dispositionis memorati Pacifici. Verum, contendente Consilio Sarnanensi, ad se juspatronatus Capellaniæ Pesci esse devolutum, incœptæ liti, et cuicumque juri ex testamento quæsito *die* 30. *Aprilis* 1821. præfati exequutores nuntium miserunt.

Sarnanense Consilium, Capellaniæ patronatu sibi vindicato, unanimi consensu *die* 29. *Septembris ejusdem anni*

anni 1821. Capellaniam cessit *al rispettabile Corpo del vetusto Collegio di sei RR. Preti in questa Chiesa Matrice di S. Maria di Piazza con tutti i diritti, possessi, utili, onori, ed usufrutti, pesi, ed obblighi inerenti ad essa Cappellania*; idque ut tenues Collegii reditus Capellaniæ fructibus augerentur: lege tamen adjecta, *che per qualunque circostanza . . . venisse soppresso il ridetto Collegio, la nomina della stessa Cappellania Pesci debba sempre rimanere, e ritornare al pieno diritto del Consiglio di questa Comunità.* Cessionem accepto habuit Presbyterorum Collegium, et possessionem iniit bonorum ad Capellaniam pertinentium. *V*erum quia cessio voluntati adversatur Fundatoris, qui Capellanum, eumque indigenam ex familiis magis egenis eligi mandavit; ideo Consilium supplicem porrexit libellum, quo voluntatis commutationem efflagitavit.

Rogatus Archiepiscopus de informatione, et voto, quæ supra narravi confirmavit; statum activum, et passivum, tum Capellaniæ, tum Collegii sex Presbyterorum transmisit, ex quo patet, Capellaniæ reditus, Missarum, aliorumque onerum deductis impensis, annua circiter attingere *scuta quinquaginta*; singulos vero Presbyteros ex Collegii reditibus vix quolibet anno percipere *scuta quindecim* cum onere servitii Chori in omnibus Dominicis, aliisque festis diebus, cantus Missæ Parochialis certis quibusdam diebus, et nonnullas alias peragendi sacras functiones. Dein sententiam suam ita aperuit ,, Cessio, de qua agitur,
,, nullum præjudicium inferre potest Presbytero, seu
,, Clerico ex Civibus, et pauperioribus familiis, ut
,, supra, per Communitatem nominando; quoniam
,, idem Presbyter, seu Clericus assequi poterit unam
,, ex sex Capellaniis antedictum Collegium compo-
,, nentibus. Quatenus itaque relata cessio ab EE. VV.
,, approbetur, præscribi potest, ut in singulis vaca-
,, tionibus dictus Presbyter, seu Clericus, intus di-
,, ctum Oppidum degens, cæteris concurrentibus sem-
,, per præferatur. ,,

Interea Franciscus, et Dominicus Raccamadori, per fœminam a Francisco Zampetti descendentes, preces obtulerunt, Capellaniæ nominationem ad se in subsidium spectare certantes, ac adversus petitionem Con-

silii Sarnanensis *nihil transeat* interponi curarunt; sed postea vadimonium deseruerunt, et quamvis semel, atque iterum legitime moniti, nihil mihi exhibuerunt. Itaque distributa allegatione ex parte solummodo Communitatis Sarnanensis, controversia etiam super jurepatronatus EE. VV. definienda proponitur.

Juspatronatus Capellaniæ a Laurentio Pesci relictum Francisco Zampetti, ejusque filiis in infinitum *durante la linea mascolina di detta Casa Zampetti . . . in caso di estinzione della suddetta Casa Zampetti nella linea mascolina*, Sarnanensi Consilio tributum, agnatitium esse, ac propterea ad masculos ex masculis tantum descendentes pertinere contendit ejusdem Consilii defensor. Appellatio enim Domus cum cognominis adjectione, ac certius etiam *lineæ masculinæ* germana, et propria significatio agnatos tantum masculos designant, et complectuntur, *Card. de Luca de jure patr. disc. 26. num. 9.*, *Rota cor. Falconer. tit. de jure patron. decis. 44. num. 7*, *in Bononien. Immissionis 28. Junii 1790. §. 8. cor. Parracciano*, *in Confirmatoria diei 1. Martii 1793. §. 6. cor. Acciajuoli*, *et in Civitatis Castelli Immissionis 17. Junii 1805. §. 8. cor. Card. Guardoqui*; ita ut, deficientibus agnatis masculis, ne in subsidium quidem masculi ex fœminis ad juspatronatus gentilitium aspirare queant, *Rota cor. Ansaldo decis. 842. num. 2.*, *in Realina Fideicommissi 6. Maji 1757. cor. Borull.*, *et in Lucana Immissionis 8. Junii 1764. §. 2. cor. Azpurù.*

Cum igitur *anno* 1817., occumbente Pacifico Zampetti, Domus, et Linea masculina Zampetti penitus exaruerit, frustra, inquit Communitatis Defensor, cognati Raccamadori ad subsidiariam confugiunt vocationem. Præterea etiamsi in defectu agnatorum, ne juspatronatus Capellaniæ intercideret, locus fieri posset subsidiariæ masculorum ex fœminis vocationi; id tamen nunquam obtinet, quando Fundator certum designavit substitutum, uti luculentissime docet *Rota cor. Herrera decis. 72. num. 15.*, *cor. Lancetta decis. 1322. num. 3.*, *et in Aesina Capellaniæ super bono jure 8. Junii 1782 §. 11. cor. de Salm.* In themate autem Laurentius Pesci *in estinzione della suddetta Casa Zampetti nella linea mascolina* expressis

ver-

verbis jussit, *che la nomina del Rettore spetti al Consiglio di Credenza di detta terra di Sarnano.* Quocirca in dubium vocari non posse videtur, juspatronatus Capellaniæ Pesci, masculina Domus Zampetti extincta linea, ad Consilium Sarnanense omnino spectare.

Quod vero pertinet ad commutationem voluntatis, exploratum est ex instituto hujus S. Ordinis, justa aliqua intercedente causa, ultimarum voluntatum commutationem indulgeri, ut *in Tudertina* 15. *Martii* 1783., *in Pisauren.* 19. *Julii ejusdem anni* §. 4., *et in Nullius S. Aedisti Beneficii* 16. *Junii* 1792. Commutationem in themate efflagitaret necessitas, et evidens Ecclesiæ utilitas, siquidem Collegium sex Presbyterorum Sarnani; Choro, aliisque sacris functionibus obeundis obstrictum, caret ferme reditibus, et nulla, præter Capellaniæ Pesci applicationem, subest ratio eos augendi, ut iidem Presbyteri decenti vitæ tuitioni prospicere valeant. Onera autem Capellaniæ, facilius, ac tutius a Collegio Presbyterorum adimplerentur.

Accedit, quod Fundatoris voluntati vix quicquam derogatur, et favore quidem pii operis, quo uberius eadem defuncti voluntas impleretur; nam loco sublevandæ paupertatis unius dumtaxat Clerici, sustentationi sex Sacerdotum, qui sacras celebrant functiones in matrice Oppidi Ecclesia, quique secus timendum, ne eam ob ecclesiasticorum redituum tenuitatem deserant, consultum esset. Hisce concurrentibus circumstantiis, commutationem voluntatis largita est S. Congregatio in *Romana Commut. Vol.* 27. *Februarii* 1734., *in Camerinen.*, *seu Fabrianen.* 10. *Septembris* 1735., *et in Prænestina Com. Volunt.* 15. *Martii* 1777.

Verum a commutationibus ultimarum voluntatum abhorrent Sacri Canones: quæ enim ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debent non ad alium converti, *Clement. Quia contingit* 2. *de Relig. dom.*, *Sac. Congr. in Savonen. Commutationis voluntatis* 22. *Martii* 1823. §. *Certum.* Quare S. Congregatio commutationem denegavit, licet aliqua videretur intercedere utilitas, *in Albintimilien.* 15. *Februa-*

bruarii 1722., *et in Faventina* 10. *Maji* 1776. Attamen si Emi Patres commutationem voluntatis indulgendam censuerint, animadvertant quæso, Fundatorem Capellaniæ mandasse, ut in Rectorem eligeretur Clericus indigena Sarnanensis, et ex pauperioribus Familiis, atque ob hanc causam Archiepiscopum votum suum pandidisse, ut idem Clericus, aut Sacerdos in singulis vacationibus Capellaniarum Collegii sex Presbyterorum cæteris semper præferatur.
Dignentur itaque dirimere

Dubia

I. *An, et cui competat jus nominandi Rectorem ad Capellaniam Pesci in casu etc.*

Et quatenus affirmative favore Communitatis

II. *An, et quomodo sit consulendum SSmo pro commutatione voluntatis in casu etc.*

...ss.22. Cap. 8. Reformat., Sess.23. Cap. ... de Reformat.

ARIMINEN., ET CÆSANATEN. LEGATORUM. Sacram Visitationem *anno* 1692. in Oppido Longiani dum perageret Cardinalis Cursius Ariminensis Episcopus, nonnulla Legata a piis Longianensibus pro construendo, ac dotando Monasterio sacrarum Virginum relicta, commutavit, et Seminario Ariminensi addixit; *conditionem obligatoriam infigens*, (quam deinde *anno* 1707. confirmavit Cardinalis Davia ejusdem in Episcopatu successor) *ut in perpetuum a Consilio civium Longiani duo Juvenes in clericalem militiam cooptandi seligerentur, iique eodem in Semina-*

nario adscripti sine ullo stipendio per septennium enutriti studiorum curriculum gratis conficerent.

Longiani Oppidum S. M. Pius VI. *anno* 1777. motu proprio ab Ariminensi sejunxit, et Cæsenatensi Diœcesi cum omni jurium plenitudine adjecit. Inde vero exorta quæstio inter Episcopos Cæsenatensem, et Ariminensem de piis Legatis Seminario adscriptis, quæ, præsertim ob luctuosissimas præteritorum temporum vicissitudines, nunquam fuit definita. Quare hanc Sacram Congregationem nuper adiit Episcopus Cæsenatensis, *ut prædictorum Legatorum fundi, qui modo ab Ariminensi Seminario administrantur, bonis Seminarii Cæsenatis incorporentur, et duo adolescentes non posthac Ariminum, sed Cæsenam mittantur, informandi ante oculos sui Pastoris.*

Rogavi de more Episcopos, ut auditis interesse habentibus, et transmissis Decretis ad rem facien., de annuo reditu, et oneribus, nec non de evidenti utilitate respective referrent. Animi sui sententiam ita pandidit Episcopus Ariminensis. = *Seminarii mei œconomiæ Præfecti assensum præbere renuunt, ut alio transferantur bona ad alendos hic Juvenes Longiani in scientiis instituendos destinata. In decreto enim Cardinalis Davia non est sermo de necessitate vocationis ad statum clericalem, ut hoc electi a Communitate beneficio fruantur; imo Seminarium Ariminense etiam Collegium nuncupatur, quia iis temporibus juvenes quoque servitio Ecclesiæ minime mancipati excipiebantur, separatim instituendi . . Elapsi temporis reditus assignati impares erant ad duos Juvenes alendos, et tamen, quamdiu perduravit Seminarium, extinctum tempore Gallicæ incursionis, semper promissis stetit, etiam postquam Oppidum Longiani a nostra Diœcesi anno* 1777. *distractum fuit. Nec Episcopi Cæsenatenses dubium aliquod moverunt circa hanc rem, quæ in ipsorum utilitatem cedebat. Longum esset referre omnia, quæ etiam post Seminarii restitutionem evenerunt usque ad undecimam diem mensis Maji anni* 1822., *qua S. Congregatio Episcoporum, et Regularium, cum præbuisset assensum, plaudente Emo Cardinali Castillioneo tunc Cæsenæ Episcopo, solemni instrumento firmatum est pactum initum inter Communitates Arimini, et Longiani, et nostrum Seminarium . . . . . . quod nunc per-*

percipit pro dictis Longiani juvenibus summam scutatorum nonaginta, quæ vix sufficit ad victum illis comparandum.

Nihil dicam de profectu Longianensium, qui e Seminario Arimini prodierunt; quod enim dicerem, suspectum esset. Hoc unum tacere nequeo, Longiani incolas libenti animo semper tradidisse suos Juvenes nostræ Urbi instituendos, et Episcopos Cæsenæ utilem operam expertos esse eorum, qui Clericali militiæ nomen dederunt =

Episcopus Cæsenatensis, cui Antistitis Ariminensis informatio ostensa fuit, hæc retulit „ Consensum tacitum opponit Ariminensis Episcopus nonnullorum „ Cæsenatium Antistitum, qui tale jus hujus Cathedræ nunquam elicuerunt. Hæc autem objectio „ nullius est ponderis. Cum Longiani oppidum a „ Pio VI. Cæsenati Diœcesi unitum fuit, Ecclesia „ Ariminensis Pastore suo vidua erat. Franciscus „ Aguselius, qui hanc sedem tenebat, rem distulit „ perpendendam usque ad novi Ariminensis Præsulis „ electionem. Tandem labente ferme sæculo prætcrito hæc evenit; at statim Cæsenatium Episcopus „ cœpit viribus animi, et corporis deficere, cœlum „ in quo ægrotabat, fugere debuit, ingravescente „ morbo penitus languescere, et tandem initio *anni* „ 1791. naturæ concedere. Per sexennium Ecclesia „ Cæsenæ suo remansit orbata Pastore .... Hic „ denique renunciatus fuit, meæque oves gaudio „ perfusæ sunt incredibili, cum Emum Carolum Bellisomium ad ovile hoc regendum venientem excepere. At mensibus paucis elapsis, divinis, humanisque omnibus perturbatis, Gallicæ legiones terrorem undique intulerunt, et idcirco Seminaria „ quoque clausa fuere .... Longiani cives, qui „ *anno* 1819. jus suum iterum vindicare conati sunt, „ Instrumentum denique nonnisi *anno* 1822. confecerunt, remque in pristinam conditionem valuerunt revocare. Nil ergo mirum, Emi PP., si Antecessores mei contra Ariminensem Episcopum querelas non protulerunt; temporum enim vicissitudines vel hoc ipsis non permisere, vel irritas reddidere voces omnes, quas potuerunt effundere.

Die

„ Die undecima Maji 1822. Instrumentum compa-
„ ctum est, vi cujus Ariminense Seminarium ite-
„ rum pium opus ad meam Diœcesim spectans
„ assumpsit, juvenesque Longianenses Ecclesiastica
„ in militia informandos recepit. Sed eo in tempore
„ Episcopatum Cæsenatem ego jampridem auspicatus
„ fueram, ego possessionem jurisdictionis iniveram.
„ Nullum vero hac de re mihi verbum factum est,
„ meque inscio, ne invito dicam, et abnuente, ne-
„ gotium pium, sacrumque, Episcopis a Concilio
„ Trident. commissum, definitum est. Quomodo
„ igitur obtendi potest Cæsenatium Præsulum con-
„ sensio?

„ A veritate pariter aberrat, qui supponit Emum Car-
„ dinalem Castiglioni suum hac in conciliatione cen-
„ sensum præbuisse.. Toleravit sane, at non as-
„ sensus est. Longianensis Municipii jura sustinuit,
„ at pariter Episcopalia jura non esse offendenda eo
„ in actu protestatus est.

Nello stato, in cui trovasi la convenzione (verba sunt Emi, ac Rmi Cardinalis Castiglioni in epistola ad Vic. Legatum Foroliviensem data) *non intendo di prestare il mio consenso, da cui possa presumersi ceduto qualsia dritto, che potesse competere a questa Chiesa, e solo mi contenterò di essermi nello stato d' indifferenza.*

„ Non inficior (prosequitur Episcopus) nonnullos Op-
„ pidanos expetere, ut antiqua servetur consuetudo.
„ Istorum hominum vota non aliunde, quam ab habi-
„ tu, quem ab ineunte ætate induerunt, promanant;
„ et fortasse etiam ex grato animo, quem lauda-
„ biliter fovent erga Institutores illos, quos in pueritia
„ præceptores, rectoresque habuere. In sacra pasto-
„ rali Visitatione egomet adagium quoddam audivi,
„ quod causam ostendit peculiaris amoris, quo Lon-
„ gianenses Ariminensem Cathedram prosequuntur =
„ Explosi tormenti bellici globuli, ajunt, si comi-
„ nus adversarios feriunt, eminus nihil damni impor-
„ tant = Allegoriam bene intelligitis, Emi Patres;
„ Cæsenæ Urbs proxima valde est Longiano, Arimi-
„ num multopere distat. Liberius olim, quam modo
„ poterant Longianenses impune se gerere. Nec op-
„ ponatur, hujusmodi adolescentium in Ariminensi

„ Seminario institutionem nihil sacri præseferre . :
„ Hæc profecto difficultas pugnat cum institutione ,
„ simulque cum institutionis objecto . Sacra est in-
„ stitutio , quia a fidelium pia collatione pecuniarum
„ dimanat, et proinde ad Episcopum pertinet : sacrum
„ pariter est objectum , et finis , quia Seminarium
„ indicatur , Seminarium subrogatur , Seminarium
„ jubetur . Concilium Trident. , cujus vos , EE. PP.,
„ sapientes interpretes estis , vult , imperatque , *ut in*
„ *Seminario recipiantur ii , quorum indoles , et vo-*
„ *luntas spem afferant , eos in Ecclesiasticis mini-*
„ *steriis perpetuo inservituros* . Ergo nemo , nisi Epi-
„ scopus , jure proprio , et necessario vigilantiam ,
„ prudentiam , auctoritatemque suam in illo debet
„ exercere . Cum Longiani populus Ariminensi Ca-
„ thedræ adhærebat , nullus , nisi Ariminensis Anti-
„ stes illi piæ institutioni , ut Arbiter , invigilabat :
„ nunc temporis super illam unus Ordinarius Cæse-
„ nas jus suum conclamat , et ut ab ista Sac. Con-
„ gregatione sibi restituatur , implorat.

„ Insuper Concilia , Patres Ecclesiæ , Synodi Diœcesa-
„ næ , rectaque ratio dictant , ac jubent , manus su-
„ per illos imponi ab Episcopis , quos bene cogno-
„ scunt , sciuntque dignos , qui ministerio divino
„ mancipentur. At si extero in Seminario alantur , Cæ-
„ senas Præsul Longianenses adolescentes nec cogno-
„ scet , nec unquam profecto ad ordines valebit pro-
„ vehere . Demum certum est , veteres Longianenses
„ dum pecuniam cumularunt , voluisse Monasterium
„ in patria erigere , ubi puellæ instituerentur . Si
„ mens illorum executioni fuisset demandata , Asce-
„ terium sacrarum Virginum nonne in præsens sub
„ Cæsenatis Episcopi jurisdictione maneret ? Ergo a
„ pari , illi piæ fundationi substituta puerorum educa-
„ tio modo ad Cæsenatem , non ad Ariminensem Epi-
„ scopum debet spectare.

„ Addo nunc dumtaxat . . . meo in Seminario per
„ integrum annum Juvenes detineri , quod porro
„ bonum est incredibile , ut autumnalibus in feriis
„ illarum utilitatum jactura non fiat , quæ mensibus
„ elapsis partæ sunt ; in Ariminensi vero per inte-
„ grum trimestris intervallum adolescentes ad dome-
sti-

„ sticam libertatem remitti. Tandem post dismembrationem a Pio VI. sancitam, Longianenses non amplius piarum charitatis institutionum Ariminensium participes remansisse, sed ab illis expulsos a Cæsenatibus fuisse libenter exceptos. Peto itaque, EE. PP., ut legitimi Cæsenatis Ecclesiæ filii illo gaudeant privilegio, quo spurii perfruuntur. Nothi infantes Longiani olim ad Ariminensium, nunc ad Cæsenatium Brephotrophium asportantur; illi enim ajunt, ad meam, non vero ad alienam Ecclesiam hos pertinere. At potissimum non aderit fortasse jus pro Clericis, qui, Deo adjuvante, in hujus gregis spem vocantur, ipsiusque bono augendo juvenescunt?

Hæc de proposita quæstione Episcopi Cæsenas, et Ariminensis; perpauca adnotanda supersunt. Inter Longianenses, et Seminarium Ariminense contractus fuit initus, quem *die* 25. *Septembris* 1819. (ideoque per aliquot annos antequam hodiernus Antistes ad Cæsenatensem Episcopatum eligeretur) suo Rescripto probavit Sac. Congregatio Episcoporum, et Regularium, licet publicis tabulis tantummodo *die* 11. *Maji* 1822. fuerit consignatus. Profecto contractus ab initio sunt voluntatis, sed post factum fiunt necessitatis, *Leg. Cum idcirco in fin. ff. De contr. empt*, *Leg. Si mandavero §. Sicut, ff. Mandati*, *L. Sicut ab initio. Cod. De action.*, *et obligat.* Longianenses libere, et nemine contradicente cum Ariminensi Seminario contraxerunt de Bonis, quæ jam *ab anno* 1692. fuerunt eidem Seminario adscripta, et illi omnino restituenda videbantur; ideoque vel nullius Episcopi, vel certe unius Ariminensis Antistitis consensus requirebatur, ut valide contraheret Seminarium ejusdem jurisdictioni subjectum, ad regulam de qua Sac. Congregatio in *Camerinen.* 18. *Novembris* 1797., *in Parmen. Abbatiæ Fontis Vivi* 19. *Decembris* 1801., *et Rota coram Ratto decis.* 163. *numer.* 3.

Præterea suum quidem assensum non præbuit Emus ac Rmus Card. Castillioneus, tunc Cæsenatensis Episcopus; imo professus est: *solo mi contenterò di essermi nello stato d' indifferenza*: perpendit tamen

 quo-

quoad Ariminense Seminarium, *che era un' antico diritto, e che la concordia non era inutile a Longiano*. Accedit, Seminarium Ariminense jugiter stetisse promissis, etsi plures per annos omnino impares oneribus ferendis essent reditus, qui cum hodie vix *scuta* 90. attingant, ne nunc quidem pares duobus alendis, et instituendis adolescentibus videntur. Itaque tantam experti liberalitatem, grato animo Seminarii Deputatos, et Ariminensem Episcopum prosequi tenebantur Longianenses, *L. Sed si Lege §. Consuluit. De petit. hæred.*, iidemque Deputati, qui forsan jure Bona restitui Seminario postulassent, si illa retinere Longianenses contendissent; nunc merito renuere censendi sunt, ne a Seminario avellantur, et Longianenses juvenes Cæsenatense Seminarium petere cogantur. Præsertim cum neque novum neque insuetum sit, ut etiam a piis Testatoribus Bona relinquantur, quorum reditibus ali, ac institui vel in Universitate, vel in dissita Civitate debeant juvenes, qui Ecclesiasticæ militiæ nomen dederint, ut sunt casus in *Faventina Commutationis voluntatis, et applicationis* 15. *Septembris* 1792., *et in Brictinorien. Commutationis voluntatis, et applicationis* 24. *Julii* 1824.; quin inde obex eorum promotioni ad Ordines etiam Sacros paretur, cum Episcopi acceptis Litteris testimonialibus Antistitis loci, in quo juvenes morantur, et instituuntur, ipsos ad Ordines promovere valeant, et quotidie promoveant, *Sac. Congregatio in Fabrianen.* 19. *Augusti* 1797., *et in Lunen. Sarzanen. Sac. Ordinationis* 29. *Maji* 1824.

Verum perpendit Cæsenatensis Episcopus, bona quorum reditibus aluntur duo Longianenses juvenes ad pias fundationes, quia a fidelium pia collatione dimanant, ac proinde ad Episcopum pertinere, *argum. Clem. 2. de Relig. domib., et Concil. Trid. sess. 22. C. 8. de Reform.* Quum vero suprema Pontificis Pii VI. auctoritate omnia Longiani jura ab Ariminensis Episcopi jurisdictione avulsa, Cæsenatensi Cathedræ fuere addicta; necessario sequi videtur, et jus alendi duos Juvenes Seminario Cæsenæ adscriptum fuisse, et bona quibus alantur, eidem esse tribuenda.

Cæ-

Cætera habent EE. PP. in superius relata Episcopi Cæsenatensis informatione. Illud vero prætermittendum non est, Seminarium Cæsenatense maximam recepturum utilitatem, si bona, quibus Longianenses Juvenes sint alendi, eidem accenseantur; et summam *scutorum* 90., quam vix sufficientem dicit Episcopus Ariminensis, etiam ex parte superfluam haberi a Cæsenatensis Seminarii Deputatis. Accedit, eam censendam esse Testatorum Longianensium voluntatem, ut pium opus, pro quo Bona sua relinquebant, Diœcesani Episcopi jurisdictioni subesset: igitur etsi commutatio supervenerit, illud tamen exemptum dici nequit ab ejus Episcopi jurisdictione, cui in præsens Longiani Oppidum subjicitur: ultimas autem voluntates religiose servandas esse, nemo ignorat, ac traditur *in C. ultima voluntas. Caus.*13. *quæst.*2.

Denique per notissimam Constitutionem Innocenti XII., incipien. *Speculatores*, Episcopis jam fuit præscriptum ad normam Concilii Tridentini, *non esse ordinandos, nisi illos, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos judicaverint*. Sane id executioni vix mandare valeret Cæsenatensis Episcopus, ut ipsemet animadvertit, si alibi, quam in suo Seminario, Clerici Diœcesani degant, ac erudiantur.

Itaque dirimendum proponitur.

Dubium

An locus sit translationi Legatorum in casu etc.

ARIMINEN. JURIS TUMULANDI, ET FUNERIS. *Concil. Triden. Sess.*25.*cap.*13. *de Reform.*

Sacerdos Angelus Barbanti, improviso morbo correptus, diem obiit supremum, dum Josepho Speri Parocho SSmi Crucifixi, primo circiter a Civitate Arimi-

nen-

nensi lapide, per aliquot dies tempore Paschatis in audiendis Fidelium confessionibus opem ferebat. Exequias in propria Ecclesia explevit, sibique emolumentum funeris retinuisset Parochus Speri, nisi querelam læsionis jurium parochialium excitasset Archipresbyter SS. Joannis, et Pauli Thomas Bizzocchi, in cujus Parœcia intra Civitatem Sacerdos Barbanti suæ habitationis domum habebat: quo factum est, ut eadem emolumenta penes alium Parochum deponerentur. Preces deinde huic Sac. Congregationi obtulit Archipresbyter Bizzocchi, quibus definiri petit, an ad ipsum, an ad Parochum Speri defuncti Sacerdotis Barbanti corpus, et funeris emolumenta pertineant.

Episcopum requisivi pro informatione, et voto, ut audito præsertim Rectore Parœciæ SSmi Crucifixi, et transmissis particulis Synodorum ad rem facien. referret de bono jure Oratoris, et utrum Sacerdos Barbanti ad eam Parœciam sese contulerit animo permanendi. Ipse autem iis, quæ mox narravi, hæc addidit = *Ad omnes quæstionis causas, quæ inter Parochos oriri solebant tollendas, defunctus Episcopus Ariminensis Gualphardus Ridolphi in sua Diæcesana Synodo Cap. de funeribus §. 4. habita mense Martii anni* 1818. *statuit, ut jus Funeris esset penes eum Parochum in cujus Parœciæ finibus quis etiam casu moritur; dummodo incolatum habeat vigintiquatuor horarum, hisce verbis* „ ut e medio controversiæ tollantur omnes inter Parochos, „ quæ sequuntur sancimus. Iis exceptis, quæ supra „ de Cathedrali, et Nosocomio diximus, jus Sacra„ mentorum, et funeris ad Parochum spectat, in cu„ jus Parœcia casu quivis cujuscumque ætatis, vel „ conditionis moritur, si incolatus viginti quatuor „ horarum præcesserit „ *Paragraphis autem* 5., *et* 6. *loquitur de delatione Cadaveris ad Ecclesiam, et* §. 7. *de emolumentis, seu taxis, in cujus fine inquit* „ extra „ Civitatem nihil duximus innovandum „ *Archipresbyter SS. Joannis, et Pauli se opposuit Parocho SSmi Crucifixi verbis Synodi innixus* extra Civitatem nihil duximus innovandum. *Sed Parochus Crucifixi ait, illam propositionem non omnia, quæ in dicto Capite de Funeribus continentur, sed tantum paragraphum de emolumentis, et taxis respicere; cum immediate post*

sub-

subjungatur extra Civitatem etc. *Interea emolumenta loco depositi apud Archipresbyterum Nardi existunt usque ad controversiæ definitionem.*

Parochis jus esse humandi cadavera eorum, qui intra suæ Parœciæ fines vitam duxerunt, et parochialem Ecclesiam, ejusque cœmeterium esse locum sepulturæ Parochianorum, nemo ambigit: cum ideo divisæ fuerint, ac distinctæ Parœciæ, certique fines earum singulis assignati, ut intra eosdem exerceant Parochi jura parochialia, inter quæ certo certius connumeratur jus tumulandi, quod semper cujuslibet Parœciæ erectionem consequitur, imo ad solas parochiales Ecclesias antiquitus pertinebat, *Canon Ecclesias. caus.* 13. *qu.* 1., *Cap. Parochialis* 9. *De his, quæ fiunt a maj. part. Cap.*, *Concil. Trident. Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reform.*, *Ursaya Discep. Eccles. tom.*2. *part.*.2. *discep.* 30 *num.*63. *et seq.* Funeris autem emolumenta non ob laborem in eo ducendo perlatum præstantur, sed jus parochiale humandi cadavera sequuntur, et Parochis tribuuntur, ut officio Curæ, et Sacramentorum administrationi incumbant, *Cap. Ex part.*5. *de sepult.*, *Barbos. de offic. et potest. Episc. part.*1. *cap.* 1. *num.* 30., *Sac. Congreg. in Callien.*, *seu Urbinaten. Juris tumulandi* 30. *Augusti* 1817. *ad II. Dub.*, *Rota in Camerinen. juris tumulandi* 10. *Maji* 1790. §. 3. *et* 5. *cor. Acciajuoli.*

Itaque *si Religiosi*, *vel Clerici* (parochianos alienos) *præsumpserint sepelire*; *ad restitutionem tam sepultorum corporum, si petantur, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum, pervenerint quomodolibet ad eosdem, infra decendium integraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus*: verba sunt Bonifacii VIII. *in Cap. I. de Sepult. in* 6., et cohærent tradita per *Barbos. de Parech. cap.* 26. *num* 2., *et* 27. *Ursaya, loc. citat. num.*8., *Panimoll. dec.*5. *num.* 6. Cadaverum proinde exhumationem, ac illorum, et omnium funeris emolumentorum restitutionem sæpe probavit Sac. Congregatio Episcoporum, et Regularium, uti testantur *Lezzan. Oper. moral. tom.*2. *fol.* 1181. *num.* 8., *Rota cor. Rezzonic. dec.*30. *num.*27., et ita in praxi servari mandavit tam Sac. Rituum Congregatio *in Spoletana Funerum* 19. *Junii* 1710., quam hæc Sac. Congregatio *in Romana Juris sepeliendi* 17. *Augusti* 1697., *et*

in

in Aesina Juris sepeliendi 15. *Decembris* 1703., uti late refert *Rota cor. Bichio dec.* 439. *num.* 12. *cor. Molin. decis* 621. *num.*23. , *et plur. seqq. tom* 2. , *et in cit. Camerinen. Juris tumulandi* 10. *Maji* 1790. §.3. , *et* 5. *cor. Acciajuoli*.

Limitantur tamen hæc, si defuncti voluntas, vel ejusdem Familiæ tumulus, vel tandem loci distantia aliud servari postulent. Sive enim defunctus, cujus extremæ voluntati parendum, sepulturam in aliqua Ecclesia sibi elegerit; sive peculiare majorum sepulchrum habeat: domicilii Parocho nullum aliud erit jus, quam portionem Canonicam, seu Quartam funeris obtinendi, *Cap. Nos instituta* 1. *de sepulturis*, *Clementina dudum*. §. *Verum eod. tit.*, *Conc. Trid. Sess.* 25. *Cap.* 13. *de Reformat.*, *Sac. Rituum Congregat. in Capuana* 31. *Martii* 1639., *et hæc Sac. Congr. in Pisauren. Quartæ Funeralis* 6. *Junii* 1824. Si denique loci distantia periculosam, gravique incommodo obnoxiam translationem cadaveris reddat, exequias ejusdem loci Parochus peraget, nihilque (si peculiare desit statutum) Parochi domicilio debebitur, *Cap* 3. *de Sepulturis in* 6., *Nicol. elucubrat. Eccles. part.* 1. *lib.* 4. *tit.* 15. *num.* 21., *Donat. prax. Regul. Tom.* 2. *part.* 4. *tit.* 1, *quæst.* 18. *num.* 5., *Passerin. de Stat. Hom. quæst.* 187. *art.* 11. *num.* 551. a quibus etiam nonnullæ Sacræ Congregat. Episcoporum, et Regularium resolutiones afferuntur; potissimum vero *Benedict. XIV. Instit* 105. §.43. *et seq.*, ubi hæc de distantia statuuntur „ Defunctus, licet in Agro „ decesserit, ad urbanam Parochiam deferendus est, „ modo tamen absque ullo periculo, gravique in„ commodo id fieri queat. Id verum tunc solum „ contingere declaramus pro evitandis dissidiis, cum „ ager ubi Civis occubuit, tribus ab urbe milliariis „ distat. Nam si plus quam tribus milliariis distet, „ tunc Parochus agrestis illum tumulo mandare po„ terit, nec Urbanus Parochus cadaver deposcet, nec „ aliquid ratione sepulturæ percipere contendet.

Ad acquirendam vero qualitatem Parochiani alicujus Parœciæ non requiritur, ut quis intra ejus fines pro majori parte anni habitaverit, *Barbos. de offic. et potest. Parochi part.* 2. *cap.* 2. *num.* 35. *et seq.*, *Rot. in Recent. part.* 4. *decis.* 629. *num.* 3., *et* 9., *part.* 15. *dec.* 225.

num. 20.

*num.*20., sufficit habitatio pro aliquo tempore considerabili, *Gonzalez. in Cap. fin. num.*3. *de Paroch.*, *Pignatel. Consultat. Canon.* 86. *num.* 9. *et alii*; quin imo etiam habitationis principium, dummodo Lares ibidem statuerit, officia solitus sit audire divina, et Ecclesiastica continuo recipere Sacramenta, idest dummodo ibi domicilium animo permanendi fixerit, *Cap.*2. *de Sepulturis in* 6., *Diana Resolut.* 113. *in fin.*, *Marchett. de sepulturis tit.*38. *num.*63. *in fin. Pignatel. Consult. Canon.* 86. *num* 6. *Tom.*7. Si enim ad eum locum se transferat ad tempus, ut animum relaxet, ut negocia expediat, ut ruralia exerceat, vel ob aliam quamlibet accidentalem causam, uno verbo, animo redeundi, verus Parochianus illius Ecclesiæ minime efficitur, *d.Cap.Is qui. De sepulturis in* 6.*Rot. in Recent. part.* 4. *tom.*3. *Decis.* 629. *n.*3., *et* 9., *part.*11. *decis.* 348. *num.* 3., *et seq.* Causativa namque, seu accidentalis mutatio Domicilii absque animo deserendi primum, et acquirendi secundum, non facit cessare jurisdictionem proprii Parochi, neque illam inducit in eum intra cujus Parœciæ limites quis moratur, prout evenit in illis, qui ex diversis Parochiis Urbis, vel extra, causa curationis ad Hospitale occasionaliter confluunt *ad Text. in Cap. De iis. De sepult.*, *Cap.* 1. *et* 2. *eod. tit. in* 6. *cum concord. collect. per Barbosam de Parochis Cap.* 25. *num.*26., *et seqq.*

Hisce perpensis, Archipresbytero SS. Joannis, et Pauli, non autem Parocho SSm̃i Crucifixi cadaver Sacerdotis Antonii Barbanti, una cum funeris emolumentis competere dicendum erit. Inopinato siquidem correptus morbo intra fines Parœciæ SSm̃i Crucifixi decessit Sacerdos Barbanti, qui non animo permanendi, et Domum propriam, suumque domicilium deserendi, illuc sese contulerat, sed ea tantum de causa, ut *per aliquot dies* (sunt verba Episcopi) *tempore Paschalis Parocho SSm̃i Crucifixi in excipiendis confessionibus auxilium ferret*. Translatio igitur personæ de Parœcia in Parœciam paucorum dierum spatium egredi non debebat; occasionalis præterea fuit, accidentalis, causativa, animo redeundi conjuncta, ideoque inepta ad transitum jurisdictionis de uno in alterum Parochum inducendum. Sepulturam vero in Ecclesia SSm̃i Cruci-

cifixi non elegit Sacerdos Barbanti.: nullumque in eo gentilitium sepulchrum habuisse suadet silentium de eodem tum a Parochis contendentibus, tum ab Episcopo servatum: distantia denique mille circiter passuum a Civitate Arimini, in amæna planitiæ sita, non ea est, quæ cadaver ad Ecclesiam SS. Joannis et Pauli deferri non pateretur.

Horum nihil inficiatur Parochus Speri, qui sibi præsidium tantummodo quærit a Synodali lege *anno* 1818. ab Episcopo Ridolfi lata, cujus *Cap. de funeribus* §.4. ad quæstiones omnes, quæ inter Parochos oriri solent, tollendas, statuit, ut jus Funeris esset penes Parochum, *in cujus Parœcia casu quivis moritur, si incolatus vigintiquatuor horarum præcesserit*. Casu siquidem in Parœcia SSmi Crucifixi defunctus est Sacerdos Barbanti post aliquot dierum incolatum, adeout Synodali lege hodierna quæstio reapse sublata videatur. At ambiguum esse contendit Archipresbyter Bizzocchi, quo sensu Episcopus Ridolfi vocabulum *Incolatus* usurpaverit, ideoque nativam, et communem illius significationem esse quærendam. Vox autem *incolatus* originem ducit a verbo *Incola*, quod eum significat, qui in aliena Regione, vel Civitate habitat quasi Civis, seu qui aliorsum domicilium contulit juxta *Pomponii* Jurisconsulti definitionem *in Leg.* 239. *§.2. ff. De verb. signif.* Incolatus proinde acquiritur decennali habitatione, uti monuit Rota *in Romana Societatis Aromatariæ cor.Comitulo impress. apud Marchesan. de Commiss. part.2. §.3. fol.226. num.1.*, *coram Merlin. Decis.* 331. *num.* 5., *et cor. Royas Decis.* 104. *num.* 8., eaque deficiente, ad incolatum acquirendum non sufficit voluntas mutabilis, et transitoria, prout in Hospite, sed requiritur, ut quis in aliquam Civitatem, aut vicum se conferat animo deliberato ibidem permanendi, et nunquam recedendi, *L.4. Cod. de Incolis, Gloss. in L.* 1. *verb. Incolam. Cod. de Municip. lib.*10., *Silvan. Cons.*1.2. *num.*93., *et seqq.*, *Rota diversor. decis.* 150. *num.* 3. *part.* 2., *cor. Buratt. decis.* 75. *num.*19.; animus autem hujusmodi colligitur ex translatione Domicilii, idest ex constitutione Domus, rerum, ac fortunarum suarum, nec non ab exercitio actuum, ex quibus manifeste appareat, quem non

esse

esse ex eo loco amplius discessurum, *Menoch. de Arbitr. Judic. Cas. 86. num.2.*, *Amaya de Incol. num. 98., et seqq.*, *Alciat. in Leg. Pupillus §. Incola ff. de verbor. signific.*

Desunt hæc omnia in themate, ideoque Synodalem Legem non modo sibi non obesse, imo favere concludit Archipresbyter Bizzocchi; qui ea quoque verba perpendenda proponit, quæ in calce superius relati *Cap. de funeribus* leguntur: *extra Civitatem nihil ducimus innovandum*, ex quibus infert, Episcopum Ridolfi quoad funus, et sepulturam eorum, qui extra Civitatem decederent, nihil statuere voluisse, ideoque jus commune esse servandum. Verum reponit Parochus Speri, indicata verba *extra Civitatem*, non omnia respicere, quæ in dicto capite de Funeribus continentur, sed ea tantum, quæ ad emolumenta, ac taxas pertinent, de quibus agitur *in* §. 7., cui fuere adjecta. Relatio siquidem juxta notissimam regulam facienda est ad proxima; eo vel magis, quia inter citatum §. 7., et præcedentem §. 4., in quo de jure tumulandi, et funeris disponitur, adsunt §§. 5., *et* 6., in quibus agitur de delatione Cadaveris ad Ecclesiam, uti distincte in sua Informatione Episcopus adnotavit.

Perspicuam vero esse, subdit Parochus Speri, sententiam Legis Synodalis, si a Legislatoris mente, atque a causa finali petatur interpretatio, uti omnino petendam monet *Bald. cons. 218. vers. Sic considero*, *Rota cor. Duram. decis. 4. n. 42.*, *et cor. Ansald. decis.* 578. *n.* 57. Diserte pandidit Episcopus Ridolfi, suæ mentis esse, *ut e medio controversiæ tollantur omnes inter Parochos*: hanc proinde Legis finalem causam habendam constat. Nihil autem egisset Episcopus Ridolfi, si vocabulo *Incolatus* ea significatio tribueretur, quam ex Juris apicibus illi adscribendam Archipresbyter Bizzocchi suadere nititur. Cum enim incolatus, eodem prorsus modo, ac domicilium, de jure acquiratur; eædem quæ de domicilio, manerent controversiæ de incolatu. Neque inanis tantum, sed absurda quoque Lex Synodalis esset dicenda: frustra siquidem, et absurde mentionem habuisset de eo, qui *casu moritur*, absurdissime vero incolatum 24. *horarum* præscripsisset. Quisquis enim in aliqua Parœcia animo

non discedendi moretur, sive *casu*, sive diuturno morbo confectus decedat; ad illius Parœciæ Rectorem jus tumulandi, et funeris procul dubio pertinet. Domicilium vero etiam unica hora, imo et horæ momento contrahitur, cum quis lares in aliqua Parœcia deliberato permanendi animo constituit: neque ad incolatum plus requiri, quam ad domicilium obtinendum, quisquam dixerit.

Vitanda ergo absurda, et congrue intelligenda est Lex Synodalis ad monita per Rotam in *Anconitana* 5. *Julii* 1822. *§. final. cor. Me*, ut nempe ad eos pertineat, qui occasionaliter, ad tempus, et animo discedendi habitant; ita siquidem et mentio *casus* merito habita, et 24. *horarum* tempus jure optimo præfinitum dignoscitur. Neque ratio deest, ob quam id statuit Episcopus Ridolfi, cum jus tumulandi, et funeris non adeo a domicilio proprie dicto pendeat, ut eo deficiente cesset; cum imo sufficiat actualis habitatio, etiam absque animo perseverandi sub ipsa Parœcia, *Sperell. decis.* 87. *n*. 5. *ad* 11., *Rota cor. Zarat. decis.* 45. *n*. 7., *et cor. Ansald. decis.* 133. *n*. 23. Re quidem vera studentes, Famuli, Milites, Officiales, qui ratione vel studii, vel servitii, vel militiæ, vel Officii e loco, ubi domicilium retinent, in alium se transferunt, etiamsi animo destituantur ibidem permanendi, et pluries in anno patriam petendo id facto comprobent; adhuc tamen sepeliri debent in Ecclesia loci proprii servitii, vel officii, vel habitationis, si ibi decedant, *Fæder. de Servis Cons.* 254. *per tot.*, *et signanter n* 5. *in* 14. *addit.*, *Zabarell. in cap.* 1. *n*. 5. *quæst.* 7. *de Sepult.*, qui ait: *Si scholaris in loco studii, vel existens in officio, ibi decedat, est Parochianus Ecclesiæ, in qua moritur*, et consentiunt *Barbos. de jur. Eccles. lib.* 2. *Cap.* 10. *n*. 53., *Card. Petra ad Constit.* 9 *Innocentii III n*. 42. *in fin*, *et n*. 47., *Rot. cor. Ansald. cit. decis.* 133. *num.* 24., *et in addit. n* 25.

Animadvertendum pro meo munere duco, Synodum Ariminensis Episcopi Ridolfi numquam ab Apostolica Sede fuisse confirmatum: juris autem communis sanctioni derogari minime posse per Synodum Diœcesanam, cujus leges communi juri adversantes, etsi ad tollendas quæstiones fuerint editæ, nullius sunt robo-

ris,

ris, uti aperte constat *ex Cap. Quod super his de major. et obed.*, ac tradunt *Fagnan. ibid. n.* 26., *et Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib.* 12. *cap.* 1., *et cap.* 5.
Si ad Parochum domicilii jus tumulandi spectare EE.PP. arbitrentur, definire quoque dignentur, an hodie exhumandum, ac restituendum sit cadaver Sacerdotis Barbanti, qui pluribus ab hinc mensibus decessit: an potius obicem præstet cinerum vexatio, cujus vitandæ causa factum est alias, ut Juris dimisso rigore, cadaverum, sive eorumdem cinerum restitutio quandoque fuerit suspensa, *ad Text. in Leg. Ne corpora., Leg. Divi fratres, Leg. Sunt personæ. ff. De religios. et sumpt. funer.*, quandoque etiam prorsus fuerit denegata, *Rota cor. Rezzonic. dec.* 30. *n.* 30., *et in Camerinen. Juris tumulandi* 10. *Maji* 1790. §. 5. *cor. Acciajuoli.* Si pariter ad eumdem domicilii Parochum funeris emolumenta pertinere censeant: decernant etiam, num integre sint restituenda, quavis Parochi Speri bona fide posthabita, qui funus duxit, et exequias peregit non clam, et per injuriam, sed quia jure suo se uti putavit. Quam ob rem ad ipsum pertinere non videtur Canonici Juris censura *in Cap.* 1. *De sepult. in* 6., eos respiciens, qui cadavera indebite *præsumpserint sepelire*, uti hæc verba perpendentes in similibus casibus, tradunt *Barbos. de Paroch. c.*25. *n.* 19., *et* 32., *et cap.* 26. *n.* 2. *et* 27., *Amostaz. de caus. piis Lib.* 6. *Cap.* 3. *n.* 39 *et* 42., *Rota in Camerinen.* 13. *Decembris* 1790. §. 3. *cor. Acciajuoli.* Proponuntur idcirco.

Dubia

I. *An, et ad quem Parochum spectet jus tumulandi, et funeris in casu etc.*

Et quatenus affirmative ad Parochum domicilii.

II. *An sit locus exhumationi, et restitutioni Cadaveris in casu etc.*

III. *An, et quæ funeris emolumenta sint restituenda in casu etc.*

PERGULANA. Congregatio Presbyterorum Oratorii S Philippi Neri *anno* 1679. in Civitate Pergulæ fuit erecta in Aedibus, S. Annæ nuncupatis, atque ad eam S. Pe- *Sess.* 25. *Cap* 13. *de Reform.*

S. Petri Ecclesia, ejusque spectabat Aedicula; in quibus et omnes exercebat ecclesiasticas functiones, et Defunctorum cadavera sepeliebat. Præteritorum temporum calamitate suppressa fuit eadem Congregatio, ejusque ædes, et Ecclesiæ Pontificia deinde auctoritate Seminario erigendo fuere concessæ. Ecclesiarum autem, quæ intra fines Parochialis Ecclesiæ Cathedralis sunt sitæ, custodiam, nec non officium Rectoris Seminarii Mathiæ Reali Oratorii Presbytero Episcopus Callien., et Pergulanus attribuit.

Decessit in Civitatæ Pergulæ mense Januario currentis anni Parochianus Ecclesiæ S. Marci, cui gentilitium erat sepulchrum in indicata S. Petri Ecclesia, ad quam proinde illius cadaver delatum est, et peractis exequiis, in indicato sepulchro fuit conditum; Parochus S. Marci medietatem ceræ habuit; Parochus Cathedralis, ac simul Capituli Præpositus Antonius Mattei, qui Missam cecinit, eleemosynam juliorum quinque juxta Civitatis morem accepit, ac ceræ aliam voluit medietatem: nihil ergo pro tumulante remansit Ecclesia. Quamobrem Presbyter Reali, ut ea, qua par est diligentia et Custodis Ecclesiarum, et Rectoris Seminarii muneribus fungatur, utque omnes prævertat controversias, quæ cum Parocho Cathedralis oriri possent, Dubiorum infra proponendorum definitionem ab hac Sac. Congregatione implorat.

Requisivi Episcopum pro informatione, et voto, ut auditis præsertim Capitulo, Parocho Cathedralis, Deputatis Seminarii, et Promothore Fiscali in scriptis, et transmissa particula Litterarum Apostolicarum, cæterisque documentis ad rem facientibus, referret, quæ jura, et quas exemptiones haberent Ecclesiæ de tempore, quo erant Congregationis Oratorii, utrum hæc jura conservata fuerint, quibus conditionibus cessæ fuerint favore Seminarii, et quibus exemptionibus gaudeat Seminarium, etiam juxta consuetudinem, et Statuta Synodalia Diœcesis Calliensis. Presbytero Reali unus contradicit Parochus Ecclesiæ Cathedralis; ei vero apprime favent Capitulum, Deputati Seminarii, ac Promothor fiscalis, quorum scripta Episcopus transmisit una cum particula Litterarum Apostolicarum, quas *die* 18. *Januarii* 1818. indulsit S. M. Pius VII., et in

in quibus §. 22 hæc leguntur. *De Apostolicæ potestatis plenitudine Seminario perpetuo addicimus Aedes S. Annæ cum suis pertinentiis, et quatenus Congregationem Philippinorum restitui non posse decernatur, nunc pro tunc ipsius Aedes, Ecclesiam, Oratorium* cum suis pertinentiis, *Sacrarium cum sacra supellectili, et reditibus eidem Seminario attribuimus ea lege, ut sumptus ad Sacra, ad supplicationes,* functiones, *ac divinarum rerum cultum*, eo quo nunc consuevit modo, *præstandum necessarii ab eodem parentur*, accitis etiam ex mercede *Sacrorum Ministris*, *qui ibidem* pia Philippinorum exercitia *sancte*, *religioseque exequantur.*

Hæc deinde refert, atque ita suam Episcopus sententiam aperit ,, Ecclesiæ Presbyterorum Oratorii Pergulæ, antequam eorumdem Congregatio supprimeretur, cunctis illis fruebantur privilegiis, quibus Regularium gaudent Ecclesiæ, adeout Parochi nihil omnino juris sive in funeribus peragendis, sive in cæteris functionibus celebrandis sibi præsumerent arrogare. Omnis quæstio tunc orta est, quando Congregationis evenit suppressio, quo tempore quidem arbitrabantur Parochi, privilegia, et exemptiones memoratas prorsus evanuisse. Domos tamen supradictis Ecclesiis attiguas inhabitabant iidem Oratorii Presbyteri, quamvis non solitis primævi instituti vestibus induti, atque alter ex eis, ipse scilicet Sacerdos Reali, Ecclesiarum custodiam sicuti antea retinebat, et pervetusta jura fideliter tueri; atque conservare satagebat, non obstantibus querimoniis sæpe sæpius institutis a Parochis. Tractu temporis cum S. M. Pio VII. placuisset in novæ Pergulensis Cathedralis erectione decernere, ut domus, et conjunctæ Sacerdotum Oratorii Ecclesiæ pro Clericorum Seminario cederentur . . . Sacerdos Reali Ecclesiarum custodiam ex Ordinarii facultate conservavit, eaque propter sacras in ipsis functiones ut antea peregit, funera exercuit, cum præsertim in Ecclesia altera S Petri nonnullæ ad peculiares Pergulæ familias pertinentes existant Sepulturæ. Sed cum in funeribus cæteri omnes Urbis Parochi funerariam quartam sibi deberi contendant, si de suis Parochianis agatur,

qui

„ qui tumulum a it habeant, aut eligant in sæpe re„ latis Ecclesiis; Parochus autem Cathedralis, intra „ cujus Paroeciæ limites Seminarii Ecclesiæ reperiun„ tur, velit quidquid reliqui ceræ est, dempta quarta „ funeraria, quando Defuncti ad aliam Urbis Parœ„ ciam spectant, totam autem ceram una cum du„ plici Missæ eleemosyna, si de propriis Parochianis „ agatur, sicuti etiam expostulet omnes solemniores „ functiones, quæ in Ecclesiis eisdem celebrantur, „ sibi omnino pertinere; hinc ut omnes penitus con„ troversiæ dirimantur nonnullis dubiis factus est locus.

„ Ad quæ dubia quidem diluenda, etsi nihil eruatur ex „ Diœcesana Synodo Calliensi, nihilo tamen secius „ multis in Civitatibus inolevit usus, et consuetudo, „ qua Seminarii Ecclesiæ gaudent talibus privilegiis „ et exemptionibus, ut Parochorum jurisdictioni mi„ nime subjaceant, earumque Rectores, seu Custodes „ jus omne possideant ad functiones omnes exercen„ das, et funera etiam persolvenda Quæ quidem con„ suetudo illi potissimum rationi inniti videtur, ut „ Seminarii Ecclesia expositis exemptionibus perfrua„ tur, utpote quæ immediate Ordinarii subjaceat ju„ risdictictioni, a quo sicuti Seminarium, sic etiam „ ipsius Seminarii Ecclesia dependeat. Talis autem „ jurisdictio non per ipsum exercetur Ordinarium, „ bene vero per Rectorem, et Presbyterum, cui Se„ minarii, et Ecclesiæ ad Seminarium pertinentis cu„ stodia fuerit demandata. Neque hoc novum est, et „ inusitatum, cum videamus in Monialium Ecclesiis „ omnia penitus parochialia munera sustineri ab eo „ Sacerdote, qui in Monialium earumdem Confessa„ rium ab Ordinario adlectus reperitur, et constitu„ tus, quique uti Parochus respective ad Moniales „ habetur communiter, et retinetur.

„ Quamdam sane crudelitatem saperet, ut Parochus, præ„ cipue intra cujus Parœciæ fines situm est Semi„ narium, omnia sibi incerta contenderet, interim autem „ sacra supellectilia Ecclesia suppeditaret, Custos ipse „ operam suam impenderet, quin tamen ratio ulla habe„ retur vel in Seminarii, vel in ejusdem Custodis favorem.

„ Quæ cum ita sint, mihi videtur, stante ista consue„ tudine; admissaque ratione, qua consuetudo ipsa „ tuetur, atque fulcitur, opinandum esse in favorem

Se-

„ Seminarii, ita ut Ecclesiæ, de quibus in casu, in-
„ dependentes, et exemptæ judicentur ab omni Pa-
„ rochorum jurisdictione, et funera, cæteræque fun-
„ ctiones libere a constituto Custode peragi valeant, et
„ exerceri. „

Minime ambigitur ad Parochos spectare parochiales functiones tum in Parochiali, tum in cæteris Ecclesiis intra fines Parœciæ sitis, quæ specialibus privilegiis, et exemptionibus non gaudent, *Abbas in Rubr. de Paroch. n.* 2., *Barbos. in Summ. Decis. Apost. verbo Functiones parochiales collat.* 391., itemque functiones omnes non parochiales in iisdem Ecclesiis, si Parochiali adnexæ sint, ac unitæ. Verum si Ecclesiæ a Parochiali distinctæ, ac sejunctæ sint, functiones omnes non parochiales ad earum Rectores pertinent: si prætereа privilegiis, et exemptionibus fruantur, nequit in illis Parochus functiones parochiales exercere. Constant hæc ex resolutionibus Sac. Congr. Episcoporum, et Regularium in *Rhegien.* 5. *Junii* 1699. ex Decretis generalibus a Sac. Rituum Congregatione editis *die* 10. *Decembris* 1703. præsertim *ad Dub. III. IV.* X. *XIII. XVI. XVII. et* XX., quæ resolutiones, et Decreta referuntur a *Monacell. Formul. Fori Eccles. part.* 2. *tit.* 13. *n.* 46., *et a Ferraris Biblioth. verb. Confraternitas art.* 2. *n.* 3., *et seq.*; nec non ex definitionibus hujus Sac. Congregationis in *Consen. Jurium Parochialium* 9. *Junii* 1714., *in Rhegien.* 5. *Augusti* 1719, *in Cremonen.* 5. *Junii* 1723., *in Alexandrina* 21. *Februarii* 1728., *et in Bononien.* 15. *Maji ejusdem anni ad dub. VI.*, *et XIII.*

Quoad funera vero exploratum est, spectare ad Parochum facere officium super cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis, et Oratoriis publicis non exemptis, et intra fines Parœciæ extantibus, si tumulandus sit subditus eidem Parocho, uti totidem verbis respondit Sac. Rituum Congregatio in citat. Decretis *anni* 1703. *ad Dub.* XX. Hinc si de cadavere non subditi humando agatur, nullam sibi partem in emortualibus functionibus vindicare memoratus Parochus potest. Quod si subditus in Ecclesia exempta sit tumulandus, eidem Parocho jus est associandi cadaver usque ad januam Ecclesiæ, ibique dandi ultimum vale,

le, uti respondit Rota in *Romana Juris tumulandi*, *et funerum* 7. *Maji* 1792. §. 10. *cor. Acciajuoli*; sed in Ecclesiam exemptam ingredi cum Cruce erecta, stola, et superpelliceo, ibi absolutionem cadaveris explere, officium, et Missam canere, exequias usque ad cadaveris humationem celebrare nullo modo potest, cum hæc omnia ad Ecclesiæ exemptæ Rectorem spectent, *Barbos. de Offic. Paroch. part.* 3. *cap.* 26. *n.* 81. *et seq.*, *Monacell. Formul. For. Eccl. tom.* 1. *part.* 5. *num.* 39., *UrsayaDiscept. Eccles. tom.* 3. *part.* 1. *disc.* 21. *n.* 4., *Rota cor. Roverella dec.* 68. *n.* 3., *in Melevitana Funerum super ingressu in Ecclesias Regularium* 23. *Novembris* 1774. §. 1. *et seq. cor. Card. Millino*, *et in cit. Romana Juris tumulandi*, *et Funerum* §. 10. *in fin. cor. Acciajuoli.*

Pertinet quidem canonica portio, seu quarta funeralis ad Parochum, in cujus Parœcia Defunctus domicilium habuit, *Cap.* 1. *de Sepult.*, *Clement. Dudum. eod. tit.*, *Concil. Trid. Sess.* 25. *cap.* 13. *de Reformat.*, *Sacr. Congr. in Pisauren Quartæ funeralis* 29. *Maji* 1824, idque ratione administrationis Sacramentorum, quandoquidem jus ad funeralia sequitur jus administrandi Sacramenta, uti admonent *Rebuff. in concord. tit. de collat.* §. *Statuimus. verb. Parochialis*, *Ricc. Prax. part.* 4. *resol.* 291. *n.* 2. Parochus autem non Parochianis nullum jus habet administrandi Sacramenta; nihil proinde consequi debet ex funeribus Defunctorum, qui ad alias Parœcias pertinent, quamvis in Ecclesia exempta intra suæ Parœciæ fines posita sepeliantur.

Quum vero Parochus in funere Parochianorum quartam canonicam obtinuit; reliqua emolumenta Rectori Ecclesiæ, vel Oratorii publici exempti debentur, *Sac. Congr. in Asculana Jurium parochialium* 29. *Augusti* 1733. *ad III. Dub.* Funeralem quartam tantummodo quoad Defunctos, qui in Regularium exemptis Ecclesiis humantur, Parocho domicilii tribuit S. M. Benedictus XIII. in sua notissima Constitutione incipien. *Romanus Pontifex*: hujus autem quartæ de Jure incerta est quantitas, ac medietas, tertia, vel quarta pars emolumentorum funeris esse potest; cum hæc omnia sub generali veniant nuncupatione *Quartæ funeris*, uti monet hæc *Sac. Congr. in Camerinen. Se-*

pul-

pulturæ 29. Novembris 1819 §. Si Defuncta, *et in citat. Pisauren. 1824. §. Si Parocho*. Attendenda vero est consuetudo locorum, ad quam reapse hæc Sac. Congregatio se referre solet: quod si consuetudo desit, Parochiali Ecclesiæ, quarta pars tantummodo emolumentorum in funere Parochiani debetur, *citat. Camerinen. Sepulturæ 20. Novembris 1819.*, *et in Pisauren. Quartæ funeralis 26. Junii 1824.*

Ecclesias Presbyterorum Oratorii S. Philippi Neri exemptione pollere, qua Regularium Ecclesiæ gaudent; ideoque tam Ecclesiam S. Petri, quam Aediculam, nunc Seminario in Civitate Pergulana erigendo tributas, ad classem Ecclesiarum exemptarum pertinuisse, inque ipsis functiones omnes independenter a Parocho jugiter peractas fuisse, donec penes dictos Presbyteros fuerunt, in facto est exploratum; idque monent Episcopus Pergulanus, Promothor Fiscalis ejus Curiæ, ac Deputati Seminarii, et ipsemet fatetur Præpositus Mattei Pergulanæ Cathedralis Ecclesiæ Parochus. Quærendum igitur, an Presbyteris Oratorii ejectis, Ecclesia, et Aedicula primævam exemptionem amiserint: illico autem occurrit, Presbyteros non a legitima potestate, sed temporum calamitate fuisse expulsos, et nihilominus alterum ex ipsis, nempe Presbyterum Reali, earum custodiæ præfuisse, ac in ipsis omnes functiones eodem modo, quo vigente Philippinorum Congregatione exercebantur, peragendas curasse.

Apostolicis autem in Litteris, quibus Ecclesia, et Aedicula fuere Seminario adscriptæ, Pontifex his verbis est usus: *quatenus Congregationem Philippinorum restitui non posse decernatur*, *nunc pro tunc ipsius Ædes*, *Ecclesiam*, *Oratorium cum suis pertinentiis* . . . . *Seminario attribuimus ea lege*, *ut sumptus ad Sacra*, *supplicationes*, *functiones ad divinarum rerum cultum eo*, *quo nunc consuevit modo*, *præstandum necessarii ab eodem parentur*, *accitis etiam ex mercede Sacrorum Ministris*, *qui ibidem pia Philippinorum exercitia exequantur*. Itaque si Ecclesia, et Oratorium *cum suis pertinentiis* fuere concessa; si Pontifex jussit, ut *functiones*, *eo quo nunc consuevit modo* peragantur; si statuit, ut *accitis etiam ex mercede* Sacrorum Ministris, *ibidem pia Philippinorum exercitia exequantur*: consequens esse videtur, antiqua omnia jura, et privilegia vigere, atque ad Seminarium esse de-

lata, ideoque nec Parochum esse vocandum, neque functiones, quas antea in Ecclesia, et Oratorio nunquam exercuit, nunc ad ipsum pertinere. Præsertim cum pluribus in locis, ceu Tusculi, Fabriani, Nuceriæ, ac alibi, consuetudo invaluerit, ut in Ecclesia Seminarii, etiamsi publica sit, omnes functiones independenter a Parocho, Rector ejusdem Seminarii peragat. Quod firmissima nititur ratione, ceu perpendit Pergulanus Episcopus: quia nempe Ecclesia Seminarii immediatæ Ordinarii jurisdictioni subest, ac uti Seminarium, ita et ejusdem Ecclesia non a Parocho, sed ab Episcopo dependet. Jurisdictionem autem per Rectorem, et Presbyteros, quibus custodiam Seminarii, et Ecclesiæ commendat, Episcopus exercet: merito proinde Ecclesia Seminarii exempta est habenda a qualibet jurisdictione Parochi, intra cujus Parœciæ fines extat.

Quoad mortuarias functiones, quæ diebus *tertia*, *septima*, *trigesima*, *et anniversaria* celebrari solent; compertum est, eas inter parochiales nequaquam recenseri. Igitur sive de Defuncto non parochiano, sive de parochiano agatur, nullum sibi jus asserere potest Rector Parochiæ, intra cujus fines sita est Ecclesia, in qua hujusmodi functiones explentur. Quamobrem sive exemptione gaudeant, sive non, Ecclesia, et Aedicula Pergulani Seminarii, in eisdem independenter a Parocho Ecclesiæ Cathedralis peragi possunt omnes mox indicatæ functiones.

Reponit tamen Præpositus Mattei, Cathedralis Pergulanæ Ecclesiæ Parochus, nullam in Apostolicis Pii VII. Litteris mentionem occurrere exemptionis, qua pollebant Ecclesia, et Aedicula, dum Congregatio vigebat Presbyterorum Oratorii S. Philippi Neri: illius proinde jus in Seminarium nequaquam fuisse translatum, quod cæteroquin aperte, et expresse transferri, et concedi oportuisset. Itaque expulsis Presbyteris Oratorii, Ecclesia, et Aedicula filiales Parochialis Ecclesiæ evaserunt; atque in ipsas quæsitum Rectori ejusdem Ecclesiæ est jus, non parochiales tantum, sed quascumque functiones exercendi. Perspicuæ namque sunt responsiones datæ *die* 16. *Decembris* 1816. a Sac. Congregatione Reformationis sequentibus Dubiis „ I. *Se non essendo stato ripristinato, nè essendovi probabilità, che lo sia in appresso, il Convento de' Minori Conventuali di Pergola nella giuris-*

risdizione di Nonantola, la Chiesa ad esso annessa debba nello stato attuale riguardarsi come regolare nei privilegj, officiatura, tumulazione etc. = Et quatenus negative = II. *Se abbia a considerarsi come* filiale alla Parrocchia, *cosichè il Parroco eserciti in essa ogni diritto* = Respondit siquidem Sac. Congregatio. Ad I. *Negative*, ad II. *Affirmative*: atque has responsiones *die* 17. *ejusdem Mensis* S. M. Pius VII. plenissime confirmavit.

Norunt id egregie Deputati Seminarii (subdit Præpositus); quamvis enim nunc Presbytero Mattei faveant, supplicem tamen Sacræ Congregationi Consistoriali obtulerunt libellum, quo fassi sunt, quod *resta sprovvisto il Custode, ne potrà percepire gl' incerti ne' funerali, e nelle Feste, perchè il Parroco, nei cui limiti sta la Chiesa, vorrà esso, non essendovi più i PP. Filippini, esercitare la sua giurisdizione, e percepire i suddetti incerti*: ideoque exorarunt, ut Rector Seminarii Custos memoratæ Ecclesiæ eligeretur, ac *per suo assegnamento possa percepire gl' incerti in occasione de' Funerali, e delle Messe come percepivano i PP. Filippini*. Nullum a Sac. Congreg. Consistoriali prodiit responsum, inde tamen aperte colligitur, ipsismet fatentibus Deputatis Seminarii, omnes functiones tam pro vivis, quam pro Defunctis, ideoque et functiones, quæ tertia, septima, trigesima, et anniversaria die peraguntur ad Parochum Cathedralis pertinere.

Allegat quoque Præpositus doctrinam Barbosæ *de off.*, *et Potest. Parochi part.* 3. *cap.* 26. *num.* 1., apertissime tradentis, quod = *Officium facere super Cadaveribus pertinet ad Parochum, intra limites cujus Paræciæ adest Ecclesia, in qua Cadaver tumulatur, non autem ad Sacerdotes talis Ecclesiæ, et ita responsum fuit a S. Rituum Congregatione in Causa Defunctorum, qui sepelliuntur in Ecclesia S. Celsi Mediolani, sub die* 29. *Novembris* 1632. Inde vero infert, nullum invehi posse discrimen inter Defunctos ad suam, atque ad alienam Parochiam spectantes; idcirco ad ipsum omnes pertinere functiones super cadavera explendas, sive Fideles, dum viverent in sua, sive in aliena Parœcia domicilium haberent. Jure igitur se conatibus Presbyteri Reali perpetuo obstitisse dicit; et Missam cecinisse, ac medietatem ceræ voluisse in funere non Parochiani, qua de causa Pres-

by-

byter Reali ad hanc S. Congregationem recursum habuit.

Ecclesia siquidem filialis (ita denique Præpositus) nullum Ecclesiæ matrici detrimentum irrogare debet; quod semper expresse cavetur, dum filialis Ecclesia de novo erigitur. Verum si sola funeris quarta concederetur, quando defuncti Parochiani in filiali tumulantur Ecclesia, damnum sentiret Ecclesiæ matricis Parochus, qui secus omnia funeris emolumenta consequeretur; itemque detrimentum eidem Parocho inferretur, si prædicta emolumenta funeris ipsi denegarentur, detracta tamen quarta funerali Parocho domicilii debita occasione tumulationis Defunctorum ad aliam attinentium Parochiam. Igitur ut hujusmodi damna avertantur, Cathedralis Pergulanæ Parochus emolumenta omnia funeris assequi debet, si defunctus ad ejus spectet Parochiam; quarta funeris tantum detrahi debet, si ad Parœciam alienam pertineat Defunctus, qui intra suæ Parœciæ fines tumulatur.

Dubia

I. *An ad Rectorem Seminarii spectent functiones non parochiales in Ecclesiis ejusdem Seminarii celebrandæ in casu etc.*

II. *An, et quomodo Parochus, intra cujus Parœciæ fines Ecclesiæ Seminarii sunt sitæ, jus habeat in functiones mortuarias suorum Parochianorum, qui in illis tumulantur in casu etc.*

III. *An, et quæ portio emolumentorum eidem Parocho debeatur occasione præfatæ tumulationis Parochianorum in casu etc.*

IV. *An, et quomodo Parochus jus habeat in functiones mortuarias non Parochianorum tumulandorum in dictis Seminarii Ecclesiis in casu etc.*

V. *An Parochus ipse, dempta quarta canonica pro Parocho domicilii, jus habeat ad emolumenta funeris Defunctorum ad alienam Paroeciam spectantium in casu etc.*

VI. *An, et quomodo Parochus jus habeat in mortuarias functianes dierum tertiæ, septimæ, trigesimæ, et anniversariæ in casu etc.*

FINIS

INDEX RESOLUTIONUM

Quæ prodierunt in causis in S. Congreg. Concilii anno 1824. propositis

A

Attenta bona fide Hæredum Episcopi Bernardini Schala, nec non attenta eorum paupertate, cum sint de genere Patronorum, S. Congregatio consulendum SSmo dixit pro *absolutione* quoad præteritum, celebrata unica Missa cum applicatione pro anima fundatoris, in *Callien. et Pergulana* 31. *Januarii ad III. Dub.*

Antequam S. Congregatio standum, vel recedendum a decisis statueret super petitione a Bartolinio oblata, qua postulabat jura sua experiri in Bona Ecclesiæ Frontilli Camerinen. Archidiœcesis, atque illius Parochianorum, pro reintegratione expensarum, quas in Ecclesiæ *ædificatione* subierat, prorogavit judicium, et Archiepiscopo ad mentem scribendum esse censuit, in *Camerinen ædificationis Ecclesiæ* 31. *Januarii.*

Theresiæ Bellini a Joanne Baptista Riccardi ejus viro, nec non Socero *alimenta* deberi in summa *scut* 25. quolibet mense a die motæ litis dixit Sac. Congregatio; quamvis Socer actionem circa Matrimonii nullitatem coram ecclesiastico Judice instituerit, in *Lauretana Matrimonii super alimentis* 21. *Februarii.*

Hanc resolutionem quoad sexta decem tantum confirmavit *in eadem* 26. *Junii.*

Quoniam in *alimentorum* Causis victus victori in expensas est condemnandus, refectioni expensarum judicialium, et extrajudicialium factarum a Theresia Bellini in causa super alimentis ab ejus viro, nec non ab ejus Socero præstandis, locum esse dixit S Congregatio, earumque taxationem commisit D Secretario, *in eadem Matrimonii super expensis* 14. *Augusti.*

Antequam EE. PP. decernerent, an provisi a Dataria Apostolica Canonicatu in Collegiata Ariciæ Albanen. Diœcesis tenerentur fabricæ memoratæ Collegiatæ solvere mediam *Annatam*, a qua eximebantur per Constitutionem *Pius, et Misericors* S.M Benedicti XIII., rescribendum duxerant dilata, et coadjuventur probationes circa legitimam assertam consuetudinem, in *Albanen. Mediæ Annatæ* 18. *Septembris.*

Sententiam differre censuit S. Congregatio, et ad mentem, antequam definiret, utrum arbitrium pro *aperitione oris* intraret in Apostolicis Litteris favore Cajetani Mensi expeditis, nec non utrum esset locus earum executioni, quibus Mensi concedebatur Coadju-

B

conditione renovandum Baptismum, *in Fesulana Baptismi* 8 *Maji.*

Benedictio Domorum Vide *Decimæ*

Ad dirimendas quæstiones, quæ oriri poterant inter Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Ariminensis, et Comitem Joannem Cisterni super proprietate fundi *Cerasolo*, qui a vinculo fideicommissi Canonici Leonardelli liberatus censebatur, Comes Cisterni Capitulo transactionem proposuit nonnullis adjectis conditionibus. Sacra vero Congregatio censuit, non esse concedendum Apostolicum *Beneplacitum*, et statuit, ut Vicarius Apostolicus curaret fieri inscriptionem hypothecariam super fundo *Cerasolo* ad formam testamenti Canonici Leonardelli, in *Ariminen. Beneplaciti* 21. *Februarii.*

C

Ad Canonicos Cathedralis Casertanæ, dummodo accedant ab Episcopo invitati, spectare jus assistendi Episcopum in sacris functionibus intra ambitum Civitatis Magdalunæ prælative ad Canonicos Ecclesiæ Collegiatæ ejusdem Civitatis dixit Sac. Congregatio, confirmando aliam superioris anni resolutionem, in *Casertana* 20. *Martii ad I. Dub.*

In decisis standum esse dixit Sac. Congregatio quoad obedientiam quotannis præstandam Episcopo Casertano *die* 8. *Maji* per Deputatos *Canonicorum* Collegiatæ Magdalunæ, *in eadem ad II. Dub.*

Canonicus Vide *Annata.*

Canonicus Curatus Vide *Jura Parochialia.*

Administrationem pii operis, seu *Capellaniæ* a Cristophoro Raffaeli ex Oppido Montis Coelii Tiburtinæ Diœcesis relictæ, concedendam esse censuit Sac. Congregatio unico Administratori ab Episcopo constituendo cum annuo emolumento scut. trium, et obligatione reddendi quotannis suæ Administrationis rationem, ac de onerum adimplemento, et ad D. Secretarium cum SSmo, quo provisum fuit renunciationi emissæ a Parocho Rusconi, *in Tiburtina* 18. *Decembris ad I., et II. Dub.*

Hujusmodi Capellaniæ onera eadem Sac. Congregatio reduxit ad formam Decreti Episcopi Natali cum celebratione Missarum ad centum tantum juxta Decretum Episcopi Manni, donec augerentur reditus. Verum Missarum translationem, et retentionem Capellaniæ Parochi Petrara favore denegavit, *in eadem ad III., IV., et V. Dub.*

Capellania Vide *Nominatio, Translatio.*

Coadjutor. Vide *Suffragium.*

Sac. Congregatio standum esse in decisis respondit, seu exequenda esse decreta Episcopi Sutrini quoad erectionem *Collegii* Ecclesiastici in Civitate Roncilionen., omnibus juribus ad Sutrinum Seminarium spectantibus reservatis, *in Sutrina Collegii Ecclesiastici* 21. *Februarii.*

Pium relictum a Stephano Modesti Forosempronien. Diœcesis in una tantum parte *commutari* permisit Sac. Congregatio; namque voluit contra Testatoris præscriptum, ut quolibet anno dotium urna, vulgo *bussolo*, renovaretur: in reliquis vero præscripsit, ut forma fundationis servaretur. Quoad legatum Missarum dixit juxta fundationem ad manualem esse adimplendum, in *Forosempronien. Commutationis Voluntatis* 8. *Maji ad I., et II. Dub.*

Onus solvendi eleemosynam *Concionatori* Cathedralis Lunen. Sarzanen., quod Gallorum decreto ab Episcopo in ejusdem Ecclesiæ Massales fuerat translatum, quoniam leges Gallorum ad res Ecclesiasticas pertinentes una cum eorum regimine interiere, spectare ad Episcopum censuit Sac. Congregatio, facta per Massales declaratione, nullum sibi jus competere nominandi Concionatorem, in *Lunen. Sarzanen. Stipendii Concionatoris* 18. *Septembris.*

Concursus Vide *Appellatio.*

Ut tenuitati *Congruæ* Plebani S. Petri Æsinæ Diœcesis provideretur, Sac. Congregatio dixit, in congruæ augmento computari quidquid superesset ex reditibus Legatorum Missarum ultra eleemosynam manualem; ideoque reductionem denegavit Legatorum Pesciotti, aliorumque: concessit vero hanc reductionem ad manualem quoad Legata Mucci, Baldassini, Agostinelli, ac voluit, ut Emus Episcopus curaret fieri inscriptionem super fundis gravatis, et descriptionem in Tabella, in *Aesina Reductionis*, *et Absolutionis* 20. *Martii ad I., II., et III. Dub.*

Attenta dicti Plebani *Congruæ* tenuitate, Sac. Congregatio, celebratis tribus Missis pro omnibus omissionibus, quoad Missas in præteritum non adimpletas consulendum SSmo pro absolutione censuit, *in eadem ad V. Dub.*

D

Archipresbyteris S. Petri de Foropompilio, et S. Nicolai de Meldula competere jus *decimandi* juxta consuetudinem loci dixit Sac. Congregatio, quamvis permutatio facta fuerit inter Episcopum Brictinorien., et Capitulum Vaticanum tanquam Ordinarium Abbatiæ S. Rufilli de finibus Parœciarum. E contrario competere negavit iisdem Archipresbyteris jus *benedicendi* in Sabbatho Sancto domos, quæ in aliena Dioecesi sitæ sunt, in *Brictinorien. Juris Decimandi*, *et Benedicendi* 8. *Maji ad I.*, *et II Dub.*

Non constare de legitima executione rescriptorum Sac. Congregationis, et rescripta dierum 11. *Julii* 1818., *et* 6. *Martii* 1819. exequenda esse juxta modum decreverant EE. PP., nempe ut Canonicus Samaritani onera tantum ab Episcopo in decreto executoriali ipsi imposita adimplere teneatur; ejus vero successores præter onera in dicto decreto eisdem imposita teneantur, Archipresbytero infirmo, vel ex legitima causa ab Episcopo approbata impedito, omnia munia parochialia exercere, et tunc præesse Capellanis Curatis. Quo vero ad rescriptum *diei* 27. *Aprilis* 1822., quo statutum fuerat, ut in *Dignitatem* Archidiaconatus præbenda erigeretur S. Pii V. a Canonico Samaritani possessa, a decisis recedendum, et præbendam S. Clementis, cui nulla imminet servitus, seu onus coadjuvandi Archipresbyterum, in dignitatem erigendam esse censuerunt, in *Comaclen.* 18. *Septembris ad I., II., III., et IV. Dub.*

Sanctissimo non esse consulendum pro *dispensatione Aetatis*, neque favore clerici Augustini Luzj ab omnibus Patronis nominati ad dignitatem Archipresbyteratus, quæ inter præbendas presbyterales Capituli S. Andreæ Pergulæ recensetur, neque favore

F

I

L

campanulam habens, et januam in via publica, per quam omnibus patet accessus, publicum esse declaravit S. Congregatio; addiditque, claudendam non esse internam januam, et fenestram, utpote in limine fundationis apertas, licet Oratorium una cum adnexa domo, et fundo in villicum Petrum Voltan transierit. Ad Oratorii vero, et cultus Divini decorem præscripsit, ut Episcopus curaret, stabilem fenestræ infigi ferream cratem, in *Patavina* 14. *Augusti ad I.*, *et II. Dub.*

Dominicus Bertagni, qui ortum habuit in Parœcia S. Michaelis de Capharonia, nunc Massen. Diœcesis, Subdiaconatu titulo Patrimonii fuit insignitus cum Litteris Dimissorialibus a Vicario Capitulari Massensi obtentis, quamvis per plures annos in Oppido Sermezzanæ Sarzanen. Diœcesis moram fecisset. Sac. Congregatio censuit, fuisse licite ordinatum sine dimissoriis Episcopi Sarzanen., dixit vero necessarias esse ejusdem Episcopi Testimoniales ad licitam *ordinationem* declarandam. Attenta bona fide, concedendam esse absolutionem a suspensione, facto verbo cum SSmo, rescripsit; nec non declaravit ad Episcopum Massen. spectare collationem aliorum sacrorum Ordinum, servatis servandis, in *Lunen. Sarzanen. Sac. Ordinationis* 29. *Maji ad I.*, *II.*, *III.*, *et IV. Dub.*

P

Cum ruralis Ecclesia, et *Parochialis domus* S. Venantii Spoletanæ Archidiœceseos reparatione indigerent, nec Parochiani præ inopia illas reficere possent, Sac. Congregatio statuit, possidentes teneri ad reparandam Parœciam per æs, et libram, et Colonos operas præstare debere prudenti arbitrio Archiepiscopi, in *Spoletana Restaurationis Ecclesiæ, et Domus Parochialis* 20. *Martii ad I.*, *et II. Dub.*

Moniales S. Jacobi Vissi Nursinæ Diœcesis, cum nullum legitimum privilegium attulerint, *Procurationem* solvere teneri, dixit S. Congregatio, in *Nursina Procurationis* 8. *Maji.*

Deficientibus aliis mediis a jure statutis pro reparanda Parœcia Montis veteris Brictinorien. Diœcesis, Sac. Congregatio, attenta consuetudine, statuit, concedendam esse Episcopo facultatem statuendi decimam prædialem in annuis scutis octo per æs, et libram, solvendis etiam a possessoribus non residentibus Quo vero ad Parœciam Bonaldæ dixit Episcopum teneri ad Ecclesiæ manutentionem acceptis tantum scutis quatuor sponte oblatis a Parochianis. Hujusmodi decimarum exactionem, et administrationem Parochis docto quotannis coram Episcopo de erogatione, committendam esse voluit Sac. Congregatio, in *Brictinorien. Parœciarum* 29. *Maji ad I*, *et II. Dub.*

Q

Parocho S. Jacobi Pisauri *quartam* in funere Eleonoræ Gavardini, olim monialis professæ Ordinis S. Dominici, competere juxta loci consuetudinem dixit Sac. Congregatio, cum hæc tamquam Convictrix in Monasterio S. Mariæ Magdalenæ Ordinis S. Benedicti moram faceret, et consuetudo vigeret in funeribus convictricum, et educandarum quar-

tam funeralem Parocho solvendi, in *P[illegible]. Quartæ funeralis* 2[illegible] *Junii.*

R

Quum Comes Dominicus Justiniani alia bona præter Loca Montium in solemni Inventario a Sodalitio SS. XII. Apostolorum descripta, in hæreditate Marchionis Silvani Justiniani reperta fuisse non ostenderit, constare de legitima *redditione rationum* ab eodem Sodalitio exhibita, et attenta inculpabili LL. MM. imminutione, rependendum non esse quod minus solutum fuit pro Legatis studiorum favore adolescentium e Familia Justinianea, rescripsit S. Congregatio; in futurum vero eadem Legata præstanda esse statuit ad formam Decreti reductionis R. P. D. Vicesgerentis; quo decreto jam provisum respondit Legato eleemosynæ in pauperes erogandæ in *Romana Redditionis rationis* 18. *Septembris ad I., II., III., et IV. Dub.*

Ut reparationi Collegiatæ Ecclesiæ Belviderii Senogallien Diœcesis, in solo Lateranensi sitæ, provideatur, Sac. Congregatio juxta votum Emi Archipresbyteri Sacrosanctæ Lateranensis Basilicæ, suspensionem concessit per septem annos quoad Præbendas Ubertini, et Grassi, et per quatuordecim quoad alias Præbendas vacantes, et Mansionariæ Capellaniam, quod notificari voluit Ministris Datariæ Apostolicæ; nec non servitium Chori *reduxit* ad septennium, exceptis omnibus festis etiam reductis, tempore Adventus, et Quadragesimæ, Octavis privilegiatis, et festo S. Titularis, cum obligatione celebrandi omnibus diebus, etiam reductis, Missam Lectam pro Benefactoribus, et ad D. Secretarium cum SSmo quoad omnia, in *Senogallien. Fabricæ Ecclesiæ* 20 *Martii ad I., et II. Dub.*

Cum nulla rationabilis intercesserit causa reducendi Legata Missarum a Hyacinto Rondoni Ravennaten. Archidiœcesis relicta, quæ adimplenda sunt in Ecclesia Parochiali S. Paterniani Ravennæ, Sac. Congregatio hoc onus *reducendum* esse denegavit, in *Ravennaten. Reductionis Missarum* 26 *Junii*

Sacra Congregatio Mansionariis Metropolitanæ Ecclesiæ Bononiensis, cum nulla adesset justa, et rationabilis causa indultum *reductionis* servitii Chori, seu vacandi a cantu in Missis dierum ferialium, et semiduplicium denegavit, in *Bononien. Reductionis Onerum* 26. *Junii.*

Reductionem Missæ Conventualis ad dies festos tantum, a Collegiata S. Laurentii Civitatis Victoriosæ in Insula Militensi petitam, denegavit Sac. Congregatio, quia onus quotidianæ Missæ Conventualis ultro Canonici susceperant, nec postea reddtus decreverant, in *Melevitana Missæ Conventualis* 24. *Julii.*

Quoniam reditus Collegiatæ S. Mariæ Majoris Oppidi Corati Tranen. Diœcesis, post Missarum reductionem ab Episcopo Pirelli auctoritate Apostolica impertitam, non decreverant, novam Missarum *reductionem* denegavit S. Congregatio. Denegavit quoque, nulla rationabili intercedente causa, facultatem, anniversariorum celebrationem, in eadem Collegiata faciendam, committendi Capitularibus, qui per turnum inser-

viunt filiali Ecclesiæ *S. Mariæ Græcæ*, et transferendi Missas, quæ certis horis, et altaribus celebrari debent, in *Tranen. Reductionis, et commutationis* 14. *Augusti ad I., II., et III. Dub.*

Universitati Petræ Rubræ administratrici bonorum Ecclesiæ S. Lazari, sitæ in solo Lateranensi, et in Feretrana Diœcesi, quia ejus reditus adeo tenues sunt, ut satis non sint tributorum solutioni, et Ecclesiæ manutentioni, Missarum *reductionem*, celebrata unica Missa, ad quinquennium, si tamdiu, facto verbo cum SSmo concessit Sac. Congregatio in *Feretrana* 14. *Augusti.*

Novam Missarum *reductionem* juxta votum Episcopi ad decennium concedendam decrevit Sac. Congregatio ob graves rei familiaris angustias, quibus Maria Jesualda Baccari, ejusque familia Oppidi Casalverio Soranæ Diœcesis premebatur; præscripsit tamen, ut Episcopus curaret fieri inscriptionem super idoneis fundis pro securitate Legatorum. Item, attenta Oratricis impotentia, absolutionem, celebrata unica Missa, impertivit Missarum non celebratarum, in *Sorana Reductionis, et Absolutionis* 18. *Septembris.*

Cum clerus Oppidi *Locorotondo* Ostunen. Diœcesis, qui Ecclesiæ illius loci instar Collegiatarum inservire solet, spontaneis fidelium oblationibus pene deficientibus, nullum jam emolumentum propter Chorale servitium percipiat; Missarum *reductionem* ad mentem Emi PP. indulserunt, in *Ostunen. Commutationis voluntatis, et Reductionis* 20. *Novembris.*

Attenta paupertate Caroli Francisci, et Josephi Antonii fratrum Guerrini, eis utpote patronis Sac Congregatio condonavit caput *scut.* 1500. pertinentium ad tria Beneficia a Sacerdote Jacobo Guerrini ex Oppido Cimamuleræ Novarien. Diœcesis instituta, et ad D. Secretarium cum SSmo, imo juxta votum Emi Episcopi hæc Beneficia ad unum tantum *reduci* statuit Sac. Congregatio, cum onere investiendi caput *scut.* 1450 quatenus persolvantur, facta interim inscriptione super fundis Cimamuleræ, et descriptione in Tabella. Quo vero ad præteritas omissiones, consulendum SSmo dixit pro absolutione, celebratis decem Missis, in *Novarien Reductionis, et absolutionis* 20. *Novembris ad I., II., et III. Dub.*

Servitium Chori, quo tenentur Sacerdotes participantes Ecclesiæ Matricis Oppidi Careni Mazzarien. Diœcesis, ad horas antemeridianas tantum præter officia tenebrarum *reduxit* Sac. Congregatio; cum tenuissimæ essent Præbendæ: denegavit vero Anniversariorum reductionem, quia reditus satis erant huic oneri ferendo, in *Mazzarien. Reductionis Servitii Chori, et Anniversariorum* 18. *Decembris ad I., et II. Dub.*

Cum Capella Innocentium, in Ecclesia Abbatiali Nullius Foripompilii erecta, perspicue probare nequiverit identitatem Domus ipsi a Joanne Robbia Episcopo Brictinorien. cl. me. donatæ, vel saltem cum longissima præscriptione Episcopi Brictinorienses camdem domum possederint, Sac. Congregatio censuit, Capellæ Innocentium *reintegrationem* ad dictam domum denegare; quo rescripto provisum fuit evictioni adversus Episcopum Brictinorien. a Capellæ Administratoribus pe-

citae, in *Nullius Foropompilii*, et *Brictinorien. Vindicationis* 18. *Decembris ad I.*, *et II. Dub.*

Constare de *re judicata* dixit Sac. Congregatio, seu constare de Nullitate Emphyteusis a Marco Bertoccini celebratae *anno* 1766. cum bo. me Praesule Galeatio Marescotti quoad Bona Prioratus S. Spiritus Urbevetanae Dioecesis. Praeterea eadem Sac. Congregatio statuit, esse locum circumscriptioni actorum gestorum coram Vicario Generali Urbevetano, quorum vi Fratres Bertoccini redintegrati fuerunt ad possessionem hujusmodi Bonorum; ideoque fructus esse restituendos Rectori Praesuli Pandolfi Alberici a die captae possessionis Beneficii, in *Urbevetana Emphyteusis* 24. *Maji ad I.*, *et II. Dub.*

S

Ad formam decreti Concilii Tridentini *Sess.* 24. *Cap.* 12. *de Reform.* ampliandum esse *Servitium Chori* in Cathedrali Ostunensi, respondit Sac. Congregatio, quae aliquid ad mentem addidit. Praeterea in tertia parte fructuum ad formam decreti laudati Concilii *Sess.* 21. *Cap* 3. *de Reform.* fallentias constituendas esse voluit, in *Brundusina*, *seu Ostunen. Servitii Chori* 26. *Junii ad I.*, *et II. Dub.*

Neque scriptura, neque verbis, neque testibus Josepha Usai Vidua Grosso probare potuit Sponsalia, quae cum Josepho Onnis contraxisse asserebat; hinc Sac. Congregatio dixit de *Sponsalibus* non constare, et ideo eumdem Josephum ad matrimonium contrahendum cum Vidua Grosso cogendum non esse, in *Calaritana Sponsalium* 8. *Maji ad I.*, *et II. Dub.*

Attenta renunciatione Capituli Collegiatae Ecclesiae Frasinonis Verulanae Dioecesis, quod ob mortem Canonici Praepositi quaestionem de *Stallo* ad Coadjutorem Praepositi spectan. inutilem esse censuit, Sac. Congregatio non proponi mandavit causam super aperitione oris, et executione litterarum Apostolicarum, quibus Collotio concessa fuit Canonici Praepositi Coadjutoria, in *Verulana Stalli* 20. *Martii ad I.*, *II.*, *et III. Dub.*

Stipendium Concionatoris Vide *Concionator.*

Sacerdoti Vincentio Passalacqua Coadjutori Dominici Mazza in Cathedrali Ecclesia S. Severini Canonici Poenitentiarii, quia neque ex Capituli costitutionibus, neque ex Apostolicis Coadjutoriae Litteris, neque alio legitimo modo vox in Capitulo ei tribuebatur, jus ferendi *suffragii* non competere rescripsit Sac. Congregatio in *S. Severini Vocis in Capitulo* 18. *Septembris.*

T

Legata a Caesare Valentini Mutinensi relicta favore Paroeciae *di Gaggio*, olim Abbatiae Nonantulae, nunc Archidioecesis Bononiensis valida esse dixit Sac. Congregatio, quamvis authographum *testamentum* desideraretur, et exemplum tantum dispositionis Parochus afferret, cum hoc praevalidis argumentis fulciretur. Denegavit quoque Missarum reductionem quoad futurum, et absolutionem quoad praeteritum;

quoniam reditus imminuti non sunt: et statuit, ut Emus Archiepiscopus curaret executionem Legatorum ad formam testamenti, et capi inscriptionem, in *Bononien. reductionis Missarum* 26. *Junii ad I., II, et III Dub.*

Cum gravis exarserit contentio inter Praepositum Congregationis Oratorii Perusii, haeredem fiduciarium, et Executorem testamentarium Josephi Rossetti ex una parte, atque Scipionem Rossetti, nec non Rosam Zurli Brutti hujus haeredem ex altera, ad quaestiones omnes jam exortas, et facile orituras removendas, *transactio* inita fuit, pro cujus sanatione S. Congregatio consulendum esse SSmo dixit, praefixo Rosae Zurli Brutti termino duorum annorum ad conficiendum depositum dotium promissarum, et nondum solutarum, ut solvantur puellis post nuptias, vel post mortem innuptarum cedant in augmentum causae piae, cujus favore etiam Praepositus teneatur cedere tertiam partem *scut.* 137. 50.; nec non dixit, Episcopum curare debere executionem, et inscriptionem Operis pii, et in posterum quotannis exigere redditionem rationum a Praeposito, in *Perusina Transactionis* 31. *Januarii.*

Transactionem, inter Congregationem praepositam administrationi Locorum piorum Forolivii, et Jacobum, ac alios Romagnolios initam approbandam esse ob evidentem Ecclesiae utilitatem juxta votum Emi, ac Rmi Cardinalis Serlupi censuit Sac. Congregatio, adjecta tamen mente, nimirum ut ex approbatione Transactionis nil inferatur pro approbatione contractus acquisitionis Conventus. Ut vero Ecclesiae decori, et divino cultui consultum foret, denegavit aperitionem januae, per quam ad Sacellum, et per Sacellum ad contiguam Ecclesiam S. Peregrini aditus pateret Familiae Romagnoli; sed ex indulgentia fenestram in altiore Ecclesiae loco aperiendam, et ferrea crate muniendam Romagnoliis concessit, durante Oratorum Agnatione, et habitatione, per Breve, in *Forolivien.* 24. *Julii ad I., II., et III. Dub.*

Celebrationem Missarum Capellaniae, ab Antonio Colaschi in Ecclesia Parochiali S. Mariae Patrum ejusdem Deiparae Servorum Burgi S. Sepulchri fundatae, ad Ecclesiam S. Augustini ejusdem Civitatis, tum ut fidelium utilitati, tum ut Ecclesiae S. Augustini cultui prospiceretur, rogatu ipsius Fundatoris transferendam censuit S. Congregatio, facto verbo cum SSmo, in *Burgi S. Sepulchri* 24. *Julii.*

Translatio Missarum Vide *Reductio.*

V

Quamvis Episcopus Amerinus in Sacra *Visitatione* decretum ediderit, quo Administratores Legati Venturelli litis expensas deponere coacti fuerunt; attamen Sac. Congregatio hoc decretum nullimode esse exequendum dixit, quia prudentis Administratoris fuit litem agere, in *Amerina* 29. *Maji*

FINIS.

INDEX CONCLUSIONUM

Quæ adnotatæ sunt in Foliis Causarum anni 1824.

BENEFICIATUS

BENEPLACITUM

BONA FIDES

CANONICI

CANTUS

CAPELLANIA

CENSURA

CLERICUS

COADJUTOR

CONTRACTUS

CONVICTRIX

DECIMÆ

DEMENTIA

DIGNITAS

DISMEMBRATIO

DISPENSATIO

DISSENSUS

DISTRIBUTIONES

EMPTOR

EPISCOPUS

EVICTIO

EXECUTOR TESTAMENTARIUS

EXPENSÆ LITIS

IGNORANTIA

INCOLA

INCOMPATIBILITAS

INDULTUM

INSTITUTIO

INTERPRETATIO

INVENTARIUM

IRREGULARITAS

LITTERÆ APOSTOLICÆ

LITTERÆ TESTIMONIALES

MATRICITAS

MATRIMONIUM

ORIGO

PAROCHIALIS ECCLESIA

PAROCHIANUS

PAROCHUS

PAROECIA

PATRIMONIUM

PATRONUS

PERMUTATIO

PORTIO CANONICA

POSSESSIO

PRAXIS

PRÆBENDA

PRÆCEDENTIA

PRÆEMINENTIA

PRÆSCRIPTIO

PROBATIO

PROCURATIO

PROCURATOR

QUARTA FUNERALIS

REDUCTIO

REGULARES

RESERVATIONES APOSTOLICÆ

FINIS